

JOHANNIS HENRICI URSINI, ... DE CHRISTIANIS OFFICIIS...


Johann Heinrich Ursin, Francesco Barberini, ...




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
23 I
10 M



Don Hilarionij Rancati ex dono Emin.mi D. Card.lis Fran.ci Barberini



JOHANNIS HENRICI URSINI,
Ecclesiæ Ratisponensis Pastoris
& Superintendentis,


DE CHRISTIANIS OFFICIIS

Analecta Theologica & Philologica:

Ex S. Scriptura, SS. Patribus, aliisq; Scriptoribus Ecclesiasticis & Profanis.




NORIMBERGÆ,
Typis & Suintibus MICHAELIS ENDTERI,
ANNO M. DC. LX.



Serenissimi Saxo-Aldenburgici
Principis,
Consiliario Intimo,
& ad Conventum Ratisponensem
p. t. Legato Amplissimo,
*Magnifico, Nobilissimo atque
Excellentissimo VIRO*
DN. JOHANNI THOMÆ,
Jurisconsulto longè celeberrimo,
Domino & Patrono suo Magno,

D. D. D.
AUTOR.





Uæ ante hos viginti quatuor annos, altero Ministerii mei Spirensis tum ineunte, Tabulam, quam dicunt, Oeconomicam enarraturus, præmeditatus postea horis subcesivis conscripsi, ea nunc demum in lucem prodire jubeo, offerente operam suam, amicorum suasu, Bibliopolâ: & quidem eodem planè filo, quo olim pleraque concinnaveram. Adeò enim nihil immu-

immutavi, ut ante editionem ne quidem ad relegendum tempus aliquod insumere potuerim, aut insumendum esse putaverim. Non id ullâ ingenii confidentiâ; à qua ut longissimè absim semper, DEUM cordium nostrorum inspectorem & arbitrum supplex nunquam non veneror & oro; sed bonâ fretus conscientiâ, functum me hac in parte munere meo, quâ par est industriâ & fide: Tum ut & juventuti monstrarem, cui hæc omnia scribo, à quibus progressus initiis, quâq; viâ, Divinâ ducente providentiâ, quò tandem præter

ſpem exſpectationemq́; omnem perveneriṁ? Non enim pecco, ſi me, ad æternam DEI laudem, in exemplum Bonæ Spei proponam illis, qui in flore adhuc ævi conſtituti, deſtitutiq́; omnibus humanis opibus, unam omnemq́; ſpem in DEO poſitam habent, & ut eum ſibi ſervent propitium, omnem curam, operam, ſtudiumq́; ſuum conſumunt.

De Scripto ipſo præfari ſuperſedeo. Commendabit piis tum materiæ dignitas & utilitas, cùm & formæ concinnitas ac brevitas. Aurea illa, de Chriſtianis Officiis, S. Scripturæ Oracula

ſunt; eum in finem ex diverſis diffuſisq́; commentariis, quorum in re tenui copia erat, explanata, aliorumq́; ſacræ ac profanæ ſapientiæ conſultorum teſtimoniis conſentientibus illuſtrata, ne ad dicendum in frequenti Eccleſiæ concione imparatus exſurgerem. Eo in ſtudio ſic me verſatum bona ſpes eſt, ut quæ juveni placuerunt, ſumus enim naturâ φιλότεκνοι, non putem erubeſcenda eſſe ſeneſcenti. Et eſt alioqui Parentum hoc ingenium, ut teneriùs ament, quos primos in ſpem poſteritatis genitos majore curâ aluerunt.

Huic fœtui meo, cùm eo ipſo tempore præli officio in lucem eniteretur, quo Tua, Vir Magne, me nec meritum, nec ambire auſum complecti cœpit eximia humanitas; Patronus pro more Tutorq; quærendus non erat: nam & benevolentia Tua, & ſupremi Numinis favor obtuliſſe, non temerè videbantur. Qui Scripta ſua magnis nominibus inſcribunt, aliâ aliâque ratione duci ſolent. Ego neque invidiæ metuens; nam qui mereri ſperem his ſtudiis? neque turpis lucelli vel egens vel ſitiens; abſit, ut Muſas Virgines, quod Simo-

nidi

nidi Poëtæ vitio datum recordor, pessimi facinoris autori, prostituam! Amicos mihi isto honore vel concilio, vel demereri studeo. Fieri potest, ut tantis nominibus ambitione quâdam abuti, non nemini fortè videar: ut autem mihi optimæ voluntatis debitæq; venerationis conscius non sim, id profectò fieri nunquam potest.

Tua me certè incredibilis humanitas, cujus non tantùm fructum percepi jucundissimum, sed etiam pignus ac chirographum habeo immortale, securum planè esse jubet, &, ut essem, effecit; hanc æquè fidu-

ciam Tibi meam iri probatum, atque ego certiſſimus ſum in cultu ac honore nominis Tui me conſtanter perſeveraturum. Salve, Patrone optime, & fave ſemper, cui tanta cum amabilitate ſemel cœpiſti! Scribebam in Muſéo Ratisponæ X. Februarii, Anno CIƆ. IƆ. C. L. X.



INDEX MATERIARUM.

I.

VI.

IN-

INDEX Locorum quorundam S. Scripturæ enucleatorum.

Sirach.




MEDI-

MEDITATIO PRIMA,

GRATA REFORMATIONIS RECORDATIO,

in Epist. Dom. XXII. Trin.

THEMA: Prolegomenωn loco, *de summis DEI beneficiis Ecclesiæ novissimis his temporibus per D. M. Lutherum præstitis.*



Xordium præmittatur à laudanda consuetudine Ecclesiæ V. Testam. & fidelium id ævi, qui, ut divinorum beneficiorum sibi quâ publicè quâ privatim præstitorum memoria æternaretur, operam dederunt

1. *Psalmos & Cantica componendo*, ut in populum eximia Dei opera disseminata in choris publicè concinerentur. Exemplo & argumento sunt Moses, Exod. 15. 2. Anna, 1. Sam. 2. 1. Hiskias, Esai. 38. 6. adde Jonam, Habacuc, Tres pueros in fornace Babylonica, &c. David quoque sæpè in Psalmis, vide 2. Sam. 22. 1.

2. *Monumenta & memorialia erigendo*, de quibus Gen. 28. 19. Jos. 4. 7. 1. Sam. 7. 12. &

3. *Festa solennia instituendo*, in quibus divina beneficia deprædicarentur, ut Esther. 9. 21. Ὑπόθεσις. Ejus piæ consuetudinis meritò recordamur hoc anni tempore, quo summum illud beneficium reformationis Deus Opt. Max. inchoavit, quodq; antè olim per Prophetas prædixerat, Zachar. 14. 7. Apoc. 14. 6. Dan. 11. 44. opere ipso complere cœpit. Adde brevem διήγησιν, quo pacto D. M. Lutherus Theologiæ Doctor & Professor, An. 1517. hoc mense Octobri zelo Domini inflammatus, & impudentissimis Tecelii nundinationibus incitatus, Theses contra putidissimam Indulgentiarum mercem conscripserit, & Witebergæ pro more Academiæ ad pulpitum affixerit, exorsus stupendam illam Ecclesiæ repurgationem iisdem verbis, quibus olim Dominus fermentum Pharisaicum expurgare, & Ecclesiam hominum commentis oppressam renovare inceperat: *Pœnitentiam agite, & credite Evangelio!* Marc. 1. 15. Quanquam ille etiam tum ignoraret, quantam rem adorsus esset, Deoq; suum negotium agenti nesciens famularetur.

Propositio. Par est tanti beneficii conservari memoriam, Tob. 12. 7. Considerabimus igitur, quid boni nobis Deus hoc opere contulerit, & quo nos pacto gratitudinem declarare deceat?

Exergasia. Orditur Apostolus suam ad Philippenses, de quibus Actor. 16. 12. Epistolam, pro recepto suo more Gratiarum actione, cujus spe-

ctare

ctare convenit I. OBJECTUM. II. MODUM, ex illo elucescet Dei beneficium, ex isto Nostrum officium.

DE DIVINO BENEFICIO

sic ait Apostolus: *Gratias ago Deo super communicatione vestra in Evangelio*, v. 3. & 5. ad Philipp. c. 1. expendere omnia non est instituti mei. Hoc indicat, præclarissimum Dei in terris munus esse, si quos ex perdita colluvie hominum vocet ad communicationem in Evangelio. Conf. 1. Cor. 1. 4. Rom. 1. 8. 1. Thess. 1. 2. 2. Thess. 1. 3. Col. 1. 2. Magnũ profectò & incomparabile donum, sed latens in exiguo paucorum verbulorum involucro! Quod ut evolvamus, collatio instituenda erit inter Philippenses & Germanos, spectandumq;, quid illis per S. Paulum, his per Dn. Lutherum emolumenti obvenerit? Attulit autem Apostolus Philippensibus

I. Veram Viam Salutis: Ignorabant eam Gentes. Nam & qui laude Sapientiæ inter illas florebant, animas cum corporibus intercidere arbitrantes Summam beatitudinis in belluinis voluptatibus constituebant, quales illi Sap. 2. 1. Eccles. 3. 19. alii altiùs animo evecti, in actione virtutis Ἐυδαιμονίαν posuére; nec hilo sapientiores erant etiam Judæorum eximii Doctores, qui gentili stultitiæ, jam tum per orbem dispersi aliquam medelam afferre potuissent, si non & ipsi in eodem ludo fuissent eruditi. Compendium ergò putabatur

Salutis, Vitæ ſecundùm Rectam Rationem inſtitutio, cui Judæi legis & traditionum additionem junxerant, ſed cùm neque Ratio neque Lex neque Traditio vel humanæ naturæ originariam labem & extremam corruptionem ſatis nôſſent, vel ullam certam & firmam conſcientiis opem ferrent, Via Salutis præcipitium tandem erat deſperationis, vide Epheſ. 2. 12. & 4. 18. Itaq; ante omnia patefecit Deus per S. Paulum Philippenſibus Veram Viam Salutis, quam & quomodo? docebit S. Lucas in Actib. cap. 16. 17. 31. & S. Apoſtolus ipſe ad Philipp. 4. 9. Verbo eſt: Sola Vera & Viva Fides in Chriſtum. Eandem nobis per Dn. Lutherum retectam, cùm ſpinis humanarum traditionum, ambagibus Philoſophicarum opinionum, lutoq; meritorum profundo facta fuiſſet invia, orbis terrarum ipſe clamitabit. Quâ ad Cœlum Viâ tenderint majores noſtri, quis ignorat? Per merita operum ſuorum, aut ſi ſibi diffiſi eſſent, aliorum quâ vivorum, quâ mortuorum. Chriſti vix ulla ratio habita fuit. Fuerunt, qui dubitârint, an ad eum an aliò ſe potiùs verterent? Quomodo Maſium Epiſcopum in Buſco Ducis ajunt videri in quadam ſacra æde medium inter Deum Filium, & Deiparam, dicentem: *Conſiſto in medio; quò me vertam, neſcio?* Quam ſtoliditatem rectè taxavit, qui ſubſcripſit: O grotte Sott/ Heert u tot Gott. *Te verte ad verum, Morio magne, Deum.* Vide Sandæi Teſtam. Deip. in Maria Patrona p. 342. Periiſſet mundus univerſus, niſi pereuntibus ſuccurriſſet in ipſo ſæpè ultimo

ultimo agone: *Miserere mei Deus!* nisi aliquos Deus subindè excitâsset, qui jam jam animam agentibus unicam Salutis Viam ostenderent, qua de re præclara leges apud D. Calixtum tum alibi, cùm in Digress. de Arte Nova: Deniq; nisi Deus ipse multos inspirâsset, ut valere jussis hominum meritis spem & fiduciam in solo pretioso Christi sanguine collocarent, dicentes cum Gersone: *Spes mea crux Christi, Gratia, non opera!* Hac viâ insistere nos jussit Lutherus: Justitiam & Salutem quærere in solo Christi merito: Cætera omnia ut detrimentum & ut stercora arbitrari, ut istum lucrifaciamus. Hæc Lutheranismi Acropolis est.

II. Rectam Rationem Religionis: Nam hæc altera piæ mentis cura est, ut de Salute edocta, obvenire eam credentibus in Christum nullo suo merito, Ephes. 2. 8. jam porrò de Gratitudine veroq; Dei cultu sollicita sit. Atque hîc S. Apostolus quoad Proprium & Internum Dei cultum Philippensibus suis ostendit *1. Verum Religionis objectum*, exhibendum eam non Idolis, sed Deo Trinuno, de quo Concio ejus celeberrima extat Athenis habita, Actor. 17. 22. *2. Verum modum*, præstandam non juxta deliram rationis, sed juxta certissimam divinæ voluntatis in verbo patefactam regulam, Coloss. 2. 23. Gal. 6. 16. & *3. Verum exemplar*, imitando Christum & ejus fidos ministros, Phil. 2. 3. cap. 3. 17. 1. Cor. 13. 1. Eandem rationem nobis demonstravit Dn. Lutherus. Errabant majores nostri, *circa Religionis objectum*, cultum reli-

giosum non Dei modò Creaturis, sed & suis factu-
ris conferendo, cùm *Religio vera nulla nisi unius Dei*, Lactant. l. 1. cap. 20. at *creatura in maledicto sit.* Hilarius l. 8. de Trinit. Inprimis cùm Sanctorum cum Deo regnantes immortales Spiritus religiosè invocarent, câdem cum gentilibus Idololatris usi *misera excusatione*, dicentes, *per istos posse ire ad Deum, sicut per Comites pervenitur ad Regem.* Ambros. in cap. 1. ad Roman. Nunc apud nos Lutherij doctrinâ imbutos personat illud: Soli Deo gloria! *Maledictus, qui confidit in homine!* Jer. 17. 5. Errabant illi *in modo*, quilibet enim fermè novum inveniebat, undè tot ἐθελοπερισσοθρησκεῖαι: nunc apud nos nemo dubitanter anquirit: *Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu Deo excelso?* Indicavit enim nobis per servum suum Lutherum, quid sit bonum! &c. Mich. 6. 6. 8. Errabant illi *quoad exemplar*, desertoq; Eo, qui dixit: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur ME*, Matth. 16. 24. ad sua desideria coacervârunt sibi Magistros, 2. Tim. 4. 4. faciliùs per viam Francisci quàm per viam Christi ad Patrem perveniri palàm professi. Nunc Christus nobis omnia est, ejus ὑπογραμμὸν sequi jubemur à Dn. Luthero, atque *ambulare, sicut & ille ambulavit*, 1. Joh. 2. 6. 1. Pet. 2. 21. Ut Vaticinium Apocalypticum clarissimè in nostro Luthero impletum agnoscamus, quod vide cap. 14. ℣. 7. Hæc de Cultu Dei interno.

Externum, communem & publicum exornavit

vit Dn. Lutherus Triplici Cimelio, quod & Apostolus Philippensibus attulerat.

I. Erat S. Scripturæ communicatio, quam Philippenses in sua lingua legere & poterant, & solebant, & adeò quoq; debebant, vide Actor. 17. 11. Coloss. 3. 16. Hoc tam inæstimabili thesauro caruisse ante D. Lutherum majores nostros, nemo negabit. Jam olim, ut S. Augustinus scribit, *Scriptura divina ab una lingua profecta, per varias Interpretum linguas longè lateq; diffusa, innotuerat gentibus ad salutem*, l. 2. de Doctr. Christ. cap. 5. Legebant eam Græci, Romani, Syri, Ægyptii, Indi, Persæ, Æthiopes, imò & Scythæ & Sarmatæ, testantibus Chrysostomo hom. 1. in Johan. & Theodoreto serm. 5. de Cur. Græc. affect. Soli Germani nos aut legere non poteramus, aut lectam non intelligere. Nam quæ ante Dn. Lutherum extitit, parùm in Vulgus nota, Vernacula Versio Platonicis numeris obscurior fuit. Capiemus gustum è Psalterio Davidico, quod ad manum est. In Psalm. 7. ℣. 14. erant ista: und er bereit in ihm die Vaß des Tods/ er macht sein Geschoß den Prinenden. In 28. qui Hebræis 29. ℣. 6. und er wird sie zermalmen als ein Kalb/ oder als ein Ast des Libans/ und ist lieb gehabt/ recht als ein Sohn der Eingehürn. In 42. ℣. 5. In der Stimm der Freud/ und der Beicht/ ist der Thon des Essenden. ℣. 8. der Abgrund anrufft den Abgrund/ in der Stimm deiner Fenster oder Wolckenbruch. Psalm. 79. ℣. 1. O GOtt/ die Heyden kamen in dein Erb/ sie vermeiligten dein

H. Tempel / und setzten Jerusalem in die Hutt der Oepffel / sie setzten die toden Ding deiner Knecht / die essen den Vögeln des Himmels. 2c. O nos felices! qui sine istis verborum prodigiis præeunte Regio Prophetâ Deum bonas preces precari, & glorificare possumus! Ita fit! Psalterium, ocellus S. Scripturæ, & planè, ut ait Cassiodorus de Div. Lect. cap. 4. *Paradisus animarum prima continens innumera, quibus suaviter mens humana saginata pinguescat*, primò confusis Versionibus malè Græcè, deindè à Græculo quodam, vide Lindan. l. 3. de opt. gen. Interp. c. 6. pejùs Latinè, tandem ab indocto Monacho ita Germanicè versum est, nempè pessimé. Si nihil aliud fecisset Lutherus, quàm quòd S. literas nobis nostra in lingua imbibendas tam purè propinâsset, gratiæ tamen ei deberentur eædem, quæ Hieronymo propter Versionem Dalmaticam, Chrysostomo propter Armenicam, Ulphilæ propter Gothicam, imò & tantò meliores, quantò ejus Versio omnibus antecellit: sed de hoc Dei munere, Ecclesiæq; nostro ornamento vide plura apud Dn. D. Walther. in Off. Bibl. de Vers. Vernac.

II. Hymnorum Ecclesiasticorum compositio, ut exemplo Philippensium, Colossensium & aliorum, monituq; Apostolico, nunc quoque nos invicem docere & commonere possimus *Psalmis & Canticis*, Coloss. 3.16. Ephes. 5.19. Si in laudes sanctissimi & efficacissimi instituti ire

vellem,

vellem, iret dies hæc & altera, nec esset finem habitura oratio. *Est Psalmodia opus Angelorum, Cœlestis Hierosolymæ societas, spirituale thymiama & suffimentum.* Basilius in Psalm. 1. Ut quibusdam viperarum morsibus, juxta Theophrastum, ut tarantulâ ictis Musica medetur. Alex. ab Alex. Gen. Dier. l. 2. cap. 17. sic contra infernalis viperæ morsus nullum præsentius alexipharmacum est. Itaque Davidem authorem sequuti, vide 1. Paral. 16. 26. & 26. 1. canendi morem instituerunt in Ecclesiis Nepos Ægyptiâ, Flavianus Antiochenâ, Pontianus Romanâ, & post omnes Lutherus Germanicâ, cujus & textus & melodiæ plenum S. Spiritu pectus habuisse proclamant: Vide Mich. Prætorii Tom. 1. Syntagm. Mus. p. 452. Nos adversarios Lutheri *miseramur*, ut S. Augustinus Manichæos, *quòd illa sacramenta, illa medicamenta nesciant, & insani sint adversus antidotum, quo sani esse potuissent,* l. 9. Confess. c. 4.

III. Doctrinæ Catecheticæ comprehensio, præstat autem de ea omninò tacere, quàm pauca loqui. Paulum Philippenses Catechismo instituisse palàm est ex Actuum cap. 16. 32. & indicat recepta consuetudo Apostolica Hebr. 5. 12. & 6. 3. 1. Pet. 2. 2. retenta à SS. PP. qui cum Clemente Alex. rectè censebant, ὅτι οὐκ ἔστι πιστεῦσαι ἄνευ κατηχήσεως, *quòd sine Catechesi credere nemo possit,* donec progressu temporis intermissa & eò perventum est, ut M. Carolo Imp. Germanorum Primo opus fuerit præcipere, ut unusquisque fide-

lium ad minimum Symbolum Apoſtolicum & Orationem Dominicam memoriter ediſcat, l. 5. Capitul. quòd *in his duobus omne* ſit *fidei Chriſtianæ fundamentum*, juxta Theodulph. Aurelian. Epiſcop. Coævum. Tandem pro Chriſtiano Catechiſmo Ethica Ariſtotelis ambonem occupârunt, queſtusq; eſt paulò ante Dn. Lutherum Trithemius ſæpiùs in ſuggeſtu Chriſti audiri Ariſtotelem, quàm Paulum aut Petrum. Sed de Catechiſmo Dn. Lutheri pluribus loqui vetat locus & tempus, ne donum Dei incomparabile dicendi infantiâ deteram. Ejus pars eſt Doctrina de Statibus, Tabulam Oeconomicam vocant. In qua una quantum præſtiterit, quantum, in repurgando Augiæ ſtabulo, egeſſerit ſordium Lutherus, docebit D. D. Meiſner. p. 3. præf. Phil. Sobr. propoſito in exemplum ſtatu Magiſtratus Politici. Nos parte primâ defuncti, ad alteram properamus.

DE NOSTRO OFFICIO,

Et quomodo grati eſſe debeamus, docet Apoſtolus ſuo exemplo, nempè *1. Semper, Gratias ago Deo meo in omni memoria veſtri, ſemper &c.* ℣. 3. 4. Sic quoties memoria tantorum beneficiorum animum ſubit, ſubire autem debet quàm ſæpiſſimè, gratias agamus, non nos modò, ſed & qui poſt nos erunt,

Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis &c.

Præcinant Eccleſiæ miniſtri, tubamq; gratitudinis inflent, accinant Magiſtratus, ſuccinant pii omnes,

Pſalm.

Psalm. 78. 4. Joël. 1. 4. 2. *Læto animo: Cum gaudio*, inquit Apostolus, *deprecationem faciens*; quippè confidebat Deum inchoata consummaturum, ℣. 4. & 6. Eadem nos lætitia incessat, eadem confidentia refocillet, 1. Cor. 1. 8. Esai. 40. 8. 3. *Etiam in adversis*, quomodo & in vinculis Apostolus, ℣. 7. imò in ipsa fornace Babylonica, ut tres pueri Dan. 3. in fragm. Est enim Evangelium verbum Crucis &c. Denique 4. *cum precibus*, ut Charitas nostra magis ac magis abundet in omni scientia & in omni sensu, ℣. 9. & seqq. Epilogus constet ἀνακεφαλαιώσει & precibus ex lectione Epistolica emedullatis.

MEDITATIO SECUNDA,

TABULÆ OECONOMICÆ D. M. LUTHERI EPIGRAPHE.

EXordium ab encomio Catechismi. Est iste quasi *Paradisus*. Etenim sive hoc vocabulum *Græcum* est, ut Suidæ visum, à παραδεύω derivatum, Catechismus noster hortus irriguus est. Cardinali Blanco, qui postea Papa Benedictus XII. fuit, quidam Vicinus Romæ Episcopus somnio monitus prædixit Pontificem fore; addebat autem: *Pater, qui mihi monstravit faciem vestram, introduxit me ad stabulum immundissimum, stercoribus plenum, ubi vidi arcam marmoream albissimam, sed vacuam, vos estis illa arca, quam debetis in officio vestro implere virtutibus. Et ô Pastor & Stabularie, Curiam & Sedem Apostolatus, jam immundissimum stabulum,*

bulum, ab avaritiis & fumosis stercoribus expurgate, vobisq́; Sanctam Romanam Ecclesiam & urbem recommissas habete. Hæc in M. Alberti Argentinensis Chronico, Augiæ stabulum ergò fuit Pontificia ante Lutherum Ecclesia, cujus expurgationem tot Imperatores, Reges, Præsules, omniumq́; Populorum vota exoptabant, exspectabant. Purgavit Hercules noster Germanicus, inductis cum Catechismo non Alphei, sed S. literarum purissimis undis, Ezech. 47. 9. Psalm. 46. 5. ubi olentia olim fuerant fimeta, ibi fragrantia nunc adolescunt Domini viridaria: Sive *Persicum* est, eoq́; Reges Persarum vivaria sua appellârunt, authore Philostrato de Vit. Apollonii, in quibus Leones, Pardos, Tigres aliasq́; immanissimas feras educabant: Catechismus quoque noster ejusmodi vivarium est, in quo quinq; belluarum genera reperire est, quibuscum homini Christiano *in hoc quasi Mundi amphitheatro,* ut loquar cum Bachiario de recip. Laps. Tom. 2. Monum. Orthod. semper confligandum est. Hîc *peccatum* est, Serpens venenosissimus, Sir. 21. 3. quem ex cavernis suis protrahit Lex in Decalogo. Hîc *Mundus* monstrum tricipitinum, 1. Joh. 2. 15. quod Fides sola superat in Symbolo, 1. Joh. 5. 4. Hîc *Diabolus* Leo rugiens precibus nostris profligandus, 1. Pet. 5. 8. Hîc *Caro* ἀλλότριον ζῶον, καὶ πολυκέφαλον θηρίον, ut Pythagoræi quoq; vocârunt, teste Jamblicho ad aur. Carm. Pythag. *Peregrinum animal, multiceps bestia, mortale Vitæ specimen, ab ipso ortu nobis connatum,* quam belluam

S. Ba-

S. Baptiſmus ſubmergit & occidit. Hîc *Mors* omnium terribilium terribiliſſimum; contra quam animus Panopliâ Dei & Sacramento altaris obarmandus eſt. Sive denique *Hebræum* eſt, à *Parah* & *Hadas* derivatum, v. Corn. à Lap. in 2. ad Cor. 12. ℣. 4. Catechiſmus quoq; noſter pucherrimus hortus, fœcundiſſimum Myrtetum eſt, eſt ibi Sapientia Cœleſtis, Sir. 24. 14. eſt arbor ſcientiæ, Lex; arbor Vitæ, Evangelium. &c.

Propoſitio; Hujus horti partem ultimam ingreſſuri, in Veſtibulo ſubſiſtemus & Inſcriptionem conſiderabimus, &c.

TABULA OECONOMICA QUORUNDAM S. SCRIPTURÆ DICTORUM, de variis Vitæ humanæ ordinibus & ſtatibus, undè quisq; ſui officii admoneatur.

Si quis populariter explicare velit, aget de Libelli hujus 1. Dignitate. 2. Utilitate. Nos ſequemur Scholaſticam Methodum, agemusq́; 1. de Nomine. 2. de Re.

Nomen accepit Libellus vel à ſimili; ut in magna domo Tabula figi ſolet, quæ ſui quemq; officii admoneat: Ita hæc in domo Dei, 1. Tim. 3. 15. cum lemmate:

Ein jeder lern ſein Lection/
So wird es wol im Hauſe ſtohn.

Eſto, quod es, quod ſunt alii, ſine quemlibet eſſe!

Vel

Vel à pari: Publicæ constitutiones olim tabulis incisæ: Apud Romanos æreis, 1. Macc. 8. 22. Plinius l. 34. c. 9. Talem, ait Plato in Minoë, apud Cretenses Leges in æreis tabulis circumtulisse, undè Æreo cognomen inditum. Axes Solonis ligneis inscriptæ erant, A. Gellius l. 2. cap. 12. Aliæ plumbeis, Job. 19. 23. Plinius l. 13. c. 11. Babyloniorum coctilibus laterculis, Alex. ab Alex. l. 2. Dier. Genial. c. 30. Romanorum Principum edicta libris elephantinis, id est, eburneis l. 32. Pandect. lex Dei in Sapphiro Suidas in Mose, & Lyran. in Exod. aut in Silice, juxta alios. Ægyptii morum præcepta in Pyramidibus proposuére scripta figuris animalium & literis, ut ait Apulejus, ignorabilibus. Deniq; tabulas Domesticas habebant veteres, Romani Diaria, Græci *Ephemerides* vocabant, in quibus unusquisque domesticam sibi rationem totius vitæ suæ per singulos dies scribebat. Budæus in Pandect. p. 727. Ex quibus de Nominis ratione constat. Rei ipsius Natura ex causis spectanda est.

1. *Causa Principalis.*

Deus est, continet enim libellus nil aliud præterquam Sacra dicta, ut, quod de Socrate dictum fuit, rectè in Lutherum quadret, qui post S. Dei Præcones ultima ministerialis libelli causa est, *Eum Saniorem de moribus Philosophiam de Cœlo devocâsse.* Nam ut omnis à Deo est Sapientia, Sir. 1. 1. ab eoq́ solo expetenda, Jac. 1. 5. Sap. 9. 3. ita hæc inprimis de Beata Vita, Psalm. 25. 4. & 119. 33. Lucretius,

quamvis

quamvis ex Epicuri Schola, rectè tamen affirmavit, Deum esse,

Qui primus Vitæ rationem invenit eam, quæ
Nunc appellatur Sapientia - -

Quod de hujus libelli multò certiùs, quàm quòd Minos leges à Jove in antro Cretensi, Lycurgus Delphis ab Apolline, Zaleucus Locris à Minerva acceperint, ut creditum olim, de quo Clemens Alex. l. 1. Stromat.

2. *Materia.*

Ἐξ ὧν dicta sunt Biblica, περὶ ὧν Officia Christiana. *Officium* veteres dixere *quasi efficium*, Ambros. 1. Offic. c. 8. Græcè καθῆκον ἀπὸ τοῦ κατὰ τινας ἥκειν, Laërt. l. 7. Quod ad aliquos veniat, relativa enim sunt fermè officia, & respiciunt se mutuò, sic ait Epictetus, ταῖς σχέσεσι παραμετρεῖσθαι, relationibus mensurari, c. 28. Enchirid. *Estq́ officium* juxta Stoicos [qui soli primò de officio enucleatè scripserunt, & ut censet S. Hieron. *nostro dogmati in plerisq́ concordant*, in c. 11. Esai. ipsum nomen Zenonem habet authorem, Laërt. l. c. fuitq; Philosophia eorum de moribus divisa in partem δογματικὴν Generalem, καὶ παραινετικὴν Propriam. Seneca epist. 94. & 95. ubi videndus Muretus & Schioppius in Epit. Phil. Moral. Stoicæ.] *quod cur factum sit, probabilis ratio reddi potest.* Vel: *Officia sunt, quæ fiunt, ut decet & convenit*, Simplic. in c. 37. Epictet. vel *quæcunque ratio suadet facere*, ut *Præterofficium, quæ non suadet*, apud Laërt. Estq; vel *Per-*

fectum

fectum κατόρθωμα, *quod omnes Virtutis numeros continet*, Cicero 3. de Finib. *quo corriguntur omnia, quæ potuerunt aliquos lapsus habere*, Ambros. l. 1. Off. cap. 11. ἀπὸ τοῦ κατορθοῦν, à corrigendo: vel Μέσον, *Medium, quod probabili ratione factum defendi potest*, Cic. l. c. & 1. Offic. Nostra Institutio non de Zenonis, sed de Salomonis porticu venit. *Officium Christianum est actio ad normam divini verbi per fidem convenienter Deo, sibi & proximo viventis.* Requisita sunt *1. Norma*, Lex Dei perfecta, quicquid extra hanc suscipitur, Præterofficium est. Vide D. Gerhard. de Bon. Op. c. 5. & 6. *2. Anima*, Fides.

Omne etenim probitatis opus, nisi semine veræ
Exoritur Fidei, peccatum est!

S. Prosper de ingratis, ex Rom. 14. ult. *3. Oculus simplex*, recta intentio, 1. Cor. 10. 31. Matth. 6. 23.

3. *Forma.*

Partium Dispositione cernitur, earum altera agit de statibus, altera de ætatibus hominum: Vel Minervâ subtiliore; Doctrinæ de Officiis Christianis *partes* sunt duæ, *I. Communis*, de officio Christiani, quâ talis est: quod consistit in Rectè credendo & Sanctè vivendo, vide Sir. præf. Prov. 1. 6. Eccl. 12. 13. 1. Joh. 3. 23. D. Stegman. p. 2. Christogn. præfat. *II. Propria* de officio ejus quoad certum statum. *Status* est certa vitæ conditio. Græci videntur σχέσιν appellâsse, definit Simplicius in cap. 28. Epicteti: σχέσις ἐστὶ σύνταξίς τινων πρὸς ἄλληλα, *Status est mutua quorundam coordinatio.*

Estq;

Eſtq́; φυσικὴ ἢ προαιρετικὴ, *Naturalis aut voluntaria. Illa inter Parentes & Liberos: hæc inter Maritum & Uxorem.* Latini dixiſſe videntur μεταφορᾷ à gladiatoribus, qui dicuntur *ſtatum aut gradum ad præliandum componere,* Petron. in Satyr. *in ſtatu ſtare,* Seneca ad Polyb. Plaut. Mil. Glor. *deq́; ſtatu movere,* Laberius apud A. Gell. vide Lipſium l. 2 Saturn. cap. 20. & Wowerен. in Petron. Eſt autem ſtatus hominum varius, non tantùm *fortunæ,* de qua tamen nihil hoc loco agemus, ſequuturi veſtigia D. M. Lutheri, ſed & cumprimis *Ordinis & Ætatis* reſpectu. Reſpectu *Fortunæ,* alii Divites-pauperes, alii Nobiles-ignobiles, alii Sani-ægroti ſunt &c. Reſpectu *Ordinis* ſtatus alius eſt *Theologicus, Doctorum,* Eſai. 58. 1. Ezech. 3. 17. 1. Tim. 3. 1. & c. 4. 10. Tit. 1. 7. 9. & *Auditorum,* 1. Cor. 9. 9. Gal. 6. 6. 1. Theſſ. 5. 12. Sirac. 7. 33. alius *Politicus,* in quo ſunt *Supremi,* Magiſtratus, Deut. 17. 15. Pſalm. 82. 1. Dan. 4. 8. Sap. 6. 3. Rom. 13. 1. Medii, *Officiales* in *pace,* ut qui Juſtitiæ ſerviunt, 2. Paral. 19. 5. Eſai. 3. 2. Deut. 17. 2. Prov. 23. 24. & qui corporum ſalubritati Medici, Sir. 38. 1. 6. &c. in *bello,* Luc. 3. 14. Eſai. 3. 2. infirmi, *Subditi,* Matth. 22. 21. 1. Pet. 2. 13. Alius *Oeconomicus,* in quo quoad primam Vitæ ſocietatem ſunt *Conjuges,* Epheſ. 5. 22. Coloſſ. 3. 18. 1. Pet. 3. 1. quoad ſecundam *Parentes & Liberi,* Epheſ. 6. 1. Sir. 3. 1. quoad tertiam *Domini & Servi,* de quibus Epheſ. 6. 9. Coloſſ. 3. 22. *Ætates* hominum ſeptem vulgò numerantur: *Infans, Puer, Adoleſcens, Juvenis, Vir, Senex, Decrepitus.* Philo de

Mundi Opif. Alia autem est *incipiens*, puerilis, Eccles. 11. 10. Marc. 10. 14. Sir. 30. 1. alia *crescens*, juvenilis, Psalm. 119. 9. Eccl. 12. 1. 1. Pet. 5. 5. alia *stans*, virilis, Gen. 1. 27. Exod. 12. 4. 5. 1. Cor. 11. 2. Gal. 3. 28. alia *decrescens*, senilis, Lev. 19. 32. Psalm. 71. 9. Prov. 20. 29. Sap. 4. 8. Tit. 2. 2. &c. Hæc libelli summa est, etsi de singulis fortè non agemus, Commentarium enim texo, non Systema. Subtiliùs fortè exsequentur, qui διχοτομεῖν amant. Sed *simile confuso est, quicquid usq; in pulverem sectum est*, Seneca Epist. 89. *Nihil in rebus humanis vel utilius vel pulchrius est ordine*, Xenophon de Oeconom. *Apes ergò quodammodo debemus imitari, quæ vagantur & flores carpunt, deindè quicquid attulére, disponunt ac per favos dividunt*, Macrob. præf. Saturn. *Quomodo enim fieri possit, ut non confusione multarum rerum, aut dicentis aut audientis impediatur ingenium*, S. Valerian. hom. 8. in Princ. sed abesse tamen debet *Cura Isocratica*, ut quod in Protogene desideravit Apelles, *manum de tabula tollere* possimus, Plin. 35. c. 10.

4. *Finis.*

1. Παιδεία, *informatorius*, ut quisque discat, quæ sui sint muneris. 2. Ἔλεγχος, *confutatorius*, ut confundantur, qui cum Pyrrhone Eliensi sentiunt, οὐδὲν οὔτι καλὸν, οὔτε αἰσχρὸν, *Nihil reipsâ honestum esse, aut turpe*, Laërt. l. 9. Ita apud Persas incestus, ut docet Sotion, apud Spartanos adulteria, apud Cretenses raptus puerorum erant honesta.

Alex.

Alex. Sard. de Morib. Gent. c. 6. & 11. lib. 1. apud Babylonios publicè proſtabant Virgines nubiles ad Veneris Mylittæ ædem, Baruch. 6. 42. Herodot. &c. Ægyptii omnibus gentibus adverſabantur ſuis moribus adeò, ut lutum manibus ſubigerent farinam pedibus, vide Tzezen in Jamb. & Anaxandridam Comicum apud Athenæum. Sic Pontifex Romanus omnes ordines confuderat: Epiſcopos, quos decebat eſſe *veriſſimos & intrepidos Chriſti prædicatores*, ut habet P. Diacon. de Incarn. Dom. cap. 1. Miſſificatores, imò etiam rerum mundi curatores fecerat; Principes mancipia; qui mutire contrà auſi eſſent, in monaſteria detrudebantur, velut in carceres. Conjugatos diſputabat ſervituti carnis mancipari, vide Joh. Domin. Candelam de Bono Virgin. l. 1. cap. 4. Diaboli retibus involvi, Hieron. Platus l. 1. de Bono Stat. Relig. cap. 4. &c. Hinc varia 3. Ἐπανόρθωσις & uſus *exhortatorius*, ut & 4. Παράκλησις, *conſolatorius*, ut animus in Dei ordinatione & conſcentiæ tranquillitate acquieſcat. Ex quibus utilitas doctrinæ clareſcit. *Nulla enim vitæ pars vacare officio poteſt: in eoq́; colendo ſita vitæ eſt honeſtas omnis & in negligendo turpitudo*, Cicero. 1. Offic. Denique habes hîc *1. Lucernam Vitæ tuæ*, Pſalm. 119. 104. Prov. 6. 23. 2. Pet. 1. 19. & Columnam quaſi Igneam, Exod. 40. 36. Ἐπὶ δὲ γᾶς ἄνθρωποι ἀπῳκισμένον χρῆμα juxta dictum Ecphantis de Regno, *Homines in terra degimus ut in exilio:* Et quidem ſepti Cimmeriis tenebris: Ergò

Exueret Deus ut tetrâ caligine mundum,
Doctrina accendit lumen Apostolicæ,

Prosper in Epigram. *II. Tabulam Domesticam,* ubi exputare poteris quotidiè, quid à Deo acceperis, quem statum, quæ dona, & quomodo usus aut abusus sis? Ne de aliis sollicitus sis. Nam ut ajunt:

Ædibus in nostris quæ prava aut recta gerantur.

De se quisq; rationem reddet Deo, 2. Cor. 5. 10. *Qui mores suos ad seipsum conversus adspicit, non requirit, quod in aliis specialiter reprehendat, sed in seipso, quod lugeat,* Prosper l. 2. de Vit. Contempl. cap. 6. Hinc conscientiæ tranquillitas, contra minas aut mendacia improborum, 1. Joh. 3. 21. Psalm. 139. 1. & 7. 6. *III. Regulam Ordinis,* non Augustiniani, Benedictini; sed Christiani, ab ipso Deo profectam, ab omnibus Sanctis observatam. Ergò, ut ait Ausonius:

Nil dubites authore bono. Mortalia quærunt
Consilium, certus jussa capesse Dei.

Fac tua, quæ tua sunt, Sir. 3. 22.

Noli adfectare, quod tibi non est datum,

Phædrus fab. 57. *Nusquam est, qui ubiq; est,* Seneca Epist. 2. Quiesce igitur, in vocatione mane, 1. Thess. 4. 11. Rom. 12. 7. 1. Cor. 7. 20. Sic aderit divina benedictio, Prov. 12. 11. Sir. 20. 30. Nam

Qui sua rura colit, solet horrea plena tenere,

Venant. Fortunat. de Patient. l. 3.

ME-

MEDITATIO TERTIA,

DE

CHRISTIANISMO.

TEXTUS, I. Joh. 3. v. 25. *Et hoc est præceptum ejus, ut credamus nomini Filii ejus Iesu Christi, & diligamus nos invicem, sicut dedit mandatum nobis.*

EXordium ab Oraculo *Urim & Thummim*, cujus breviter specta Nomen, Rem, Usum. *Nomen* explicatur vel propriè, sic Urim ab *Or* significat inflammationes & illuminationes, Thummim à *Tham*, perfectiones atque simplicitates Arias M. in Aarone: Juxta Aquilam & Theodotionem Lev. 8. 8. φωτισμοὺς καὶ τελειώσεις, Dn. Luthero: Liecht und Recht. Vel μετωνυμικῶς, *Doctrina & Veritas*, à Vulgato, ut à LXX, δήλωσις καὶ ἀλήθεια. Ratio nominis vel ab adjunctis gemmarum, quæ fuerunt splendidissimæ & in suo genere perfectissimæ, vel ab effectis τοῦ λογίου. *Urim dicuntur, quia illustrant, quæ dicunt, Thummim, quia perficiunt*, Thalmud. in Tract. Joma. cap. 7. De *Reipsa* variæ extant sententiæ, 1. est τῶν ἐπεχόντων, qui nescire se fatentur, & explicari non posse sentiunt, ut R. Kimhi! S. August. q.117. in Exod. aliiq;. 2. Eorum, qui putant *non differre* à XII. gemmis Rationalis, quas tamen alii à fulgore & perfectione ut Oleaster & ex nostris D. Marbach. in Ex. cap. 28. alii ab effecto & usu hoc nomen accepisse malunt, quoniam illis

præſentibus & ex illis, conſulentibus doctrina reddebatur veriſſima, ut ait Barrad. Tom. 2. l. 3. c. 46. Cajetanus per hæc nomina duas conditiones intellexit induendi pectoralis, ut ſcilicet absque rugis & aptè ad totum corpus adplicetur. 3. Eorum, qui putant à gemmis *differre*, ſed hîc multa diverticula opinionum ſunt. Quidam *certum* quid fuiſſe definiunt, quidam *incertum* quid, nempè datum divinitùs Moſi, ut rationali inſeretur; ex nominum tamen figura & numero multitudinis intelligi fuiſſe rem multiplici figurâ diſtinctam, claram, lucidam, & ſpeculi inſtar terſam, ut ait Arias M. l. cit. confer Tremell. & Jun. ut & Robert. Steph. ac Vatabl. in Exod. 28. Sed qui certum quid afferunt, mirè variant, alii *Rem* fuiſſe cenſent, ut gemmam decimam tertiam, nominatim adamantem, Suidam in Ephod, ut & Epiphan. de gemm. &c. qui ad proſpera & adverſa nuncianda colorem mutaret, quos ait Auguſtinus fabulari, l. cit. aut laminam geminam, auream & argenteam divinis nominibus plenam, ubi tamen iterum non eodem omnibus placuére, vide Serarium l. 1. Comm. Joſuæ cap. 9. q. 24. Alii ſolam *Scripturam* horum vocabulorum, Urim & Thummim, in pectorali exaratam: quod viſum Hugoni & antè S. Auguſtino, ut & R. Kimhi, Bellarm. l. 4. de R. Pontif. cap. 3. Calvino. Alii *Sculpturam* Aſtrolabii ſimilem, ut R. Aben Esra, aut Angelorum & ſtellarum &c. Non differre à gemmis veriſimillimum, eſtq; doctiorum ferè hodiè ſententia communis, vide, præter Barrad. & Serarium citatos,

etiam Riberam de Templo l. 3. cap. 12. Delrii Disquis. Mag. l. 4. cap. 1. q. 2. sect. 1. &c. quorum curiosissimas & fusissimas Disputationes contraxi, *annum*, ut ajunt, *in mensem*. Si *usum* quærimus, 1. *Oraculum* fuit Populi Judaici, per quod responsa divinitùs reddebantur petentibus, non quidem scripto, ut putabat R. Aben Esra, aut per sortes, ut Hugo, sed partim per gemmarum insolitum fulgorem, partim per internam Sacerdotis aut quærentis inspirationem, partim per vocem Angelicam externam, pro quæsitorum diversitate. 2. *Documentum* Summo Sacerdoti, ut Ephod indutus meminisset *se studiis Veritatis & Doctrinæ inquirendis fuisse consectatum*, Beda, aut, ut ait Radulphus in Levit. *Quia doctrina Veritatis in pectore Pontificis debet esse reposita.* 3. *Typus* Christi Domini unici Aaronis in N. Testamento, qui nobis Lux, Veritas & Sanctitas, vide D. Erasm. Marbach. in Exod. c. 28.

Applicatio & Propositio: Enimverò cùm & Christiani omnes Regale simus sacerdotium, 1. Pet. 2. 9. Apoc. 1. 5. *Omnes enim in Christo regeneratos crucis signum efficit Reges, Sancti verò Spiritus unctio consecrat Sacerdotes*, ait S. Leo M. in serm. par est, ut Urim quoq; & Thummim in corde gestemus, Lumen puta Fidei & perfectionem Charitatis.

Hortator nobis est S. Johannes, cujus Verborum spectabimus *Sensum, Usum.*

I. De Sensu.

Proponit nobis *I. Conjunctas officii Christiani*

 partes.

partes. II. Conjunctionis necessitatem. Ac partes quidem sunt, πιστεύειν καὶ ἀγαπᾷν. Sic S. Martyr Ignatius Epist. 7. *Totum est fides in Deum, & Charitas erga proximum.* Quærunt quidem de hoc loco interpretes,

An aliud Praceptum Dei sit quàm dilectionis? Non putat Augustinus: *Videtis*, inquit, *quia nihil aliud nobis pracipitur, nisi ut diligamus invicem?* Sequitur eum Benedict. Justinian. in h. l. ut sit sensus: Hoc est Præceptum, ut credamus, hanc esse Dei Patris & Filii ejus voluntatem, ut diligamus nos invicem. Ratio expositionis, quia Apostolus utatur numero singulari, hoc est mandatum ejus: Quia credere τῷ ὀνόματι, nomini Christi, est credere ejus voluntati: Quia Præceptum Christi est dilectio, Johan. 13. & 15. Rectiùs tamen sentiunt, qui duo Præcepta proponi putant, Fidei unum, & alterum Charitatis, ut Beda & Commun. Scopus enim est Apostoli, complecti τὰς ἐντολάς, Præcepta Dei, καὶ τὰ ἀρεστά, & placita coram eo, quæ Christianos doceat, exsequi, ℣. 22. præced. Atqui mandata duo sunt, Fidei, additâ Evangelii luce, pertinens ad primam tabulam, de quo Johan. 5. 45. & Dilectionis, in quo est summa secundæ tabulæ, Matth. 22. 38. Deindè & placita duo, credere, Joh. 6. 40. Hebr. 11. ℣. 6. per quod placemus Deo in Filio, in quo ei complacitum, Luc. 2. 14. Matth. 17. 3. & diligere, quod intuitu fidei placet, cùm per se imperfectum & carnis vitiis contaminatum sit. Nam *plenissima Charitas, qua jam non potest augeri, quamdiu*

hîc

hic homo vivit, est in nemine: quamdiu autem augeri potest, profectò illud, quod minus est, quàm debet, ex vitio est, ait S. August. ad Hieron. epist. 29. Hinc Ambrosius: *Carnalis infirmitas operibus impedimento est, sed fidei claritas factorum obumbrat errorem, quæ meretur veniam delictorum*, de Jacob. & Vit. Beat. l. 2. c. 2. Objecta facilè solvuntur. Credere nomini, in nomen, & in nomine Christi æquipollent; sic enim illud *Beth contactus*, quod vocant Hebræi, interpretes alio atque alio modo exponunt. Est autem nihil aliud quàm credere in Christum, Estius h. l. ut 1. Joh. 4. 2. *Nomen enim more Hebræorum pro re ponitur*, Corn. à Lap. h. l. Ἐντολὴν vocat Evangelista, quod versu præced. & seq. ἐντολὰς, & accipitur singulare pro plurali, Lyran. h. l. quia Fides & Charitas ita cohærent, ut alterum sine altero nec præcipi possit nec exhiberi. Nam *Fides sine Charitate Fides est Dæmoniorum, non Christianorum*, August. de Fide & Oper. c. 16. *Qui dicit; novi illum, & non servat præcepta, mendax est*, 1. Joh. 2. 4. quod concedit Bellarminus ex Beda & Oecum. dici verè de *Notitia Amicitiæ*, Oecumenius vocat γνῶσιν τῆς παντελοῦς πρὸς ἵνα ἀνακεφαλαιώσεως, qualis est Fides, non otiosa notitia, sed affectuosa & actuosa.

Primum ergò Christiani est FIDES. Est autem *Fides* Gratiæ Dei in Christo Jesu per Evangelium patefactæ certa & fiducialis apprehensio ad Vitam æternam. *Causa Efficiens Principalis* Spiritus Sanctus, mentitur Pelagius: *Fides, per quam justificor,*

stificor, ex me est, & hoc bonum, ex quo justus vivit, non accepi per gloriam, sed habeo per naturam, S. Prosper ad excerpta Genuens. Dub. 5. Donum enim Dei est, Eph. 2. 8. non ex nobis. *Ministerialis* sunt συνεργοὶ Θεοῦ, 1. Cor. 3. 9. *Instrumentum* vivum & efficax, Verbum Dei, Hebr. 4. 12. quod cor nostrum durum conterit ut malleus, Jer. 23. 29. obstrusum penetrat, ut gladius, Esai. 49. 2. aridum fœcundat ut pluvia, Esai. 55. 10. inq; eo sic disposito ut vivum semen se explicat, Fidei radices agit, operum germina protundit, totumq; agrum humani cordis renovat. Quod contra Swencofeldium ejusq; asseclas Calvin. Pontific. Weigelian. Photinian. Rhatmann. suis locis satis ostenditur. *Actus* denique Notitia, quâ credimus Deum; Assensus, quo credimus Deo; & Fiducia, quâ credimus in Deum, quorum actuum hîc ultimus rectè Anima Fidei appellatur; Est enim Fides propriè λῆψις καὶ κατάληψις, receptio, Joh. 1. 12. apprehensio, Phil. 3. 12. θάρσος, confidentia, Joh. 16. ult. πληροφορία, firmissima persuasio, Rom. 4. 20. πεποίθησις, fiducia, 2. Cor. 3. 4. παῤῥησία, libertas loquendi & agendi cum Deo, Hebr. 4. 16. &c. Undè *objectum* ejus proprium Deus in facie Jesu Christi, quatenus ejus Gloria in Evangelio illuminatur, 2. Cor. 4. 6. vel quod idem, Evangelica promissio de gratia Dei per Christum nobis parta. Obedientia autem, cujus perfecta plenitudo in Dilectione posita est, non forma Fidei, ut putant Photiniani, Pontificii, Calviniani, aliiq;, sed immediatus & inseparabilis *fructus* est.

est. De his in locis suo loco agitur copiosiús. Ex his satis constat, *Fidem Christianam* non esse *Cæcam*; est enim ἐπίγνωσις τῆς ἀληθείας, agnitio veritatis, quæ est secundùm pietatem in spe vitæ æternæ, Tit. 1. 2. 2. Pet. 1. 2. Coloss. 1. 9. Quid credunt, qui nesciunt, quid credant? quorum Fides in Corde Doctorum recubat, in suo meræ tenebræ & nox Cimmeria? Tales sunt *Asinæ pascentes juxta boves*, ut ex Job. cap. 1. ait Lombard. l. 3. dist. 25. sect. 2. Quarum maximus heu inter Christianos proventus! Arabes tandem infernales & asinas & boves auferunt. *Et erit sicut populus, sic sacerdos!* Oseæ 4. 9. Interim tamen Notitia salutaris suum habet modum. Profectus quidem injungitur, 1. Cor. 14. 20. Ephes. 1. 17. Coloss. 1. 11. Sed ad salutem sufficit cognitio Fidei articulorum quoad τὸ ὅτι, quæ in Regula Fidei, in Symbolo, totoq; Catechismo comprehensa, basis est totius Christianismi. *Nihil ultrà scire, omnia scire est*: ait Tertullian. de Præscript. cap. 14. Τὸ διότι linquat Christianus simplicior Fidei Doctoribus & defensoribus: *Nam nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores?* 1. Cor. 12. 29. Quæstiones & *Stultiloquia*, loquar cum S. Hilario ex 10. de Trinit. hæreticorum sunt, dijudicanda ab iis, qui habent Donum discretionis Spirituum, 1. Cor. 12. 10. *Melius est nihil omninò scientem quempiam, ne unam quidem Causam cujuslibet eorum, quæ facta sunt, CUR factum, & credere Deo, & perseverare in ejus dilectione, quæ hominem vivificat, nec aliud inquirere ad scientiam, nisi Jesum Christum,*

Filium

Filium Dei, qui pro nobis crucifixus est, quàm per quæstionum subtilitatem & multiloquium in impietatem cadere, S. Irenæus l. 2. cap. 45. Deindè & illud liquet, Fidem Christianam non esse *Oralem*, non nudam persuasionem, quæ in summo corde fibras agens in ore semper supernatat! Credo! Credo! Non est fides, per quam non cum fiducia accedimus ad Deum & audemus dicere: Pater noster. Non est Fides, per quam non Christus habitat in cordibus nostris. Non est Fides, ubi non est arrhabo salutis, testimonium Spiritus Sancti testantis cum Spiritu nostro, quòd simus filii Dei. Non est Fides, ubi non est balsamum gratiæ divinæ, ubi non adipe & pinguedine repletur anima, ut labiis exultationis os laudet Dominum, & Spiritus exultet in Deo salutari nostro. Habet quidem suos Paroxysmos, & infirma est quoq; sæpè, sed & infirmâ Fide clamamus: *Domine salvum me fac!* Matth. 14. 31. *Salva nos, perimus!* Matth. 8. 25. *Deiq; virtus in infirmitate perficitur*, 2. Cor. 12. 9. Deniq; non est Fides Christiana *infructuosa*. Sicut *corporis vitam ex motu suo dignoscimus; ita Fidei vitam ex operibus bonis*, Bernh. serm. 2. de resurr. Viva ergò & ἀνυπόκριτος Fides est, quæ per Charitatem est efficax, Gal. 5. 6. de qua mox plura.

Alterum Officium Christianum est *Charitas*. Qui *Charitatem non habet, Deum non habet*, Cyprian. de simpl. Prælat. Johannes Evangelista, cùm extremâ senectute, non posset in plura verba vocem contexere, hoc tantùm in collectis dicebat, *Filioli*

lioli diligite mutuum! Tandem auditores tædio affecti, cur idem ſemper loqueretur, interrogârunt: Reſpondit: *Quia Verbum Domini eſt, & ſolum ſi fiat, ſufficit*, Hieron. in Epiſt. ad Epheſ. *Objectum* Charitatis indicet Apoſtolus, cùm ait: ἀγαπῶμεν ἀλλήλους, diligamus alter alterum. Eſt enim Deus & proximus: Nominatur ſolus proximus, quia ejus dilectio ex divina dilectione oritur, eamq; præſupponit, 1. Joh. 4. 19. 20. *Omnis homo, in quantum homo eſt, diligendus eſt propter Deum: Deus verò propter ſemetipſum*, Auguſt. l. 1. de Doctr. Chriſt. c. 27. *Proximi noſtri credendi ſunt omnes homines naturæ noſtræ participes*, Proſper de Vit. Contempl. l. 3. cap. 15. Nam *non cognatio facit proximum, ſed miſericordia*, Ambroſ. in c. 10. Lucæ. Præcipuâ tamen ratione, ut ait S. Valerian. hom. 12. *Proximus tuus eſt omnis homo, qui eâdem tibi eſt Chriſtianitatis lege conjunctus: Proximus tibi eſt, qui ab Eccleſiæ conſortio non videtur alienus: proximus tibi eſt, quicunque eſt proximus Chriſti. Modus* includitur vocabulo ἀλλήλους: mutua enim debet eſſe. Juxta legem, quam Natura cordis tabulis inſculpſit: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris*, Tob. 4. Matth. 7. & exemplo firmavit, γεγόναμεν πρὸς συνεργίαν, ὡς πόδες, ὡς χεῖρες, ὡς βλέφαρα, ὡς οἱ στῖχοι τῶν ἄνω καὶ τῶν κάτω ὀδόντων, ait Antonin. Imp. in Vita ſua l. 1. pag. 11. *Ad mutuam opem facti ſumus, ut manus, ut pedes, ut oculi & ſupercilia, ut ſeries dentium ſuperior & inferior.* Et *ſi ſic amare nos voluerimus*, ait Auguſtinus, *quomodo ſe invicem amant membra cor-*

corporis nostri, perfecta in nobis Charitas poterit custodiri, serm. 15. in l. Quinquag. Hæ sunt conjunctæ Christiani hominis partes.

Necessaria est conjunctio istarum, *non* quidem *ad Salutem*, fallitur Estius, cùm ait: Repetere S. Johannem mandatum fraternæ dilectionis, ut intelligamus, præter Fidei præceptum & *Charitatis præcepta ad salutem esse nobis observatu necessaria.* Necessaria fatemur, sed ad salutem, [ut media nempè, & ut observatio causa habeatur ejus meritoria] negamus, nec ab Apostolo verbulo ullo insinuatur. Dogma Sectariorum, quod Estius carpit, nostrum non est: *Nihil præceptum esse in Evangelio, præter Fidem; Cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera.* Necessitatem enim novæ obedientiæ nos propugnare, non nesciunt Pontificii. Bellarminus l. 4. de Justif. c. 7. ait docere nos: *Opera bona non esse necessaria ad salutem, nisi ratione præsentiæ.* Ergò ratione præsentiæ necessaria docemus ad salutem, ratione efficientiæ tantùm negamus. Modo tamen loquendi isto gravibus de causis abstinemus, vide D. Gerhard. de Bon. Oper. cap. 9. &c. Conjungenda igitur Fidei Charitas 1. *Necessitate mandati*, Deus utrumque exigit, ut credamus & ut diligamus. Fides Evangelii opus & apex. Charitas finis præcepti, non Evangelici, ut sentit in 1. Tim. 1. 5. cum Vatablo Corn. à Lap. sed Legalis & Mosaici, ut Ambros. ibid. & Aug. c. penult. Enchirid. attestantibus Christo Domino, Matth. 22. 38. & S. Paulo. Rom. 13. 10. Gal. 5. 14.

Tamen:

Tamen quia Charitas à Lege præcepto intenditur, ab Evangelio gratiâ acquiritur, rectè à S. Paulino modò *plenitudo Legis & finis præcepti*, Epist. 2. & 5. ad Sever. modò *plenitudo Evangelii* dicitur, Epist. 1. ad Eund. 2. *Necessitate consequentiæ*, aut affecti & adjuncti inseparabilis, Fides enim à Charitate, Charitas à Fide divelli nequit. Ubi Fides intùs animat, ibi Charitas extùs amat. Homo fidelis est arbor inversa, radix in cœlo est Jesus Christus, ex quo vitalis succus; surculus Fides, rami alii sursum protendentes, alii deorsum inclinati, illi fructibus Deum, hi homines exhilarant, fructibus Charitatis. Palmæ similis est, quæ medullam, quam Philo de vita Mosis *cerebrum* vocat, Plinius *cor*, in summo habet cacumine inter ramos: adhæc tot affert commoditates, quot in anno sunt soles, & singulis mensibus singulos protrudit ramos, undè apud Ægyptios picta annum denotabat, Horus Apollo l. 1. Hierogl. cap. 3. vide de ista conjunctione Fidei & Charitatis Dn. D. Gerhard. de Justif. per Fid. th. 183. & seqq. 3. *Necessitate debiti*, aut si mavis proprii: Proprium Christiani est, credere & diligere, utrumq; debet, illud Deo per se, hoc in proximo. Tolle alterutrum, sustuleris totum. Quid est Christianus? Imperante Tiberio cœpit hoc nomen Antiochiæ ex Actor. 11. 26. Tertull. in Apologet. Inditum à Fidei Authore. *A Christo Christiani & sumus & nuncupamur*, Athana 1. Orat. 2. adv. Arian. secundariâ ratione ab unctione, 1. Joh. 2. 27. *unguentum autem gratia spiritualis vocatur, quâ Christus refertus est, quamq; ex*

ple-

plenitudine sua nobis impertivit, ait Theodoret. in Cant. *Christianus quantum interpretatio est, de unctione deducitur: Sed & cùm perperam Chrestianus pronunciatur; nam nec nominis certa notitia est penes vos, de suavitate, vel benignitate compositum est*, Tertull. in Apologet. Est hoc *nomen novum*, Esai. 62.3. & 65.15. interprete Eusebio l. 2. demonstr. Evang. c. 49. & glossâ l. cit. *Nomen bonum*, quod invocatum est, super nos, Jac. 2. 7. Hebraismus: quo vocati & nuncupati sumus, Balthasar Baës ibid. sic Gen. 48.16. Esai. 4. &c. *Nomen gloriosum*, Regium & Sacerdotale, propter unctionem. *Unctio autem invisibilis Spiritus Sanctus est, unctio invisibilis Charitas est*, Augustin. in Epist. Johan. Ergò *si non credimus, Christiani nequaquam sumus*, Salvian. l. 2. de Avarit. at *quomodo dicit, se credere in Christum, qui non facit, quod Christus facere praecepit?* Cyprian. de simpl. Prælat. De debito fidei res clara est! Quomodo Christianum se vocat, qui non credit in Christum? de dilectionis debito vide Rom. 13.8. Debemus id proximo, quia Naturæ depositum est, *omnes homines, quia naturaliter sunt mansueta & communia animalia, diligunt proximos*, Didym. Alex. in 1. Johan. 2. Quid? *nonne videmus omne animantium genus congregatione & concordiâ testari Charitatem?* S. Zeno de Fide, Spe & Charit. Debemus quia Dei tributum, Christi peculium, *Quicquid libet, homo pro Deo perferat, solvi omninò non potest, quod Deus pro homine perpessus est*, Salvian. 2. de Avarit. Jam cogita, quot beneficiis quotidiè ei obstri-

obstrictus fias? Rex est tuus, debes ergò *coronarium*; Propheta, ergò *Evangelium*; Doctor, ergò *didactrum*; Medicus, ergò *sostrum*; Mediator, ergò *proxeneticum*: Tot nominibus ut te expedias, Dilige! 4. *Necessitate periculi*, aut hypotheseos, nam, ut canit Alcimus Avitus,

- *nisi doctrinæ jungatur vita fideli,*
Majores pariet conjuncta scientia pœnas.

Et nisi Fidem sequatur Charitas, nihil est Fides, excussa est & simul cum ea Gratia Dei, Christus Fide receptus, Spiritus Sanctus. Apage insaniam Valentinianorum, τὸ πνευματικὸν in renatis non corrumpi posse, in quibuscunque versetur facinoribus, ut aurum etiam in cœno pulchritudinem suam servat, Iren. l. 1. cap. 1. &c. Vides, quàm necessaria sit istarum partium conjunctio?

II. De Usu.

Facit hæc Doctrina 1. Πρὸς ἔλεγχον Pontificiorum, qui Fidem ita à Charitate divellunt, ut & *fornicarios, molles, adulteros, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces, cæterosq; omnes, qui Lethalia committunt peccata, fideles* credant esse & doceant, juxta Concil. Trident. sess. 6. cap. 15. Ita Christianum ajunt esse, *Qui Jesu Christi veri Dei & hominis salutarem doctrinam in ejus Ecclesia profitetur.* Canisius in opere Catech. cap. 1. *Sunt autem Tria Christianorum genera, Hæretici occulti, mali Catholici, boni Catholici*, Bellarm. l. 3. de Eccl. Milit. cap. 10. &c. At 1. *Apostoli* Chri-

ſtianum furibus, homicidis, facinoroſiſq; contradiſtinguunt, 1. Pet. 4. 15. 1. Cor. 6. 11. 2. *Patres* ſequuntur, rationibus & authoritate propugnantes, non eſſe dicendum Chriſtianum, niſi qui ſit Fide & opere. Audiemus aliquos: *Docet non modò vocari Chriſtianos, ſed & eſſe:* Οὐ γὰρ τὸ λέγειν, ἀλλὰ τὸ εἶναι μακάριον ποιεῖ, *non enim dicere, ſed eſſe beatum facit,* ait S. Ignatius ad Magneſian. Ἄμεινόν ἐστι σιωπᾷν καὶ εἶναι, ἢ λαλεῖν καὶ μὴ εἶναι, *Præſtat tacere & eſſe, quàm dicere & non eſſe: Regnum Dei non eſt in ſermone, ſed in virtute.* Idem ad Epheſ. *Chriſtianiſmus eſt imitatio divinæ naturæ: Si Chriſtianus es, Chriſtum Deum imitare.* Gregor. Nyſſen. περὶ τελειότητος. *Corona eſt nomen Chriſtianum: Chriſtianis igitur factis, velut ardentibus pyropis ſplendeſcat.* Procop. in 66. cap. Eſai. Aug. ſerm. 215. de Temp. Πᾶς χριστιανὸς, ὁ μὴ πλουτῶν πίστει, καὶ ἐλπίδι, καὶ ἀγάπῃ, οὐκ ἐστὶν, ὁ λέγεται, *Omnis Chriſtianus, qui non eſt dives Fide, Spe, & Charitate, id, quod dicitur, non eſt.* Proclus Epiſc. Conſtantinop. ad Armenios. *Magna res eſt ſignum Chriſti, & crux Chriſti, & ideò de iſto tam pretioſo ſignaculo res magna & pretioſa ſignari debet. Quid enim prodeſt, ſi de annulo aureo ſigillum facias, & putridas paleas intùs recondas.* Auguſt. ſerm. modò cit. *Nemo quodcunq; nomen ſine cauſa ſortitur: Sutor ut dicatur, neceſſe eſt, ut calceamenta conficiat. Quis faber vocetur & aurifex, niſi qui peritiam artis & novit & facit? Negotians nuncupatur, qui quod viliùs emit, cariùs diſtrahit. Talibus exemplis cognoſcimus, nullum nomen ſine*

actu, sed omne nomen ex actu causari. Ergò tu quomodo Christianus diceris, in quo nullus Christi actus apparet? Christianus Justitiæ, Bonitatis, Integritatis, Patientiæ, Charitatis, Prudentiæ, Humilitatis, Innocentiæ & Pietatis nomen est. &c. Idem de Vita Christian. *Mendacium est, Christianum se dicere, & opera Christiani non facere.* Ambrosius in Corpore Canon. 20. cavete Fratres. 22. q. 5. *Nomen inane, crimen immane.* Idem de Dignit. Sacerd. c. 3. Salviani ista sunt: *Quid est aliud sanctum vocabulum sine merito, nisi ornamentum in luto? Christianum vocabulum quasi aureum decus est, quo si indignè utimur, fit, ut Sues cum ornamento esse videamur. Christiani esse dicuntur & non sunt, qui per flagitia & turpitudines suas nomen religionis infamant. Cùm hæc sit Christiani hominis fides, fideliter Christi mandata servare, fit absq; dubio, ut nec fidem habeat, qui infidelis est; nec Christum credat, qui Christi mandata conculcat: ac per hoc totum in id revolvitur, ut qui Christiani nominis opus non agit, Christianus non esse videatur.* l. 4. de Gubern. Dei. Paulini sequentia: *Proximus infideli est, qui mortuam sine operibus Fidem vacuo Christiani nomine gerit.* Epist. 20. ad Amand. *Inter Christianum & Gentilem non Fides tantùm debet, sed etiam Vita distinguere, & diversam religionem per diversa opera monstrare.* Idem ad Celantiam.

Pietas abesse Christiano quî potest?
Namq; argumentum mutuum est,

Pietatis eſſe Chriſtianum & Impii
Non eſſe Chriſto ſubditum.

Idem ad Auſon. Alia vide apud D. Gerhard. de Juſtif. l. cit.

2. Πρὸς ἐπανόρθωσιν, *Totus ferè mundus* Petronio videtur *Mimum implere & exercere hiſtrioniam*, in Satyr. Nihil verius, ſi Pſeudo-Chriſtianos noſtros adſpexeris. *Legem legimus, & legitima calcamus: Deum colere nos dicimus, & Diabolo obtemperamus!* Salvian. l. 5. de Gubern. Dei. Lucere debebamus ut luminaria in mundo, Phil. 2. 15. nempè, *Vitâ, converſatione, moribus.* Ambroſ. ibid. uti

Lumina noctivagæ tollit Pharus æmula Lunæ.

Noſter municipatus in cœlis eſt. Tertull. de Coron. Mil. Phil. 3. 19. Statutorum municipalium ſumma, ut Chriſtianus

Sit forma, ſpeculum, lux & imago Dei.

S. Proſper in epigramm. Ratio ipſa dictat, quòd *non faciat Philoſophum pera & pallium, nec Iſiacum linea veſtis & raſura.* Plutarch. de Iſide & Oſyr. Et Chriſtianum faciat ſola nominis extrinſecùs ſuperficies? Indignatur Muſonius: *Athenienſes decreto publico ſanxerunt, ne Ariſtogitonis & Harmodii nomina ſervis indere liceret, qui Hippiam Tyrannum interficere adorſi erant: Cur ergò nos patimur nomen Philoſophiæ illuſtriſſimum in hominibus deterrimis exſordeſcere?* A Gell. l. 9. c. 2. Imò cur nos, inquam, ſanctiſſimum Fidei? Veteres Philoſophi cenſuère, pingendam eſſe imaginem Sapientiæ pro foribus omnium templorum, cum iſto Pacuvii dicto:

Odi

Odi homines ignavâ operâ Philosophâ sententiâ. Idem Gell. aut A Gell. l. 13. c. 8. & Saresber. l. 4. Policrat. c. 6. Hieronymus cùm frequenter tereret Ciceronem, dictum sibi divinitùs refert: Non esse Christianum, sed Ciceronianum! Et Christiani erunt, qui ne Vitâ quidem Ciceronem exprimunt, sed Thersitas, & Rhinopolitanos, ac si juramentum dixissent in Legem ileam Ephesiorum: μηδεὶς ἡμέων ὀνήϊςος ἔςω! *Nemo nostrûm frugi esto!* Quid multa? incidimus in extrema temporum, 2. Tim. 3. 1. 2. & seqq. Instemus ἐυκαίρως ἀκαίρως, clamemus: *Non sufficere Christiano, si partem unam justitiæ impleat, cui utrumque præcipitur.* Paulin. ad Celantiam. Ecce, dicamus! Tu Christianus diceris, & in Deo gloriaris &c. quî igitur doces alium & non teipsum? Rom. 2. 20. Facinus horrendum! propter te blasphematur nomen Dei! *Ecce,* inquiunt, hostes Veritatis, *quales sunt, qui Christum colunt! Talis profectò est secta, quales & sectatores!* Salvian. l. 4. de Gub. Dei. *Officia & feræ sentiunt, nec ullum tam immansuetum est animal, quod non cura mitiget, & in amorem sui vertat.* Seneca 1. de Benef. cap. 3. Leonem gratum legimus apud A. Gell. l. 5. c. 14. Draconem & Pantheram apud Plinium l. 8. cap. 17. Et tu Deo tuo hanc rependis gratiam? Deut. 32. 6. Esai. 52. 5. Ezech. 36. 20. Esto tandem, quod audis? Nam

si re privéris, nec nomen habere mereris. &c.

3. Πρὸς παράκλησιν; Christianum etenim no-

 men

men ubique *infularum loco est*, quod de Philosophia dixit Seneca epist. 14. Fremat orbis & orcus, ad Christi signum conspectum trepidabunt! Salvum habemus conductum! *Christos meos nolite tangere!* Psalm. 105. 15. Participes sumus unctionis Christi, omnia possumus in illo, Phil. 4. 13. Psalm. 45. 8. Oviculæ sumus summi Pastoris, signati signo nominis ejus, non patietur nos sibi eripi: &c. Non ergò frustrà de nomine hoc gloriamur. Gregor. Nyssenus, *Maximum, divinissimum & primum omnium nominum* vocat, de Perfect. Cæsarius Frater S. Gregorii Naz. ut est in Epitaphio ejus; Hoc putabat esse *dignitatis apicem*, Χριστιανὸν καὶ εἶναι καὶ ὀνομάζεσθαι, *esse & dici Christianum:* Omnia reliqua ludum & jocum esse fortunæ: Μόνον δὲ ἴδιον ἀγαθὸν εἶναι καὶ παραμένον ἀσφαλῶς, τὴν εὐσέβειαν, *unum proprium & æternum esse bonum, Pietatem.* Hoc nomen Basilius & Gregorius Naz. ut hic scribit de Laudib. Basilii, *omnibus opulentiis, imò & Gygis annulo & Midæ auro* prætulerunt. Hoc nomine multi Martyres omnia Diaboli tormenta superârunt, vide Euseb. l. 5. hist. cap. 1. Meritò: *Non enim Principis, non terrenæ alicujus potestatis, non Angeli, non Archangeli, sed ipsius omnium Regis nomine dignati sumus.* Chrysost. Hom. 18. in Johann. sed abrumpo potiùs, quàm finio.

MEDI-

MEDITATIO QUARTA,

DE SAPIENTIA CHRISTIANA.

TEXTUS, Johan. 17. v. 3. *Hæc est autem Vita æterna, ut cognoscant te, Pater, qui es ille solus Verus Deus, & quem misisti, Iesum Christum.*

EXordium à lamina aurea, quam tiaræ affixam Pontifex gestabat in fronte, Exod. 28. 36. significat ea Sapientiam Christianam, testibus Origene & Bedâ, confer Lauret. in Silva allegor. vocabulo, Lamina: ratione *dignitatis*; est enim Sapientia summum omnium bonorum, Prov. 3. 15. ut illa ornamentorum fuit Pontificalium: ratione *objecti*; continebat illa lamina Sanctissimum Dei Nomen inscriptum, vel hoc emblema: *Sanctitas Jehovæ!* vide Pelarg. in Exod. & Corn. à Lap. sic Sapientia Christiana Nominis divini præfert Notitiam, Jer. 9. 24. cujus sententiam exprimit Phocylides,

Ne quæso Sophien, vel opes, vel robora jactes,
Unus enim Deus est sapiens, divesq;, potensq;.

Denique ratione *situs*, nam & in fronte & in aurea cordis lamina ferri debet Nomen Dei, Rom. 10. 10.

Propositio. Idipsum explicat Dominus Noster hoc loco, indicans Sapientiæ Christianæ Præstantiam, est enim Vita æterna; Objectum, quod

eſt Deus Pater, & quem miſit, Filius ejus: Situm, in corde puro, & in ipſa quaſi fronte, 1. Joh. 2. 4. Non enim de otioſa notitia loquitur.

Eſt autem in dicto Domini κρύψις, quia ordo verborum naturalis inverſus eſt. Præcedit Prædicatum, ſequitur Subjectum, ut & D. Tarnov. in Joh. p. 2046. obſervavit. Sic ergò jacet naturaliter:

Cognitio Patris, qui eſt ille ſolus Verus Deus, & quem miſit, Jeſu Chriſti, eſt Vita æterna.

In Originali textu paucis nota: Pronomen αὕτη, *hæc eſt Vita æterna*, poſitum videri per Hebraiſmum pro τοῦτο, carent enim Hebræi genere neutro, q. d. hoc eſt Vita æterna, ſeu in hoc conſiſtit; vel etiam, hoc eſt cauſa Vitæ æternæ. Sic Dn. D. Glaſſius in Gramm. Sacra Tract. 1. can. 19. δὲ Maldonatus explicat per γὰρ: *hæc enim eſt Vita* &c. citra tamen neceſſitatem. Denique illud ἵνα, *ut cognoſcant*, εἰδικῶς poni ait D. Tarnovius, non τελικῶς, vide ipſum. Conſiderabimus *Subjectum & Prædicatum.*

I. DE SUBJECTO; Cognitio eſt non quævis, ſed determinata 1. Reſpectu Objecti; eſt autem Objectum Notitiæ ſalvificæ Deus, verùm non omnimodis, ſed ἐν προσώπῳ, in facie Jeſu Chriſti, 2. Cor. 4. 6. ubi gloſſa: *In facie Jeſu Chriſti, id eſt, per Jeſum Chriſtum, qui eſt facies Patris, quia ſine ipſo non cognoſcitur Pater.* Confer Joh. 8. 55. & 14. 7. & 2. Pet. 1. 2. Hinc Cyrillus: *Connexa eſt cognitioni Patris cognitio Filii, atque eo pacto cognitio Dei vivifica eſt: Si verò altera ſeparetur ab altera,*

altera, claudicabit scientia Dei. Vide de Rect. Fide ad Regin. & l. 5. contra Julian. Sic & Ambrosius: *Non Patrem solum verè Deum cognoscere Vita æterna est; sed etiam Christum cognoscere Verum Deum, Verum de Vero, Deum de Deo, Vita est sempiterna.* Lib. 1. in Lucam. Dubium tamen hîc est: 1. An cùm Pater dicitur ille solus Verus Deus, excludantur Filius & Spiritus Sanctus? Affirmant Ariani veteres & novi, de quibus vide Maldonat. h. l. & Dn. D. Tarnovium, p. 2085. adde Barrad. Tom. 4. l. 5. cap. 16. Bellarm. l. 1. de Christo cap. 17. & qui omnium loco erit Dn. D. Gerhard. Exeg. Tom. 1. de Nat. Dei. § 100. Respondent Sancti Patres variè: Summa tamen huc redit; Patrem dici solum Verum Deum, *opponendo Mendacibus Gentium Diis.* Theophylact. in c. 14. Johan. ex Epiphan. hæres. 69. &c. Confirmatur 1. Quia Filius Dei & in ipso textu efficaciter demonstratur esse Verus Deus, & expresse dicitur, 1. Joh. 5. 20. *Ex hoc itaque debes Patris & Filii unitatem agnoscere, quoniam sicut Patrem, ita etiam Filium Scriptura divina Deum Verum non desinet prædicare,* ait Idacius Clarus adv. Varimad. 2. Quia vocabulum ἀληθινὸν opponitur illis, qui non naturâ, sed opinione & cæcitate hominum Dii dicuntur, 1. Cor. 8. 5. 3. Quia *Ordo verborum est, ut te, & quem misisti, Jesum Christum, cognoscant solum Verum Deum*, juxta Augustin. in Joh. Tract. 105. Certè *si Dominus se noluisset etiam Deum intelligi,*

cur addidit, & quem misisti, Jesum Christum, nisi quoniam & Deum accipi voluit? Tertull. aut Novatian. de Trinit. 4. Quia scopus est, ostendere, quomodo det Christus Electis scil. Judæis & Gentibus Vitam æternam ẏ. 2. præc. nempè offerendo illis cognitionem Messiæ, his Dei Veri, quem utriq; ignorabant. 5. Quia si excluderetur hoc loco Deitas Filii, excluderetur similibus *sapientia*, quia Pater dicitur solus sapiens, Rom. 16. 27. & *immortalitas*, quia idem solus immortalis, 1. Tim. 6. 16. Non hoc; quod non negabunt Ariani. Ergò nec illud. Sic Gregor. Naz. apud Maldonat. Deniq; 6. Quia exclusiva μόνον non est exclusiva Subjecti, sed Prædicati. Lyran. h. l. pertinet enim ad ἀληθινὸν: sensus igitur non est: Solus Pater est Verus Deus, sed Pater est ille solus Verus Deus. Vel potiùs: unus, ut μόνος, unitatem significat. Hinc Arabs: *Hæc est Vita æterna, ut cognoscant te, quòd tu es Deus Verus, solus tu, & quem misisti, Jesum Christum*, q. d. non Dii gentium, sed tu & Filius tuus. Sed hîc porrò quæritur: Cur Spiritus Sancti nulla mentio? Placet ex parte Responsum Maldonati: Dominus voluit significare, in quo potissimùm Fides ea, quæ causa hominibus salutis, hoc est Vitæ æternæ esset, versaretur. Benè: Fidei objectum proprium est Christus, quem misit Pater, in qua missione omnia de Christi officio & beneficiis ad Vitam æternam creditu necessaria latent. Deitas Spiritus Sancti, etsi salvo Fidei fundamento nec ignorari nec negari possit, de quo D. Hunnius in fundam. dissen. th.

272.

272. 427. Ejus tamen Fidei, quæ justificat & Vitam æternam in solo Christo apprehendit, definitionem non ingreditur, nisi implicitè, nam Christus à Patre missus à Spiritu Sancto unctus est, ut sit Christus. Hoc voluit Maldonatus, quod contra Bellarminum & alios notandum, vide D. Gerhard. de Justificat. cap. 4. de Fide. sect. 5. ubi de objecto Fidei. Sed pergo:

2. Respectu principii, non enim, quæcunque cognitio ex principiis naturalibus, σύμφυτος ἢ ἐπίκτητος, est Vita æterna, sed supernaturalis illa θεόσδοτος, Divina, Fidei puta, cujus principium Verbum Dei olim prædicatum postea in literas redactum, *ut esset fundamentum & columna Veritatis*, juxta Irenæum l. 3. præfat. Cognitio Dei in Christo mysterium est absconditum, Rom. 16. 25. Coloss. 1. 26. Esse Deum naturâ noscimus: *Deus naturâ noscitur, doctrinâ recognoscitur: naturâ, ex operibus: Doctrinâ, ex prædicationibus* Tertull. 1. adv. Marcion. At esse Deum Patrem & misisse Jesum Christum, naturæ captum excedit. *Ubi* igitur *ratiocinatio defecit, fides subvenit.* Orosius l. 6. adv. Gent. in princ.

3. Respectu connexi, aut formæ potiùs, & animæ. Nam cognitio illa salvifica *non est nuda & speculativa, sed affectuosa & practica*, Corn. à Lap. in c. 8. ad Hebr. ℣. 11. *Quia non intellectu solùm, sed etiam affectu & effectu oportet Christianum cognoscere Deum.* Barrad. Tom. 3. l. 1. cap. 21. *Dei cogni-*

cognitio non unius duntaxat mentis atque intelligentiæ finibus includitur, ſed porrigitur ad voluntatem. Bened. Juſtinian. 1. Joh. 4. ℣. 8. Sic autem Verba Notitiæ apud Hebræos animi affectum conſignificant. Promtum hinc concludere: Ergò Fides, quæ eſt cognitio illa ſalutaris, de qua h. l. teſte Maldonato loc. modò cit. non eſt in ſolo intellectu, ſed & in Voluntate, atque adeò propriè Fiducia cognitioni & aſſenſui ſuperaddita. Satis de Subjecto.

II. DE PRÆDICATO: eſt Vita æterna. Hîc quæritur 1. An Vita æterna h. l. ſignificet ipſam conſummatam Beatitudinem, an ejus inchoationem? & an probari hinc poſſit, conſiſtere illam in viſione Dei & actu intellectus? Affirmant non modò Theologi Scholaſtici, ſed & nonnulli antiquiores Patres apud Maldonat. De cognitione Dei intuitiva explicat locum Auguſtinus, cum illo Lyranus, Carthuſianus, Thomas &c. Argumentum Auguſtini eſt: Quia Chriſtus dicat: *hæc eſt Vita æterna, ut cognoſcant,* non ut credant, l. 2. de Lib. Arb. c. 2. Negent Barrad. Bellarm. Maldonat. & Lorinus, qui aliter literali ſenſu quàm de Fide hæc verba intelligenda negat, in cap. 15. Sap. ℣. 3. Aſſentimur libenter & ſophiſticari dicimus hinc Bellarminum, cùm diſputat: *Fides diſtinguitur contra ſcientiam, & meliùs per ignorantiam quàm per notitiam definitur,* l. 1. de Juſtif. c. 7. Quæris 2. In quo ergò Beatitudo æterna eſſentialiter conſiſtat?

Reſp.

Resp. oculus non vidit! &c. 1. Cor. 2. 9. Patrum tamen pias cogitationes de visione Dei non reprobamus: vide D. Tarnov. q. 6. h. l. p. 2085. Et pertinere hanc visionem ad Essentiam Beatitudinis, per consequentiam ex h. l. patescit. *Est enim una & eadem Beatitudo nostra & Vita æterna, cujus inchoatio est in hac, consummatio in futura Vita.* Id. D. Tarnov. l. c. confer Drr. D. Gerhard. de Vit. Ætern. th. 59. & 119. Jam 3. Dubium est: Quomodo Prædicatum hoc competat Subjecto? Respondet Lorinus, *Fides est Vita æterna, quia à Fide salutis inchoatio est.* Ut sit sensus: *hæc est causa & dispositio ad consequendam Vitam æternam.* Barrad. Sed rectiùs respondemus, Cognitionem salutarem Dei in Christo dici Vitam æternam *1. Causaliter,* quia est instrumentalis causa eam in Christo oblatam apprehendens. *Cognitio Dei*, ait Cyrillus in Joh. l. 11. c. 16. *rectè Vita æterna est appellata, quasi Mater & radix Virtute Naturâq; suâ Vitam æternam pariens.* Est autem ex parte nostra unica & totalis causa. Non tantùm prima in ordine aliarum dispositionum. Nam qui credit, eo ipso, quo credit, Vitam æternam possidet: jure hæreditatis, spe & Fide, quia Christum habet, quia pignus Spiritum Sanctum, Joh. 3. 36. 1. Joh. 5. 11. Patres, cùm docent Fidem esse initium, de renovatione loquuntur, non de regeneratione, aut justificatione, quâ hæreditatem Vitæ æternæ adipiscimur. Sic S. Ignatius: *Principium Vitæ est Fides, finis verò dilectio:*

ambæ

ambæ autem simul junctæ hominum Dei perficiunt, ad Philippens. *Præcedit Fides, timor ædificat, Charitas perficit*, ait Clem. Alex. 1. Strom. *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur*, ait S. Augustinus serm. 22. de V. Apostol. 2. Etiam aliquo modo *formaliter*, nam ut Vita æterna in re ex parte consistit in cognitione Dei ocular i, 1. Cor. 13. 13. 1. Joh. 3. 3. Ita Vita æterna in spe, in cognitione Dei speculari. Ib. &c. Superest, ut explicetur 4. Cur ergò Vita æterna tribuatur soli cognitioni? Quia solâ Fide Justificamur, sine operibus, de quo h. l. Dn. Lutherus Tom. 6. Jen. German. fol. 109. & D. Tarnov. p. 2046. Animadvertit Maldonatus acutissimus Jesuita. Hinc ait: *Eos, qui ex h. l. colligunt Vitam æternam consistere in actu intellectus in visione Dei*, quos dixit esse *magnam Scholasticorum partem & nonnullos Patres*, fermè omnes dicere debuisset, *affines esse errori novorum hæreticorum, qui solá nos Fide justificari dicunt.* Quod tamen subdolè exponit, quasi doceamus, Beatitudinem hujus Vitæ in solo intellectu sitam esse. Nam nos Fidei animam ponimus in Voluntate. Ergò ut Patres rectè colligunt ex h. l. Vitam æternam consummatam consistere in cognitione Dei fruitiva; sic nos quoque non minùs rectè colligimus; inchoationem ejus in præsenti consistere in sola Fide viva & efficaci. Hæc de vero sensu.

Usus

Usus

I. Informatorius, de Christianæ Sapientiæ Natura, Mediis, & κεκτηρίοις sive proprietatibus. 1. De Natura. Sapientia à sapiendo nomen habet. Proprium extat apud Symposium, veterem Poëtam, in ænigm. de Perna.

De fumo facies, sapientia de mare nata est!

Undè S. Bernhardus definit: *Saporem boni*, serm. 85. in Cant. Est enim, ut idem ait de Verb. Apost. *Sapiens, cui quoque res sapiunt, prout sunt.* Græcè σοφία dicitur, vel quasi σαφία; est enim de rebus naturâ suâ clarissimis apud Aristot. 5. Metaph. &c. vel quasi ζοφία, quòd multa sit circa eam caligo vitio humanæ mentis, vide Sirac. 6. 23. & ibid. Tufon. Neapolitan. Multis modis dicitur. Alia enim est *increata* ἀρχέτυπ☉, *Essentialis*, aut *Personalis*, quomodo Filius Dei dicitur Sapientia: Alia *creata* ἔκτυπ☉, Eaq; *Angelica*, aut *humana*. Hæc iterum vel *mala*, ψυχικὴ, δαιμονιώδης, Jacob. 3. 15. vel *bona*, *Naturalis* aut *Supernaturalis*, & quidem hæc *ordinaria*, aut *extraordinaria*. Hanc describit Apostolus singulare donum, 1. Cor. 12. 8. Illa *habitus Fidei* est, aut *habitus defensivus Fidei*, quorũ illa *communis* omnibus Christianis, hæc *propria* Doctoribus. Nos hîc loquimur de Sapientia Christianorum communi, de Fide puta, quatenus est cognitio Dei Patris & Filii ejus, Jesu Christi, ad Vitam æternam. Huic enim & nomen Sapientiæ convenit, 1. Cor. 2. 7. & officium, 2. Tim. 3. 15. & definitio, sive illa per-

pervulgata, quam Patres à Platone receperunt: *Sapientia est rerum divinarum & humanarum causarumq́, quibus ea continentur, scientia:* Sive hæc Scholasticorum: *Sapientia est Deum contemplari non quocunque modo, sed ex dilectione, cum quadam experimentali suavitate & affectu.* Bonavent. in Tract. de Dono Sapient. cap. 1. adde requisita Sapientiæ, vide D. Gerhard. in Exeg. Tom. 1. de Theologia th. 9. Brochm. System. de Theolog. c. 1. sect. 3. & cap. 2. q. 2. &c. *Partes* hujus Sapientiæ ab aliis alio & alio modo proponuntur. Si latè eam spectes, ut complectitur omnia, credenda, speranda, facienda, pars ejus I. est *Theoretica*, quæ de Fide propriè agit, II. *Practica*, quæ de Spe & Charitate. Prior pars est ἀνθρωπολογικὴ, considerans *hominem antè lapsum*, creatum ad Dei imaginem, in statu integritatis: *Post lapsum*, in statu peccati, gratiæ, gloriæ: Θεολογικὴ, considerans *Deum* & *Jesum Christum*, illum quoad *Essentiam, voluntatem, opera*; hunc quoad *Personam & Officium.* Vide D. Nicol. Hunn. de Fundam. Dissens. Calv. à Luther. q. 2. c. 3. toto. 2. Media sunt 1. *Verbi Meditatio*, Sir. 1. 5. 6. & ℣. 33. Coloss. 3. 16. ubi Chrysostomus hom. 9. *Audite, hortor vos omnes, Laici, comparate vobis Biblia, animæ medicamentum. Ne exspectes ullum Doctorem alium, habes Dei eloquia: nemo te docet ut illa. Hoc omnium malorum causa est ignorare scripturas.* &c. Lactantius: *Qui vult sapiens ac beatus esse, audiat Dei vocem, discat justitiam, sacramentum nativitatis suæ nôrit, humanæ* con-

contemnat, divina suscipiat, ut summum illud bonum, ad quod natus est, possit adipisci, l. 3. Instit. in fine. *Sacra Scriptura fons est æthereo de margine scaturiens, de quo quantò ampliùs hauritur, tantò minùs expenditur, & quantò in plures partes derivatur, tantò ampliùs in sensibus augmentatur*, Carol. M. l. 2. de Imaginib. *Sacra Scriptura mentis oculis quasi speculum quoddam opponitur, ut interna nostra facies in ipsa videatur: Ibi enim fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus*, Gregor. M. l. 2. Moral. cap. 1. Sic Jacob. 1. 23. Pingi solet Sapientia cum serpente & speculo. Speculum θεωρίαν notat, cognitionem sui & Dei. *Connexa & quasi concatenata sunt ista duo, ut nisi divinitatis rationem diligenter excusseris, nescias humanitatis*, ait Minutius Felix in Octav. & vicissim: *Ut cognoscere Deum possis, te antè cognosce!* Cyprian. contra Demetrian. Serpens πρᾶξιν, quotidianam renovationem, & prudentiam illam *ut pro capite nostro, quod est Christus, corpus potiùs persequentibus offeramus*, August. l. 2. de Doct. Christ. c. 16. Alterum 2. est *Vitæ emendatio*, qua sine nil prodest scientia. Similes Uriæ, qui sine Pietate docti sunt. Nam, ut ait Thomas in præf. Canon. Epistol. *literas mortis suæ portant viri literati, qui sciunt & docent, & non faciunt.* Gregor. Naz. de Laud. Basilii, ait; eos ἐδὲν τῶν ἑτεροφθάλμων διαφέρειν, nil differre ab iis, qui altero oculo capti sunt. *Nulla est scientia, si utilitatem Pietatis non habet, quia dum bona cognita exequi negligit, sese ad judicium arctius stringit*, Gregor. M. l. 1. Moral. c. 16.

Hinc illud: *Timor Domini est initium Sapientiæ.* Psalm. 111. 10. Prov. 1. 7. & 9. 10. Job. 28. 28. Sir. 1. 16. *Beatus, cui donatum est, habere timorem Dei: Quid enim tam beatificum, quàm hic timor? qui genitor, eruditorq́ʒ Sapientiæ est.* Prosper l. 2. de Vocat. Gent. c. 9. *Rectè vivere à veteribus Sapientibus dictum est* προοίμιον τοῦ φρονεῖν, *Proœmium sapiendi.* Synesius epist. 137.

Namq́ʒ incompositos humano in pectore sensus,
Nec liquida invisit Sapientia, nec Deus intrat,

ex Sap. 1. ℣. 5. Prudentius &c. *Nemo in vas fœtidum unguentum aliquod nobile, aut mel optimum, aut pretiosi quicquam liquoris infundit, &c.* Cassian. Collat. 14. cap. 14. Herodes inter porticum & domum Templi parietem argenteum & januam auream fecisse legitur, super quam suspensus erat gladius aureus his verbis notatus: *Alienus qui accesserit, interficiatur.* Gorionid. histor. p. 148. editus à Münstero. Ita hîc: Scitè ille:

Mutandum tibi propositum est & Vitæ genus,
Intrare si Musarum limen cogitas,

Phædrus l. 3. Fab. Tertium 3. est *Sapientum frequentatio,* Prov. 1. 5. c. 9. 8. c. 15. 31. Sir. 6. 34. c. 8. 9. & 9. 21. Undè R. Chai in carm. Morali apud Buxtorff. in Thesauro, ut verto:

Aures tuas ori applica Sapientium,
Topaziosq́ʒ oculis ab ipsis collige.

Occursus ipse Sapientum juvat, & est aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias. Seneca epist. 94. sed de eo alibi. Ultimum 4. *Dei Invocatio,* Sir.

Sir. 1. 1. Prov. 2. 6. Jacob. 1. 5. Sap. 8. 1. Sir. 39. 6. Impiè ille: *Judicium hoc omnium mortalium eſt, Fortunam à Deo petendam, à ſeipſo ſumendam eſſe Sapientiam*, Cicero de Nat. Deor. l. 3. circa fin. *Sicut nemo à ſeipſo eſt, ita etiam nemo à ſeipſo ſapiens eſſe poteſt, ſed illo illuſtrante, de quo ſcriptum eſt: Omnis Sapientia à Domino Deo eſt:* Beda in cap. 1. Johann. Quod & pagani agnovére: Dii ab Orpheo vocantur σοφίης ἐριλάμπεος ἡγεμονῆες. Phocylides vocat eam θεόπνευστον, à Deo inſpiratam. Plutarchus piè: inter omnia bona inprimis à Deo flagitandam Sapientiam: *Quia neque majus homo accipere, neque dignius dare Deus homini munus poteſt, Veritate*, de Iſide & Oſyride. Superſunt 3. Κριτήρια & Proprietates: De his Jacobi 3. ℣. 17. Eſt autem 1. *Caſta*, quia ſe non ſinit adulterari hominum commentis, aut Cæcæ Rationis commercio: Quia fugit impuros & non reperitur in terra ſuaviter viventium, Job. 28. 12. *Fruſtrà quærit, qui in lectulo ſuo quærit*, Bernhard. ſerm. de 7. don. Sp. S. ex Cant. 3. ℣. 1. quia pudicè & reverenter accedit ad Dei contemplationem, ne opprimatur à gloria: 2. Eſt *Pacifica*, nam *ubi pax eſt, in diſputationibus Veritas & in operibus Juſtitia reperitur*. Sedulius de Rector. Chriſtian. cap. 9. ubi maledictis certantur, *ut ſepiæ atramentum evomunt, quo piſcatorum oculos & retia effugiant*; Greg. Nazianz. Orat. 33. Ibi Sapientia Cœleſtis reperiri nequit. *Pacifica eſt Sapientia deſurſum, quia per elationem ſe minimè à proximorum ſocietate disjungit*, Gregor. M.

p. 3. Pastoral. *3. Æqua* est, modesta, humana & humilis, Prov. 11. 2. Ita enim decet κρούειν τὴν θύραν τῆς ἀληθείας, *pulsare fores Veritatis* ἀφιλαύτως καὶ φιλαλήθως, modestè *sine cæco amore sui, ex studio Veritatis*, Clemens Alexand. l. 8. Stromat. *Fit enim studio præsumptionis & contumaciæ, ut quis magis sua prava & falsa defendat, quàm ad alterius facta & verba consentiat*, Cyprian. contra Epist. Stephani. *4. Suadibilis*, activè & passivè: *Quia oportet non tantùm docere, sed & discere: & idem meliùs docet, qui quotidiè proficit & crescit discendo meliora*, Id. Cyprian. apud August. contra Donatist. cap. 6. Vulgatus addit explicans: *Bonis consentiens*: Non enim quocunque ventulo se moveri sinit, non omnia æquè patitur sibi persuaderi. *5. Plena misericordiâ & fructibus bonis.* Instar apis *ceram portat & mel*, undè accendat *lumen scientiæ* & infundat *saporem misericordiæ*, vide Bernh. serm. 8. in Cant. Denique 6. est ἀδιάκριτος, *non dijudicat* temerè aliorum affectus, vel potiùs non discernit inter personas & ἀνυπόκριτος sincera *sine simulatione.* Hostis est Sapientiæ, qui

Pelliculam veterem retinet, & fronte politus
Astutam vapido servat sub pectore vulpem,

Persius Sat. 5. Sed de his fusiùs agere vetat proposita Brevitas. Addatur huic doctrinæ usus

II. Exhortatorius ad studium Sapientiæ, *1. ab honesto*, nihil enim præstantius, Job. 28. 12. Prov. 3. 13. c. 8. 11. Sap. 7. 7. &c. *Quid est, non dicam in homine, sed in omni cælo atque terra, ratione*

divi-

divinius? quæ cùm adolevit atque perfecta est, appellatur ritè Sapientia, ait Cicero 1. de Legib. Quis non exclamat: *Si tanti vitrum, quanti margaritum?* 2. *à necessario*, Sapientiam investigare Deus præcipit, ipsa hominis institutio suadet, cui Deus ideò *os sublime dedit cœlumq; tueri Jussit*: Cogit divinæ patefactionis ratio, monet miserabilis naturæ nostræ conditio. *Detrahe hoc inæstimabile bonum! non est Vita tanti, ut sudem, ut æstuem. O quàm contemptares est homo, nisi supra humana se erexit!* Seneca præf. l. 1. quæst. Natur. 3. *à facili*, difficilis est Sapientia & facilis. Difficilis quidem per se, sed ut in Dei verbo præstat, & ad salutem sufficit, pieq; quærentibus exposita est, facilem habet accessum. *Non enim per difficiles nos Deus ad beatam Vitam quæstiones vocat, nec multiplici eloquentis facundiæ genere sollicitat: In absoluto nobis & facili est æternitas; Jesum suscitatum à mortuis per Deum credere, & ipsum etiam Dominum confiteri*, Hilar. l. 10. de Trinit. *Profundum fidei si scrutemur, turbulentum est: tranquillum verò, si simplici animo contemplemur: non enim patitur profundum fidei, quod est aqua oblivionis, ut curiosis cogitationibus illud contemplemur: Simplicitate ergò intelligentiæ in ejus aquis navigamus, ut sic ad portum voluntatis Dei perveniamus*, Diadochus de perfect. Spirit. c. 22. Denique 4. *ab utili*, est enim radix Vitæ æternæ, Sap. 15. 3. sed de his vide Clariss. Dn. D. Gerhard. T. 1. Exeg. de Nat. & attrib. Dei, in Procem. ubi commendat Sapientiæ hujus necessitatem, utilitatem, difficultatē.

cognitio non unius duntaxat mentis atque intelligentiæ finibus includitur, sed porrigitur ad voluntatem. Bened. Justinian. 1. Joh. 4. ℣. 8. Sic autem Verba Notitiæ apud Hebræos animi affectum consignificant. Promtum hinc concludere: Ergò Fides, quæ est cognitio illa salutaris, de qua h. l. teste Maldonato loc. modò cit. non est in solo intellectu, sed & in Voluntate, atque adeò propriè Fiducia cognitioni & assensui superaddita. Satis de Subjecto.

II. DE PRÆDICATO: est Vita æterna. Hîc quæritur 1. An Vita æterna h. l. significet ipsam consummatam Beatitudinem, an ejus inchoationem? & an probari hinc possit, consistere illam in visione Dei & actu intellectus? Affirmant non modò Theologi Scholastici, sed & nonnulli antiquiores Patres apud Maldonat. De cognitione Dei intuitiva explicat locum Augustinus, cum illo Lyranus, Carthusianus, Thomas &c. Argumentum Augustini est: Quia Christus dicat: *hæc est Vita æterna, ut cognoscant,* non ut credant, l. 2. de Lib. Arb. c. 2. Negent Barrad. Bellarm. Maldonat. & Lorinus, qui aliter literali sensu quàm de Fide hæc verba intelligenda negat, in cap. 15. Sap. ℣. 3. Assentimur libenter & sophisticari dicimus hinc Bellarminum, cùm disputat: *Fides distinguitur contra scientiam, & meliùs per ignorantiam quàm per notitiam definitur,* l. 1. de Justif. c. 7. Quæris 2. In quo ergò Beatitudo æterna essentialiter consistat?

Resp.

Resp. oculus non vidit! &c. 1. Cor. 2. 9. Patrum tamen pias cogitationes de visione Dei non reprobamus: vide D. Tarnov. q. 6. h. l. p. 2085. Et pertinere hanc visionem ad Essentiam Beatitudinis, per consequentiam ex h. l. patescit. *Est enim una & eadem Beatitudo nostra & Vita æterna, cujus inchoatio est in hac, consummatio in futura Vita.* Id. D. Tarnov. l. c. confer Dn. D. Gerhard. de Vit. Ætern. th. 59. & 119. Jam 3. Dubium est: Quomodo Prædicatum hoc competat Subjecto? Respondet Lorinus, *Fides est Vita æterna, quia à Fide salutis inchoatio est.* Ut sit sensus: *hæc est causa & dispositio ad consequendam Vitam æternam.* Barrad. Sed rectiùs respondemus, Cognitionem salutarem Dei in Christo dici Vitam æternam 1. *Causaliter,* quia est instrumentalis causa eam in Christo oblatam apprehendens. *Cognitio Dei*, ait Cyrillus in Joh. l. 11. c. 16. *rectè Vita æterna est appellata, quasi Mater & radix Virtute Naturâq; suâ Vitam æternam pariens.* Est autem ex parte nostra unica & totalis causa. Non tantùm prima in ordine aliarum dispositionum. Nam qui credit, eo ipso, quo credit, Vitam æternam possidet: jure hæreditatis, spe & Fide, quia Christum habet, quia pignus Spiritum Sanctum, Joh. 3. 36. 1. Joh. 5. 11. Patres, cùm docent Fidem esse initium, de renovatione loquuntur, non de regeneratione, aut justificatione, quâ hæreditatem Vitæ æternæ adipiscimur. Sic S. Ignatius: *Principium Vitæ est Fides, finis verò dilectio:*

ambæ

ambæ autem ſimul junctæ hominum Dei perficiunt, ad Philippenſ. *Præcedit Fides, timor ædificat, Charitas perficit*, ait Clem. Alex. 1. Strom. *Domus Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur*, ait S. Auguſtinus ſerm. 22. de V. Apoſtol. 2. Etiam aliquo modo *formaliter*, nam ut Vita æterna in re ex parte conſiſtit in cognitione Dei oculari, 1. Cor. 13. 13. 1. Joh. 3. 3. Ita Vita æterna in ſpe, in cognitione Dei ſpeculari. Ib. &c. Supereſt, ut explicetur 4. Cur ergò Vita æterna tribuatur ſoli cognitioni? Quia ſolâ Fide Juſtificamur, ſine operibus, de quo h. l. Dn. Lutherus Tom. 6. Jen. German. fol. 109. & D. Tarnov. p. 2046. Animadvertit Maldonatus acutiſſimus Jeſuita. Hinc ait: *Eos, qui ex h. l. colligunt Vitam æternam conſiſtere in actu intellectus in viſione Dei*, quos dixit eſſe *magnam Scholaſticorum partem & nonnullos Patres*, fermè omnes dicere debuiſſet, *affines eſſe errori novorum hæreticorum, qui ſolá nos Fide juſtificari dicunt*. Quod tamen ſubdolè expoñit, quaſi doceamus, Beatitudinem hujus Vitæ in ſolo intellectu ſitam eſſe. Nam nos Fidei animam ponimus in Voluntate. Ergò ut Patres rectè colligunt ex h. l. Vitam æternam conſummatam conſiſtere in cognitione Dei fruitiva; ſic nos quoque non minùs rectè colligimus; inchoationem ejus in præſenti conſiſtere in ſola Fide viva & efficaci. Hæc de vero ſenſu.

Usus

I. Informatorius, de Christianæ Sapientiæ Natura, Mediis, & κριτηρίοις sive proprietatibus. 1. De Natura. Sapientia à sapiendo nomen habet. Proprium extat apud Symposium, veterem Poëtam, in ænigm. de Perna.

De fumo facies, sapientia de mare nata est!

Undè S. Bernhardus definit: *Saporem boni*, serm. 85. in Cant. Est enim, ut idem ait de Verb. Apost. *Sapiens, cui quoque res sapiunt, prout sunt.* Græcè σοφία dicitur, vel quasi σαφία; est enim de rebus naturâ suâ clarissimis apud Aristot. 5. Metaph. &c. vel quasi ζοφία, quòd multa sit circa eam caligo vitio humanæ mentis, vide Sirac. 6. 23. & ibid. Tufon. Neapolitan. Multis modis dicitur. Alia enim est *increata* ἀρχέτυπος, *Essentialis*, aut *Personalis*, quomodo Filius Dei dicitur Sapientia: Alia *creata* ἔκτυπος, Eaq; *Angelica*, aut *humana*. Hæc iterum vel *mala*, ψυχικὴ, δαιμονιώδης, Jacob. 3. 15. vel *bona*, *Naturalis* aut *Supernaturalis*, & quidem hæc *ordinaria*, aut *extraordinaria*. Hanc describit Apostolus singulare donum, 1. Cor. 12. 8. Illa *habitus Fidei* est, aut *habitus defensivus Fidei*, quorũ illa *communis* omnibus Christianis, hæc *propria* Doctoribus. Nos hîc loquimur de Sapientia Christianorum communi, de Fide puta, quatenus est cognitio Dei Patris & Filii ejus, Jesu Christi, ad Vitam æternam. Huic enim & nomen Sapientiæ convenit, 1. Cor. 2. 7. & officium, 2. Tim. 3. 15. & definitio, sive illa per-

pervulgata, quam Patres à Platone receperunt: *Sapientia est rerum divinarum & humanarum causarumq́, quibus eæ continentur, scientia:* Sive hæc Scholasticorum: *Sapientia est Deum contemplari non quocunque modo, sed ex dilectione, cum quadam experimentali suavitate & affectu.* Bonavent. in Tract. de Dono Sapient. cap. 1. adde requisita Sapientiæ, vide D. Gerhard. in Exeg. Tom. 1. de Theologia th. 9. Brochm. System. de Theolog. c. 1. sect. 3. & cap. 2. q. 2. &c. *Partes* hujus Sapientiæ ab aliis alio & alio modo proponuntur. Si latè eam spectes, ut complectitur omnia, credenda, speranda, facienda, pars ejus I. est *Theoretica*, quæ de Fide propriè agit, II. *Practica*, quæ de Spe & Charitate. Prior pars est ἀνθρωπολογικὴ, considerans *hominem antè lapsum*, creatum ad Dei imaginem, in statu integritatis: *Post lapsum*, in statu peccati, gratiæ, gloriæ: Θεολογικὴ, considerans *Deum* & *Jesum Christum*, illum quoad *Essentiam, voluntatem, opera*; hunc quoad *Personam & Officium*. Vide D. Nicol. Hunn. de Fundam. Dissens. Calv. à Luther. q. 2. c. 3. toto. 2. Media sunt 1. *Verbi Meditatio*, Sir. 1. 5. 6. & ℣. 33. Coloss. 3. 16. ubi Chrysostomus hom. 9. *Audite, hortor vos omnes, Laici, comparate vobis Biblia, animæ medicamentum. Ne exspectes ullum Doctorem alium, habes Dei eloquia: nemo te docet ut illa. Hoc omnium malorum causa est ignorare scripturas.* &c. Lactantius: *Qui vult sapiens ac beatus esse, audiat Dei vocem, discat justitiam, sacramentum nativitatis suæ nôrit, humana*
con-

contemnat, divina suscipiat, ut summum illud bonum, ad quod natus est, possit adipisci, l. 3. Instit. in fine. *Sacra Scriptura fons est æthereo de margine scaturiens, de quo quantò ampliùs hauritur, tantò minùs expenditur, & quantò in plures partes derivatur, tantò ampliùs in sensibus augmentatur*, Carol. M. l. 2. de Imaginib. *Sacra Scriptura mentis oculis quasi speculum quoddam opponitur, ut interna nostra facies in ipsa videatur: Ibi enim fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus*, Gregor. M. l. 2. Moral. cap. 1. Sic Jacob. 1. 23. Pingi solet Sapientia cum serpente & speculo. Speculum θεωρίαν notat, cognitionem sui & Dei. *Connexa & quasi concatenata sunt ista duo, ut nisi divinitatis rationem diligenter excusseris, nescias humanitatis*, ait Minutius Felix in Octav. & vicissim: *Ut cognoscere Deum possis, te antè cognosce!* Cyprian. contra Demetrian. Serpens πρᾶξιν, quotidianam renovationem, & prudentiam illam *ut pro capite nostro, quod est Christus, corpus potiùs persequentibus offeramus*, August. l. 2. de Doct. Christ. c. 16. Alterum 2. est *Vitæ emendatio*, qua sine nil prodest scientia. Similes Uriæ, qui sine Pietate docti sunt. Nam, ut ait Thomas in præf. Canon. Epistol. *literas mortis suæ portant viri literati, qui sciunt & docent, & non faciunt.* Gregor. Naz. de Laud. Basilii, ait; eos ἐδὲν τῶν ἑτεροφθάλμων διαφέρειν, nil differre ab iis, qui altero oculo capti sunt. *Nulla est scientia, si utilitatem Pietatis non habet, quia dum bona cognita exequi negligit, sese ad judicium arctius stringit*, Gregor. M. l. 1. Moral. c. 16.

Hinc illud: *Timor Domini eſt initium Sapientiæ.* Pſalm. 111. 10. Prov. 1. 7. & 9. 10. Job. 28. 28. Sir. 1. 16. *Beatus, cui donatum eſt, habere timorem Dei: Quid enim tam beatificum, quàm hic timor? qui genitor, eruditorq́; Sapientiæ eſt.* Proſper l. 2. de Vocat. Gent. c. 9. *Rectè vivere à veteribus Sapientibus dictum eſt* προοίμιον τοῦ φρονεῖν, *Proœmium ſapiendi.* Syneſius epiſt. 137.

Namq́; incompoſitos humano in pectore ſenſus,
Nec liquida inviſit Sapientia, nec Deus intrat,

ex Sap. 1. ℣. 5. Prudentius &c. *Nemo in vas fœtidum unguentum aliquod nobile, aut mel optimum, aut pretioſi quicquam liquoris infundit, &c.* Caſſian. Collat. 14. cap. 14. Herodes inter porticum & domum Templi parietem argenteum & januam auream feciſſe legitur, ſuper quam ſuſpenſus erat gladius aureus his verbis notatus: *Alienus qui acceſſerit, interficiatur.* Gorionid. hiſtor. p. 148. editus à Münſtero. Ita hîc: Scitè ille:

Mutandum tibi propoſitum eſt & Vitæ genus,
Intrare ſi Muſarum limen cogitas,

Phædrus l. 3. Fab. Tertium 3. eſt *Sapientum frequentatio,* Prov. 1. 5. c. 9. 8. c. 15. 31. Sir. 6. 34. c. 8. 9. & 9. 21. Undè R. Chai in carm. Morali apud Buxtorff. in Theſauro, ut verto:

Aures tuas ori applica Sapientium,
Topaziosq́; oculis ab ipſis collige.

Occurſus ipſe Sapientum juvat, & eſt aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias. Seneca epiſt. 94. ſed de eo alibi. Ultimum 4. *Dei Invocatio,*

Sir. 1. 1. Prov. 2. 6. Jacob. 1. 5. Sap. 8. 1, Sir. 39. 6. Impiè ille: *Judicium hoc omnium mortalium est, Fortunam à Deo petendam, à seipso sumendam esse Sapientiam*, Cicero de Nat. Deor. l. 3. circa fin. *Sicut nemo à seipso est, ita etiam nemo à seipso sapiens esse potest, sed illo illustrante, de quo scriptum est: Omnis Sapientia à Domino Deo est:* Beda in cap. 1. Johann. Quod & pagani agnovére: Dii ab Orpheo vocantur σοφίης ἐγλάμπτος ἡγεμονῆες. Phocylides vocat eam θεόπνευςον, à Deo inspiratam. Plutarchus piè: inter omnia bona inprimis à Deo flagitandam Sapientiam: *Quia neque majus homo accipere, neque dignius dare Deus homini munus potest, Veritate*, de Iside & Osyride. Supersunt 3. Κριτήρια & Proprietates: De his Jacobi 3. ℣. 17. Est autem 1. *Casta*, quia se non sinit adulterari hominum commentis, aut Cæcæ Rationis commercio: Quia fugit impuros & non reperitur in terra suaviter viventium, Job. 28. 12. *Frustrà quærit, qui in lectulo suo quærit*, Bernhard. serm. de 7. don. Sp. S. ex Cant. 3. ℣. 1. quia pudicè & reverenter accedit ad Dei contemplationem, ne opprimatur à gloria: 2. Est *Pacifica*, nam *ubi pax est, in disputationibus Veritas & in operibus Justitia reperitur.* Sedulius de Rector. Christian. cap. 9. ubi maledictis certantur, *ut sepiæ atramentum evomunt, quo piscatorum oculos & retia effugiant*; Greg. Nazianz. Orat. 33. Ibi Sapientia Cœlestis reperiri nequit. *Pacifica est Sapientia desursum, quia per elationem se minimè à proximorum societate disjungit*, Gregor. M.

p. 3. Pastoral. *3. Æqua* est, modesta, humana & humilis, Prov. 11. 2. Ita enim decet κρούειν τὴν θύραν τῆς ἀληθείας, *pulsare fores Veritatis* ἀφιλαύτως καὶ φιλαλήθως, modestè *sine cæco amore sui, ex studio Veritatis*, Clemens Alexand. l. 8. Stromat. *Fit enim studio præsumptionis & contumaciæ, ut quis magis sua prava & falsa defendat, quàm ad alterius facta & verba consentiat*, Cyprian. contra Epist. Stephani. *4. Suadibilis*, activè & passivè : *Quia oportet non tantùm docere, sed & discere: & idem meliùs docet, qui quotidiè proficit & crescit discendo meliora*, Id. Cyprian. apud August. contra Donatist. cap. 6. Vulgatus addit explicans: *Bonis consentiens* : Non enim quocunque ventulo se moveri sinit, non omnia æquè patitur sibi persuaderi. *5. Plena misericordiâ & fructibus bonis.* Instar apis *ceram portat & mel*, undè accendat *lumen scientiæ* & infundat *saporem misericordiæ*, vide Bernh. serm. 8. in Cant. Denique 6. est ἀδιάκριτος, *non dijudicat* temerè aliorum affectus, vel potiùs non discernit inter personas & ἀνυπόκριτος sincera *sine simulatione*. Hostis est Sapientiæ, qui

Pelliculam veterem retinet, & fronte politus
Astutam vapido servat sub pectore vulpem,

Persius Sat. 5. Sed de his fusiùs agere vetat proposita Brevitas. Addatur huic doctrinæ usus

II. Exhortatorius ad studium Sapientiæ, *1. ab honesto*, nihil enim præstantius, Job. 28. 12. Prov. 3. 13. c. 8. 11. Sap. 7. 7. &c. *Quid est, non dicam in homine, sed in omni cœlo atque terra, ratione divi-*

divinius? quæ cùm adolevit atque perfecta est, appellatur ritè Sapientia, ait Cicero 1. de Legib. Quis non exclamat: *Si tanti vitrum, quanti margaritum?* 2. *à necessario*, Sapientiam investigare Deus præcipit, ipsa hominis institutio suadet, cui Deus ideò *os sublime dedit cœlumq; tueri Jussit*: Cogit divinæ patefactionis ratio, monet miserabilis naturæ nostræ conditio. *Detrahe hoc inæstimabile bonum! non est Vita tanti, ut sudem, ut æstuem. O quàm contemptares est homo, nisi supra humana se erexit!* Seneca præf. l. 1. quæst. Natur. 3. *à facili*, difficilis est Sapientia & facilis. Difficilis quidem per se, sed ut in Dei verbo præstat, & ad salutem sufficit, pieq; quærentibus exposita est, facilem habet accessum. *Non enim per difficiles nos Deus ad beatam Vitam quæstiones vocat, nec multiplici eloquentis facundiæ genere sollicitat: In absoluto nobis & facili est æternitas; Jesum suscitatum à mortuis per Deum credere, & ipsum etiam Dominum confiteri*, Hilar. l. 10. de Trinit. *Profundum fidei si scrutemur, turbulentum est: tranquillum verò, si simplici animo contemplemur: non enim patitur profundum fidei, quod est aqua oblivionis, ut curiosis cogitationibus illud contemplemur: Simplicitate ergò intelligentiæ in ejus aquis navigamus, ut sic ad portum voluntatis Dei perveniamus*, Diadochus de perfect. Spirit. c. 22. Denique 4. *ab utili*, est enim radix Vitæ æternæ, Sap. 15. 3. sed de his vide Clariss. Dn. D. Gerhard. T. 1. Exeg. de Nat. & attrib. Dei, in Procem. ubi commendat Sapientiæ hujus necessitatem, utilitatem, difficultatē.

MEDITATIO QUINTA,

DE

VITA CHRISTIANA.

TEXTUS. Tit. 2. ℣. 11. *Illuxit gratia Dei salutifera omnibus hominibus; Erudiens nos, ut abnegatâ impietate & mundanis concupiscentiis, sobriè, & justè & piè vivamus in præsenti seculo: Exspectantes beatam illam spem & illustrationem gloriæ Magni Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi.*

EXordium à visione Jeremiæ cap. I. ℣. 13. Vidit ille: Primò *Virgam Vigilantem*, ein wackern Stab / LXX. *βακτηρίαν καρυΐνην*, baculum nuceum: Aquila & Symmachus ut vulgatus, *ῥάβδον γρηγοροῦσαν*. Theodotion, *ἀμυγδαλίνην*, ut Tremellius, baculum amygdali. 2. *Ollam succensam*, λέβητα ὑποκαιόμενον, ein heiß siedend Töpffen. Visio ista indicabat Judæis divinæ vindictæ modum & gradum: Modum; quòd maturrimè sit superventura, quemadmodum amygdalus citissimè floret, mediâ ferè hyeme, Plin. 16. c. 25. undè ab Hebræis *Schaked* dicitur à festinando: Gradum; quòd primùm in virga, deindè in igni furoris. Ita enim *quibusdam gradibus peccantibus tormenta tribuuntur, ut paulatim veniant ad salutem*, Hieron. ibid. Referri & accommodari potest ad duplicem Christi adventum.

tum. In primo ut baculus amygdalinus Aaronis floruit, & ad nos venit in Virga, Psalm. 23. 4. Sic Hieronym. h. l. *Quidam Virgam Vigilantem atque nuceum baculum intelligunt Dominum, de quo dicit Esaias: Exiet Virga de radice Jessæ*, cap. 11. v. 1. At in secundo præcedet eum ignis furoris succensus, Psalm. 97. 3. Tum qui Virgam hoc ævo sequi noluerunt Vigilantem, videbunt illam ferventem, vide Chrysost. hom. 22. ad Pop. Antioch. Qui manus amplecti noluerunt in cruce expansas, incident in manus venientis in nubibus horrendas. Duplex iste adventus, duplex ad piam vitam incitamentum est. Hinc Apostolus utrumque ob oculos ponit, &c. Dicemus

I. De Sensu.

Proscripserat Apostolus Tito *Catalogum Doctrinæ, quid senes, quid anus, quid adolescentulas & juvenes, quid ad extremum servos erudire deberet?* Hieron. in Comm. ad Tit. Addit *αἰτιολογίαν*, & causam impellentem à fine Epiphaniæ Christi Jesu ejusq; salutiferæ gratiæ. Spectabimus *1. Finitum. 2. Fines.*

I. Finitum est Epiphania gratiæ salutiferæ. *Illuxit enim Gratia Dei salutifera omnibus hominibus.* Ubi *subjectum*: Gratia Dei salutifera, circa quod notanda 1. varietas Versionis, apud Hieron. enim est *Gratia Dei Salvatoris*, quasi legerit σωτῆρος pro σωτήριος, sed indè malè infertur ab Adamo Sasbout, periclitari fidem novitiorum Græco-

rum. Nam 1. constanter habent omnes, ἡ χάρις ἡ σωτήριος. 2. Consentit Syrus: *apparuit benignitas, servatrix omnium.* 3. Hieronymus non vertit, nam & in antiqua Versione legebatur Salvatoris, ut apparet ex Com. Ambros. vide etiam Estium. II. Quæstiuncula: *Quæ sit illa gratia?* Theophylactus intelligit remissionem peccatorum: Anshelmus; Baptismum: Hieronymus; Christum ipsum, ut sit abstractum pro concreto. Cassianus: *exindè apparere donum gratiæ novæ cœpit, ex quo Deus, Dei Filius, in mundo natus apparuit.* l. 2. de Incarn. cap. 4. Hinc Cornel. à Lap. Gratia hæc est misericordia & benevolentia Dei omnibus hominibus exhibita in incarnatione Christi. Estius: Gratia Dei ipsa ejus beneficentia est, quam seq. cap. benignitatem & humanitatem ejus appellat. Optimè & simplicissimè Ambrosius: *Donum Dei, quo Veritas nobis unius Dei est manifestata in Christo, ut piâ professione creatorum prædicemus in Trinitatis unitate.* Chrysostomus quoque de Doctrina Christi salutifera explicat, & sequitur eum Oecumen. ut & ex nostris Clariss. Viri D. Calixt. & D. Quistorp. Quæris hinc *III. Quomodo Doctrina Evangelii gratia σωτήριος?* Resp. non sensu Pelagiano, quasi gratia Dei nihil sit nisi doctrina externa dirigens hominem in actionibus suis & commonens; ut rectè reprehendit Estius: sed 1. quia salutem offert. 2. quia cum gratia D[illegible] vivum & efficax organum est [illegible]n effic[illegible]ur δύναμις Θεοῦ εἰς σωτηρίαν, [illegible] Hebr. 2. 3. vide Actor. 13.

26, &

26. & 14. 3. Estius, dum à Pelagio recedere vult, in alium errorem se induit: *Nulla doctrina*, inquit, *auribus admota præstabit, ut sanctè vivamus, nisi Deus hoc ipsum per gratiam suam in nobis efficaciter operetur.* Oppositionis elenchus, quo sæpè Anabaptistæ, aliiq; hoc in puncto, fallunt & falluntur. *Prædicatum* est: Illuxit, Ἐπεφάνη, quo vocabulo Græci usi sunt apparitiones Deorum suorum describturi, propter quas festa quoque instituta τὰ Ἐπιφάνια dicebantur. Retinuit nomen Ecclesia vetus, quæ Epiphaniorum diem instituit, id est, *apparitionem sive manifestationem Dominici Sacramenti*, ut ait Orosius l. 6. cap. 20. celebrari jussit. De quo vide Casaubon. Exercit. 2. ad Baron. Annal. p. 185. edit. Londin. Meminit autem S. Scriptura triplicis Ἐπιφανείας Christi, prima fuit *Carnis*, 1. Tim. 3. 16. 2. Tim. 1. 10. Secunda *Gratiæ*, Tit. 2. 11. & 3. 4. Tertia erit *Gloriæ*, Tit. 2. 12. 2. Tim. 4. 8. Indicatur isto verbo, Manifestationis Gratiæ Divinæ 1. Claritas, 2. Inopinabilitas, 3. Celeritas, 4. Universalitas. Confer Oseæ cap. 6. ℣. 3. Esai. 60. 1. Luc. 1. 79. *Hoc rectissimè apparuisse dicitur, quod subitâ quasi apparitionis luce monstratur: Sicut in Evangelio apparuisse stellam Magis Orientalibus legimus: & in Exodo, apparuit*, inquit, *Mosi angelus in igne flammæ rubi. In omnibus & his & aliis visionibus sacris, hoc utendum & maximè verbo scriptura existimavit, ut apparuisse hæc diceret, quæ insolitâ charitate fulgerent.* Cassianus l. cit. Hinc ad Dubium, quod Estius suggerit; *An ex h. l. probari*

bari possit, singulis quibusq; hominibus Gratiam adesse sufficientem & salutem? Responsio affirmativa. Confirmatur ex vocabulo, illuxit: *Audite, qui estis longè, audite, qui estis propè: Nullis celatum est verbum. Lux est communis. Omnibus illucescit hominibus. Nullus est in verbo Cimmerius.* Clem. Alex. in Protrept. ex objecto, cui illuxit? Omnibus hominibus. Ergò omnes vocantur, ac quantum ad Gratiam Dei per se trahuntur sufficienter & efficaciter. *Universi ad Dei regnum vocamur: Omnes post offensam Patri nostro reconciliandi sumus*, Hieronym. h. l. *Nam si dies omnibus æqualiter nascitur, & si Sol super omnes pari & æquali luce diffunditur; quantò magis Christus Sol & dies verus in Ecclesia sua* [nam de hoc quæritur, quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare? 1. Cor. 5. 12. damnosa curiositas est & damnanda ingratitudo, Dei beneficium nobis collatum dissimulare, & cur aliis negatum sit, rimari. Sinamus in judiciis Dei aliquid occultum esse, quod tamen injustum aut patefactæ voluntati contrarium esse non potest] *lumen Vitæ æternæ pari æqualitate largitur?* Cyprian. l. 4. Epist. 7. Accedit exhortationis Apostolicæ scopus, de quo Theophylact. h. l. & Hieronym. suprà citat. confer D. Calixt. & Quistorp. & inciditur ei nervus, si Gratia Dei non omnibus & singulis illuxisse dicatur. Locus Parallelus est Actor. 17. ℣. 30. Quæ contra Estium & Calvinianos notare operæ pretium est. Quæ objicit ille, facilem habent solutionem, si observes. 1. Gratiam Evangelii jam Apostolorum tem-

tempore omnibus & singulis, quantum satis erat, innotuisse; Coloss. 1. 23. Matth. 28. 28. Marc. 16. 16. 2. Eandem etiam ab initio mundi prædicatam, nunc tamen apparuisse dici, propter diuturnas præcedentium temporum tenebras justo Dei judicio mundo inflictas, Rom. 1. 18. & seqq. Ephes. c. 4. ℣. 18. &c. & propter subitam insolitamq; charitatem.

II. Fines hujus apparitionis non in universum, nec principales, sed qui faciunt ad nostram παιδείαν & eruditionem in Vita piè colenda, sunt *1. ut abnegemus impietatem & mundanas concupiscentias.* Ἀρνησάμενοι, ait Apostolus, quod à gestu recusantium aliquid derivatum videtur, ἀπὸ τοῦ αἴρειν τὰς χεῖρας, &, ut docet Oecumenius, multam præ se fert elongationem, abalienationemq;. Estius putat respici ad eam abnegationem & abrenunciationem, quæ de more fit in Baptismo. De repudio nuptiarum usurpat Homerus Odyss. α. Si Christo desponsari cupimus Proxenetis Apostolis, 2. Cor. 11. 2. Oseæ 2. 19. nuntium Carni & Mundo remittamus, jubeamus Res sibi suas habere. *Sicut quendam adolescentem ferunt post amores meretricios peregrè profectum, abolito amore regressum veteri occurrisse dilectæ; quæ se non interpellatam mirata & se non cognitam rata, rursus occurrens dixerit: Ego sum! responderit ille; sed Ego non sum!* Ambros. l. 2. de Pœnit. c. 10. Per *impietatem* intelligit Ambrosius tenebras erroris Dei ignorantiam, h. l. Bernhard. serm. 11. inter Parvos, incredulitatem, quâ Deus

Deus nec credebatur, nec colebatur: Oecumen. prava dogmata. Propriè complectitur ἀσέβεια omnia peccata in primam tabulam: *Desideria secularia*, inprimis, quicquid est contra secundam. Sunt autem illa, *qui à mundi istius principe suggeruntur & cum seculi hujus nube pertranseunt.* Hieron. Hæc abneganda sunt. Quomodo: Impietas Fide, Cupiditas Charitate. *Abnegabimus Impietatem & mundi concupiscentiam, si pii inveniamur in parentem omnium Deum, profitentes eum in Veritate, quam tradit Evangelium Filii ejus, & ut hujus rei mercedem habere possimus, bona opera faciamus.* Ambrof. h. l.

2. *Ut vivamus sobriè, justè, piè:* Syrus; ut vivamus in sobrietate, & in justitia & in timore Dei. *Pudicè* corpore, *justè* mente, *piè* exspectatione spei beatæ. Hieronym. Imò *sobriè* erga nos, *justè* erga proximum, *piè* erga Deum. Bernh. l. cit. Sic Fulgentius quoque apud Estium: *Quisquis vult ad regnum pervenire Cœlorum, vivat sobrius in semetipso, justitiam servet in proximo, pius perseveret in Deo.* Σωφροσύνη generaliter significat temperantiam & mediocritatem non modò in tactus voluptatibus, sed in omnibus. Σώφρων *eum notat, qui in rebus agendis prudentiam servat, cui mens nullis affectibus, quos Plato amentes consiliarios vocat, ebria, immota manet.* Hemming. h. l. in c. 1. Dictus est enim quasi σῶς τὴν φρένα, *cui sana mens est.* Sic Chrysostomus, & infert: ὁ χρημάτων ἐρῶν, οὐ σώφρων, *avarum non esse sophrona*, sobrium aut prudentem.

dentem. His ergò Virtutibus animum excolamus, & id *in præsenti seculo.* Præsens seculum certamen habet, futurum mercedem. *Oecumen.* Τὰ μὲν τῆδε ἀγώνων ἐστὶ καὶ στεφάνων ὑπόθεσις· Τὰ δὲ ἐκεῖ γερῶν καὶ τιμῶν, ait in eandem sententiam Isidorus Pelus. l. 3. Epist. 60. *Isthic moriamur peccatis, ne illic vivamus in pœnis. Mors enim, quæ secunda dicitur, nihil aliud est, quàm Vita pœnarum.* Paulinus Epist. 26. *Tempus sementis est tempus præsens, & Vita, quam currimus: In hac licet nobis, quod volumus, seminare, cùm ista Vita transierit, operandi tempus aufertur.* Hieron. in c. 6. ad Galat.

3. *Ut exspectemus gloriosum Christi adventum.* Quid! *Beatam illam Spem*, hypallage, pro: Speratam illam beatitudinem, & *adventum gloriæ*, Hebraismus, genitivus adjuncti pro adjectivo; est autem adventus gloriæ secundus ille gloriosus Domini reditus, quo & ipse apparebit in gloria, Matth. 24. 30. & 25. 31. & suos glorificabit, 2. Thessal. 1. ℣. 10. vide hîc D. Quistorpium. *Cujus?* τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν, *Magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi.* Quæris; *quis ille Magnus Deus?* Respondeo, Salvator noster Jesus Christus! Confirmo *1. ex articulo Græco*, qui si de duobus de Patre & Filio distinctis sermo esset, repetendus fuit, ut Col. 2, 2. ubi semel ponitur, argumento est de uno eodemq; subjecto dici, 2. Cor. 1. 3. Gal. 1. 3. Col. 1. 3. *2. ex attributo*, de eo enim sermo est, qui apparitu-rus est in gloria ad judicium. At ille Filius est non Pater, cui ἐπιφάνειαν nulla Novi Testamenti scri-

ptura

ptura tribuit, ut post Estium observavit D. Calixtus. *Venit Christus primò in ignominia, sed secundò veniet in gloria,* Oecumen. Apparuit olim in forma servi, redibit ut Magnus Deus conspiciendus omnibus. Nam nunc sæpè apparet ut parvus & infirmus, non ut *El-Gibbor,* Esai. 9. ℣.6. vide D. Lutherum apud D. Quistorp. *Quomodo?* Pœnitentiâ, filiali fiduciâ, ardenti desiderio, piæ Vitæ studio, Luc. 21. 28. 34. &c.

II. De Usu.

I. Refutatio *Libertinorum*, sentientium per Evangelii Libertatem *licere cuiq; vivere juxta carnis desideria*, adeò, ut & adulteriis & fornicationibus sanctiores fiant mulieres, & nisi se prostituant aliis suæ sectæ hominibus, salvari nequeant, de quibus ex D. Schlüsselburgio Mehlführ. Disp. VI. in Epist. ad Titum, thes. 49. *Pelagianorum*, vires naturales nimis extollentium, quâ ratione Gratia Dei salutifera obscuratur, nam si omnibus illuxit, omnes salute caruerunt, si omnes erudiit, omnes impietati & mundanis desideriis deditι fuerunt. Idem Dn. Mehlführ. th. 59. *Calvinianorum*, contra quos voluntatem Dei antecedentem, & gratiam omnibus expositam, hic locus firmissimè stabilit, vide apud Eund. thes. 52. *Pontificiorum*, Doctrinam de Gratia & remissione peccatorum Evangelicam calumniantium, quasi studium Bonorum operum impediat, de quibus Ibid. thes. 64. Inprimis *Arianorum*

veterum, & recentium, Deitatem Salvatoris nostri impugnantium, vide Ibid. th. 70. & seqq. *Ubi sunt, qui Patre minorem Filium dicunt?* exclamat Chrysostomus hom. 4. h l. addit bene, Magnum in Deo dici non πρός τι *relativè*, aut κατὰ σύγκρισιν, *per Comparationem*, sed ἀπολύτως καὶ ἀσυγκρίτως, *absolutè & incomparabiliter*. Refer huc etiam Nestorianos, contra quos Hieronym. h. l. *Eundem & ante secula & post secula, & ante mundum & post Mariam, imo ex Maria Magnum Deum appellamus Salvatorem nostrum Jesum Christum* Confer Cassian. l. 2. de Incarn. cap. 4. ubi hunc locum explanat. Hæc exsequi pluribus qui volet, poterit, mihi non vacat post Homerum Iliada.

II. Informatio, de Vita Christiana. Nam *Sapientia Mundi Virgo stulta est, quia non est juncta atque subjecta legi atque Sapientiæ Dei, & lucerna ejus facilè extinguitur, quia non habet oleum veritatis, vacua Spiritus Sancti.* Paulin. Ep. 26. Sapientia verò Christiana Virgo prudens est! Matth. 25. 1.

Hinc Dominus cunctos ardentes ferre Lucernas
Admonet: hoc opus est; hæc claræ gloria Vitæ!

Alcimus Avitus ad Fuscin. Soror. ex Luc. 12, 35. Matth. 5. 16. Hujus Piæ Vitæ proponit nobis Apostolus 1. Fundamenta. 2. Incitamenta. Fundamenta, dum ostendit Fugienda, Facienda. *Fugienda* sunt *1. Impietas*, cujus duplex est soboles, πολυθεότης, quæ multos colit Deos, & ἀθεότης, quæ nullum. Utrumq; monstrum Hydra quasi Lernæa

& mul-

MEDITATIO QUINTA, DE
VITA CHRISTIANA.

TEXTUS. Tit. 2. ℣. 11. *Illuxit gratia Dei salutifera omnibus hominibus; Erudiens nos, ut abnegatâ impietate & mundanis concupiscentiis, sobriè, & justè & piè vivamus in præsenti seculo: Exspectantes beatam illam spem & illustrationem gloriæ Magni Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi.*

EXordium à visione Jeremiæ cap. 1. ℣. 13. Vidit ille: Primò *Virgam Vigilantem*, ein wackern Stab / LXX. βακτηρίαν καρυΐνην, baculum nuceum: Aquila & Symmachus ut vulgatus, ῥάβδον γρηγορῶσαν, Theodotion, ἀμυγδαλίνην, ut Tremellius, baculum amygdali. 2. *Ollam succensam*, λέβητα ὑποκαιόμενον, ein heiß siedend Töpffen. Visio ista indicabat Judæis divinæ vindictæ modum & gradum: Modum; quòd maturrimè sit superventura, quemadmodum amygdalus citissimè floret, mediâ ferè hyeme, Plin. 16. c 25. undè ab Hebræis *Schaked* dicitur à festinando: Gradum; quòd primùm in virga, deindè in igni furoris. Ita enim *quibusdam gradibus peccantibus tormenta tribuuntur, ut paulatim veniant ad salutem*, Hieron. ibid. Referri & accommodari potest ad duplicem Christi adventum.

tum. In primo ut baculus amygdalinus Aaronis floruit, & ad nos venit in Virga, Psalm. 23. 4. Sic Hieronym. h. l. *Quidam Virgam Vigilantem atque nuceum baculum intelligunt Dominum, de quo dicit Esaias: Exiet Virga de radice Jessæ*, cap. 11. v. 1. At in secundo præcedet eum ignis furoris succensus, Psalm. 97. 3. Tum qui Virgam hoc ævo sequi noluerunt Vigilantem, videbunt illam ferventem, vide Chrysost. hom. 22. ad Pop. Antioch. Qui manus amplecti noluerunt in cruce expansas, incident in manus venientis in nubibus horrendas. Duplex iste adventus, duplex ad piam vitam incitamentum est. Hinc Apostolus utrumque ob oculos ponit, &c. Dicemus

I. De Sensu.

Proscripserat Apostolus Tito *Catalogum Doctrinæ, quid senes, quid anus, quid adolescentulas & juvenes, quid ad extremum servos erudire deberet?* Hieron. in Comm. ad Tit. Addit ἀπολογίαν, & causam impellentem à fine Epiphaniæ Christi Jesu ejusq; salutiferæ gratiæ. Spectabimus *1. Finitum. 2. Fines.*

I. Finitum est Epiphania gratiæ salutiferæ. *Illuxit enim Gratia Dei salutifera omnibus hominibus.* Ubi *subjectum*: Gratia Dei salutifera, circa quod notanda 1. varietas Versionis, apud Hieron. enim est *Gratia Dei Salvatoris*, quasi legerit σωτῆρος pro σωτήριος, sed indè malè infertur ab Adamo Sasbout, periclitari fidem novitiorum Græco-

rum. Nam 1. constanter habent omnes, ἡ χάρις ἡ σωτήριος. 2. Consentit Syrus: *apparuit benignitas, servatrix omnium.* 3. Hieronymus non vertit, nam & in antiqua Versione legebatur Salvatoris, ut apparet ex Com. Ambros. vide etiam Estium. II. Quæstiuncula: *Quæ sit illa gratia?* Theophylactus intelligit remissionem peccatorum: Anshelmus; Baptismum: Hieronymus; Christum ipsum, ut sit abstractum pro concreto. Cassianus: *exindè apparere donum gratiæ novæ cœpit, ex quo Deus, Dei Filius, in mundo natus apparuit.* l. 2. de Incarn. cap. 4. Hinc Cornel. à Lap. Gratia hæc est misericordia & benevolentia Dei omnibus hominibus exhibita in incarnatione Christi. Estius: Gratia Dei ipsa ejus beneficentia est, quam seq. cap. benignitatem & humanitatem ejus appellat. Optimè & simplicissimè Ambrosius: *Donum Dei, quo Veritas nobis unius Dei est manifestata in Christo, ut piâ professione creatorum prædicemus in Trinitatis unitate.* Chrysostomus quoque de Doctrina Christi salutifera explicat, & sequitur eum Oecumen. ut & ex nostris Clariss. Viri D. Calixt. & D. Quistorp. Quæris hinc *III. Quomodo Doctrina Evangelii gratia σωτήριος?* Resp. non sensu Pelagiano, quasi gratia Dei nihil sit nisi doctrina externa dirigens hominem in actionibus suis & commonens; ut rectè reprehendit Estius: sed 1. quia salutem offert. 2. quia cum gratia Dei, cujus vivum & efficax organum est eam efficit, undè dicitur δύναμις Θεοῦ εἰς σωτηρίαν, Rom. 1. 16. & σωτηρία, Hebr. 2. 3. vide Actor. 13.

26, &

26. & 14. 3. Estius, dum à Pelagio recedere vult, in alium errorem se induit: *Nulla doctrina*, inquit, *auribus admota præstabit, ut sanctè vivamus, nisi Deus hoc ipsum per gratiam suam in nobis efficaciter operetur.* Oppositionis elenchus, quo sæpè Anabaptistæ, aliiq; hoc in puncto, fallunt & falluntur. *Prædicatum* est: Illuxit, Ἐπεφάνη, quo vocabulo Græci usi sunt apparitiones Deorum suorum describturi, propter quas festa quoque instituta τὰ Ἐπιφάνια dicebantur. Retinuit nomen Ecclesia vetus, quæ Epiphaniorum diem instituit, id est, *apparitionem sive manifestationem Dominici Sacramenti*, ut ait Orosius l. 6. cap. 20. celebrari jussit. De quo vide Casaubon. Exercit. 2. ad Baron. Annal. p. 185. edit. Londin. Meminit autem S. Scriptura triplicis Ἐπιφανείας Christi, prima fuit *Carnis*, 1. Tim. 3. 16. 2. Tim. 1. 10. Secunda *Gratiæ*, Tit. 2. 11. & 3. 4. Tertia erit *Gloriæ*, Tit. 2. 12. 2. Tim. 4. 8. Indicatur isto verbo, Manifestationis Gratiæ Divinæ 1. Claritas, 2. Inopinabilitas, 3. Celeritas, 4. Universalitas. Confer Oseæ cap. 6. ℣. 3. Esai. 60. 1. Luc. 1. 79. *Hoc rectissimè apparuisse dicitur, quod subitâ quasi apparitionis luce monstratur: Sicut in Evangelio apparuisse stellam Magis Orientalibus legimus: & in Exodo, apparuit*, inquit, *Mosi angelus in igne flammæ rubi. In omnibus & his & aliis visionibus sacris, hoc utendum & maximè verbo scriptura existimavit, ut apparuisse hæc diceret, quæ insolitâ claritate fulgerent.* Cassianus l. cit. Hinc ad Dubium, quod Estius suggerit; *An ex h. l. probari*

 bari

bari possit, singulis quibusq; hominibus Gratiam adesse sufficientem & salutem? Responsio affirmativa. Confirmatur ex vocabulo, illuxit: *Audite, qui estis longè, audite, qui estis propè: Nullis celatum est verbum. Lux est communis. Omnibus illucescit hominibus. Nullus est in verbo Cimmerius.* Clem. Alex. in Protrept. ex objecto, cui illuxit? Omnibus hominibus. Ergò omnes vocantur, ac quantum ad Gratiam Dei per se trahuntur sufficienter & efficaciter *Universi ad Dei regnum vocamur: Omnes post offensam Patri nostro reconciliandi sumus*, Hieronym. h. l. *Nam si dies omnibus æqualiter nascitur, & si Sol super omnes pari & æquali luce diffunditur; quantò magis Christus Sol & dies verus in Ecclesia sua* [nam de hoc quæritur, quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare? 1. Cor. 5. 12. damnosa curiositas est & damnanda ingratitudo, Dei beneficium nobis collatum dissimulare, & cur aliis negatum sit, rimari. Sinamus in judiciis Dei aliquid occultum esse, quod tamen injustum aut patefactæ voluntati contrarium esse non potest] *lumen Vitæ æternæ pari æqualitate largitur?* Cyprian. l. 4. Epist. 7. Accedit exhortationis Apostolicæ scopus, de quo Theophylact. h. l. & Hieronym. suprà citat. confer D. Calixt. & Quistorp. & inciditur ei nervus, si Gratia Dei non omnibus & singulis illuxisse dicatur. Locus Parallelus est Actor. 17. ℣. 30. Quæ contra Estium & Calvinianos notare operæ pretium est. Quæ objicit ille, facilem habent solutionem, si observes. 1. Gratiam Evangelii jam Apostolorum tem-

tempore omnibus & singulis, quantum satis erat, innotuisse; Coloss. 1. 23. Matth. 28. 28. Marc. 16. 16. 2. Eandem etiam ab initio mundi prædicatam, nunc tamen apparuisse dici, propter diuturnas præcedentium temporum tenebras justo Dei judicio mundo inflictas, Rom. 1. 18. & seqq. Ephes. c. 4. ℣. 18. &c. & propter subitam insolitamq; charitatem.

II. Fines hujus apparitionis non in universum, nec principales, sed qui faciunt ad nostram παιδείαν & eruditionem in Vita piè colenda, sunt 1. *ut abnegemus impietatem & mundanas concupiscentias.* Ἀρνησάμενοι, ait Apostolus, quod à gestu recusantium aliquid derivatum videtur, ἀπὸ τοῦ αἴρειν τὰς χεῖρας, &, ut docet Oecumenius, multam præ se fert elongationem, abalienationemq;. Estius putat respici ad eam abnegationem & abrenunciationem, quæ de more fit in Baptismo. De repudio nuptiarum usurpat Homerus Odyss. α. Si Christo desponsari cupimus Proxenetis Apostolis, 2. Cor. 11. 2. Oseæ 2. 19. nuntium Carni & Mundo remittamus, jubeamus Res sibi suas habere. *Sicut quendam adolescentem ferunt post amores meretricios peregrè profectum, abolito amore regressum veteri occurrisse dilectæ; quæ se non interpellatam mirata & se non cognitam rata, rursus occurrens dixerit: Ego sum! responderit ille; sed Ego non sum!* Ambros. l. 2. de Pœnit. c. 10. Per *impietatem* intelligit Ambrosius tenebras erroris Dei ignorantiam, h. l. Bernhard. serm. 11. inter Parvos, incredulitatem, quâ

Deus

Deus nec credebatur, nec colebatur: Oecumen. prava dogmata. Propriè complectitur ἀσέβειαι omnia peccata in primam tabulam: *Desideria secularia*, inprimis, quicquid est contra secundam. Sunt autem illa, *qui à mundi istius principe suggeruntur & cum seculi hujus nube pertranseunt.* Hieron. Hæc abneganda sunt. Quomodo: Impietas Fide, Cupiditas Charitate. *Abnegabimus Impietatem & mundi concupiscentiam, si pii inveniamur in parentem omnium Deum, profitentes eum in Veritate, quam tradit Evangelium Filii ejus, & ut hujus rei mercedem habere possimus, bona opera faciamus.* Ambros. h. l.

2. *Ut vivamus sobriè, justè, piè:* Syrus; ut vivamus in sobrietate, & in justitia & in timore Dei. *Pudicè* corpore, *justè* mente, *piè* exspectatione spei beatæ. Hieronym. Imò *sobriè* erga nos, *justè* erga proximum, *piè* erga Deum. Bernh. l. cit. Sic Fulgentius quoque apud Estium: *Quisquis vult ad regnum pervenire Cœlorum, vivat sobrius in semetipso, justitiam servet in proximo, pius perseveret in Deo.* Σωφροσύνη generaliter significat temperantiam & mediocritatem non modò in tactus voluptatibus, sed in omnibus. Σώφρων *eum notat, qui in rebus agendis prudentiam servat, cui mens nullis affectibus, quos Plato amentes consiliarios vocat, ebria, immota manet.* Hemming. h. l. in c. 1. Dictus est enim quasi σῶς τὴν φρένα, *cui sana mens est.* Sic Chrysostomus, & infert: ὁ χρημάτων ἐρῶν, οὐ σώφρων, *avarum non esse sophrona*, sobrium aut prudentem.

dentem. His ergò Virtutibus animum excolamus, & id *in præsenti seculo.* Præsens seculum certamen habet, futurum mercedem. *Oecumen.* Τὰ μὲν τῇδε ἀγώνων ἐστὶ καὶ στεφάνων ὑπόθεσις· Τὰ δὲ ἐκεῖ γερῶν καὶ τιμῶν, ait in eandem sententiam Isidorus Pelus. l. 3. Epist. 60. *Isthic moriamur peccatis, ne illic vivamus in pœnis. Mors enim, quæ secunda dicitur, nihil aliud est, quàm Vita pœnarum.* Paulinus Epist. 26. *Tempus sementis est tempus præsens, & Vita, quam currimus: In hac licet nobis, quod volumus, seminare, cùm ista Vita transierit, operandi tempus aufertur.* Hieron. in c. 6. ad Galat.

3. *Ut exspectemus gloriosum Christi adventum. Quid! Beatam illam Spem,* hypallage, pro: Speratam illam beatitudinem, & *adventum gloriæ,* Hebraismus, genitivus adjuncti pro adjectivo; est autem adventus gloriæ secundus ille gloriosus Domini reditus, quo & ipse apparebit in gloria, Matth. 24.30. & 25.31. & suos glorificabit, 2. Thessal. 1. ℣. 10. vide hîc D. Quistorpium. *Cujus?* τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν, *Magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi.* Quæris; *quis ille Magnus Deus?* Respondeo, Salvator noster Jesus Christus! Confirmo *1. ex articulo Græco,* qui si de duobus de Patre & Filio distinctis sermo esset, repetendus fuit, ut Col. 2. 2. ubi semel ponitur, argumento est de uno eodemq; subjecto dici, 2. Cor. 1. 3. Gal. 1. 3. Col. 1. 3. 2. *ex attributo,* de eo enim sermo est, qui appariturus est in gloria ad judicium. At ille Filius est non Pater, cui ἐπιφάνειαν nulla Novi Testamenti scri-

ptura

ptura tribuit, ut post Estium observavit D. Calixtus. *Venit Christus primò in ignominia, sed secundò veniet in gloria,* Oecumen. Apparuit olim in forma servi, redibit ut Magnus Deus conspiciendus omnibus. Nam nunc sæpè apparet ut parvus & infirmus, non ut *El-Gibbor*, Esai. 9. ℣.6. vide D. Lutherum apud D. Quistorp. *Quomodo?* Pœnitentiâ, filiali fiduciâ, ardenti desiderio, piæ Vitæ studio, Luc. 21. 28. 34. &c.

II. De Usu.

I. Refutatio *Libertinorum*, sentientium per Evangelii Libertatem *licere cuiq; vivere juxta carnis desideria*, adeò, ut & adulteriis & fornicationibus sanctiores fiant mulieres, & nisi se prostituant aliis suæ sectæ hominibus, salvari nequeant, de quibus ex D. Schlüsselburgio Mehlführ. Disp. VI. in Epist. ad Titum, thes. 49. *Pelagianorum*, vires naturales nimis extollentium, quâ ratione Gratia Dei salutifera obscuratur, nam si omnibus illuxit, omnes salute caruerunt, si omnes erudiit, omnes impietati & mundanis desideriis dediti fuerunt. Idem Dn. Mehlführ. th. 59. *Calvinianorum*, contra quos voluntatem Dei antecedentem, & gratiam omnibus expositam, hic locus firmissimè stabilit, vide apud Eund. thes. 52. *Pontificiorum*, Doctrinam de Gratia & remissione peccatorum Evangelicam calumniantium, quasi studium Bonorum operum impediat, de quibus Ibid. thes. 64. Inprimis *Arianorum*

vete-

veterum, & recentium, Deitatem Salvatoris nostri impugnantium, vide Ibid. th. 70. & seqq. *Ubi sunt, qui Patre minorem Filium dicunt?* exclamat Chrysostomus hom. 4. h l. addit bene, Magnum in Deo dici non πρός τι *relativè*, aut κατὰ σύγκρισιν, *per Comparationem*, sed ἀπολύτως καὶ ἀσυγκρίτως, *absolutè & incomparabiliter*. Refer huc etiam Nestorianos, contra quos Hieronym. h. l. *Eundem & ante secula & post secula, & ante mundum & post Mariam, imo ex Maria Magnum Deum appellamus Salvatorem nostrum Jesum Christum* Confer Cassian. l. 2. de Incarn. cap. 4. ubi hunc locum explanat. Hæc exsequi pluribus qui volet, poterit, mihi non vacat post Homerum Iliada.

II. Informatio, de Vita Christiana. Nam *Sapientia Mundi Virgo stulta est, quia non est juncta atque subjecta legi atque Sapientiæ Dei, & lucerna ejus facilè extinguitur, quia non habet oleum veritatis, vacua Spiritus Sancti.* Paulin. Ep. 26. Sapientia verò Christiana Virgo prudens est! Matth. 25. 1.

Hinc Dominus cunctos ardentes ferre Lucernas
Admonet: hoc opus est; hæc claræ gloria Vitæ!

Alcimus Avitus ad Fuscin. Soror. ex Luc. 12. 35. Matth. 5. 16. Hujus Piæ Vitæ proponit nobis Apostolus 1. Fundamenta. 2. Incitamenta. Fundamenta, dum ostendit Fugienda, Facienda. *Fugienda* sunt *1. Impietas*, cujus duplex est soboles, πολυθεότης, quæ multos colit Deos, & ἀθεότης, quæ nullum. Utrumq; monstrum Hydra quasi Lernæa & mul-

& multiceps excetra est, quam cùm Filius Dei clavâ verbi sui obtriverit, velut Hercules, cavendum nobis est, ne capita alia succrescant. *Licet enim quædam plerunq; de inanibus fabulis, ut de Vulgaribus aliqua proverbiis, in usum veri ac serii sermonis assumere,* ait Paulinus Epist. 38. Dolendum profectò & hanc & illam etiam in Christi regno grassari! Unum Deum ore profitemur, corde multis adhæremus, alii Baccho, alii Veneri, alii Lucrio, nam avaritia Idolorum servitus est, alii aliis. Tot enim Idola sunt, quot Spei fiduciæ. Timoris & Honoris nostri extra Deum fundi. Quid Atheismus? una inter omnes religiones religio, nulla. Hoc clamat contemptus ille Dei & omnium sacrorum vulgatissimus, hoc tot blasphemiæ in Deum & Divina omnia contortæ. Etiam qui rectissimam Pietatis semitam institisse sibi videntur, ferè claudicant, 1. Reg. 19. 21. Deo in aperto operantur, Impietati in operto. *Væ duplici corde! qui de suo partem faciunt Deo, & partem faciunt Diabolo! Iratus enim Deus, quia ibi sit pars Diabolo, discedit & totum Diabolo linquit, exclamat* Augustinus. Tota abneganda igitur est Impietas. Non debet ager unus diverso semine conseri, Deut. 22. 9. Degeneres aquilæ sunt, quæ pedem unum anserinum habent, & in aquis natant, Matth. 24. 28. Coloss. 3. 1. Non possunt esse σύνναοι Deus Israëlis & Dagon Philistæorum, 1. Sam. 5. 2. Matth. 6. 24. 2. Tim. 2. 19.

2. *Cupiditas*, eaq; triplex, undè plurali numero utitur Apostolus. *1. Carnis*, quæ libidine ac luxuriis dele-

delectatur, cupit ſatiari ſomno, repleri cibo &c. Caſſian. Collat. 4. cap. 11. 2. *Oculorum*, quæ univerſis exuberare copiis concupiſcit, & quotidianis adulantium cuneis appetit conſtipari. Ibid. 3. *Faſtus Vitæ*, qui honoribus & laudibus hominum confovetur. Ibid. *Qui ergò vult mundum vincere, tria iſta vincat, quæ ſunt in mundo, & per hæc illum etiam vincet, qui ſuadendo per ſuperbiam decepit mundum.* Auguſt. l. 3. de Symb. cap. 1. Cupiditas iſta in territorio vitiorum *Metropolis* eſt, quod de avaritia dixit Bias: Φιλαϱγυϱεία τῆς κακίας μητϱόπολις. Hac occupatâ dedent ſe cætera omnia. *Dux* eſt in conflictu inferorum. *Totam autem belli cauſam finivit, qui authorem pugnæ ſuperavit: Inſtruamus ergò Virtutum acies adverſùs paratas ſcelerum legiones, ſed ante omnia adverſùs ipſam, quæ caput eſt belli, hoc eſt, cupiditatem pugnemus: ita non difficilis erit de illa, quam diximus, vitiorum labe victoria, matre captivâ*, ait S. Valerian. hom. 20. hæc fuge, fac iſta: Vive

1. Erga Deum *Piè.* Pietas autem *propriè Dei cultus intelligi ſolet, quam Græci* Ἐυσέβειαν *vocant.* Auguſt. l. 10. de C. Dei cap. 1. Ἐυσέβεια à σέβω, hoc fortè à *Zaba* Hebræorum, quod eſt turmatum convenire, undè & Sabæi dicti videntur. Eadem Religio, *à vinculo pietatis, quòd hominem ſibi Deus religaverit & pietate conſtrinxerit, quia ſervire nos ei ut Domino, & obſequi ut Patri neceſſe eſt.* Lactantius l. 4. cap. 28. Eſt autem *Pietas nihil aliud niſi Dei notio, ſicut Triſmegiſtus veriſſimè definivit, cu-*

jus cognitionis hæc ſumma eſt, ut eum colas. Idem l. 5. cap. 14. *Actus* ejus alii in Scholis dicuntur *eliciti*, proprii & proximi, alii *imperati* remoti ſcilicet, cùm aliarum Virtutum actus ad Dei gloriam dirigit. Eſt enim Regina & Imperatrix omnium. *Omnes Virtutes ſunt Virgines, pulcherrima autem eſt & velut in choro ducatum exercet Pietas cum Juſtitia.* Philo de Præm. & Pœn. Hinc Petronius:

- - - ô Maxima rerum,
Et meritò Pietas homini tutiſſima Virtus.

Objecta tamen, ut Leges Divinæ in prima tabulà indicant, præcipuè tria habet, *Cor* reverentiæ, *Os* laudi, & *Aurem* obedientiæ dedita. *Exercitia* præcipua ſunt, ſi primùm objectum ſpectes, *Cordis vacatio* & quaſi Sabbathiſmus, Eſai. 30. 15. Pſalm. 46. 11. *Humilis reſignatio*, ſacrificium voluntatis ſuæ, imò totius ſui Deo acceptiſſimum, 1. Sam. 3. 18. 2. Sam. 15. 26. Matth. 26. 39. Judith. 8. 17. *Divinæ præſentiæ cogitatio*, Μνημονευτέον τοῦ Θεοῦ μᾶλλον, ἢ ἀναπνευστέον, ſæpiùs de Deo cogitandum, quàm reſpirandum, ait Gregor. Nazianz. 1. de Theolog. Etenim, juxta Juvencum:

Nil abſente Deo loquimur, nihil abdita clauſum
Pectoris antra tegunt, Cernit Deus omnia præſens.

Et ut habet Prudent. in Cathemer.

Speculator adſtat deſuper,
Qui nos diebus omnibus
Actusq́ noſtros proſpicit,
Abusq́; mane ad veſperam!

Adde *rectam* in omni opere *intentionem*, 1. Cor. 10. 31. Co-

31. Coloss. 3. 17. Pietas enim est *fundamentum omnium Virtutum*. Ambros. 1. offic. c. 27.

- - *stabilem optima facta*

Dant animum, majorq; piis audacia cœptis!

Valer. Flacc. l. 2. Argonaut. ℣. 263. adde *Dei sedulam imitationem*, Matth. 5. 48. 1. Joh. 3. 3. 1. Pet. 1. 15. &c. Fons autem omnium Dei filialis Timor & fiducialis Amor. Seges magna, sed non hîc mihi metenda. Ad Secundum pertinet *Oratio* eaq; omnimoda, Ephes. 6. 17. Phil. 4. 6. 1. Tim. 2. 1. Ad Tertium *Verbi Divini Meditatio*, *Sacramentorum usurpatio, ipsa denique fidei professio*. Nam corde credendum, ore facienda est professio & opere. Undè Persea arbor apud Ægyptios Isidi sacra, quòd folia linguæ, fructus cordis speciem haberent. Plutarch. de Iside & Osyr. Nec alia de causa Judæi in festivitate tabernaculorum & in sacrificiis ramos gestabant in manibus, ex quibus Perseæ poma dependebant, teste Josepho, vide Caussin. in Horum p. 132. Hæc qui observârit, Pius erit!

2. Erga proximum *justè*: Justitiæ leges sunt: Honestè vivere, neminem lædere, suum cuiq; tribuere: Vel illa unica: *Quod tibi fieri non vis, alteri non feceris*. Quam sententiam Alexander Severus usque adeò dilexit, ut & in Palatio & in publicis operibus perscribi juberet. Lamprid. in Vita. Ita Justitia hæc Dilectionis filia, sine qua mera histrionia est, proximi honorem, vitam, pudorem, opes, famam & omnia bona quasi muro ambit & defendit.

dit. Meritò dicta *Domina & Regina Virtutum* Cicer. 3. offic. Quam ubi

- - omnes cupida de mente fugârunt,
Perfudêre manus fraterno ſanguine fratres,
Deſtitit extinctos natus lugere parentes &c.

Denique ut verbo abſolvam [Catull. de Nupt. Pelei &c.]

Omnia fanda, nefanda, malo permiſta furore.

3. Erga teipſum *Sobriè*, ut ſtudeas cordis tui caſtitati & munditiæ, non à Venereis modò, ſed ab omnibus illecebris. *Nam ut corporum immundus eſt amor, ita & opum*, & hic quidem τυραννικώτερος, ut hîc docet S. Chryſoſt. hom. 5. ad Titum. *Qui cum uxore legitimè conſueſcit, à nemine reprehenditur, etiamſi non abstineat usque ad ſenectutem; qui verò opibus deditus eſt, ab omnibus*, inquit Chryſoſt. vid. locum. Pulcherrima eſt Caſtitas corporis, *quæ roſæ inſtar in medio animæ & corporis floret, & univerſam domum odoris fragrantiâ replet*, ut ait Ephrem. ſerm. de Caſtit. Sed incomitata ne veniat. Venuſtè S. Bernhardus: *Caſtitas ſine charitate lampas eſt ſine oleo. Subtrahe oleum, lampas non lucet. Tolle charitatem, Caſtitas non placet*, ad Henr. Archiepiſc. Epiſt. 42. Porrò opus eſt ad comparandam cordis munditiam crebrâ 1. Sui in ſeipſum *introverſione*, Eſai. 46. 8. 2. Cor. 13. 5. Pſalm. 77. 7. 2. à creaturis *averſione*, nam ſi creatura non è corde extat, Deus, à quo omnis puritas, non introibit. Taulerus &c. 3. ad Deum *converſione*, per fidei amplexum, Actor. 15. 9. Jac. 4. 7.

Campus

Campus ad dicendum ſpatioſiſſimus, ſed decurrere non eſt mei inſtituti.

III. Exhortatio, Incitamenta duo ſunt: Apparitio Domini 1. Gratioſa. 2. Glorioſa. *De Priore* vide Rom. 13. 12. 13. 1. Pet. 2. 10. 11. 1. Joh. 2. 8. 9. Illuſtrat Chryſoſtomus à Simili ſervi nequam: cui & præteritas noxias, easq́; nec paucas nec parvas condonârit Dominus, & futuras cavere dederit, adhæc donis innumeris & præſtantiſſimis cumulato; quem profectò, niſi Domino deinceps frugi ſit, bipedum ingratiſſimum eſſe oporteat. Accedit periculum graviſſimum. Nam ad nuptias vocati, niſi veſtem nuptialem attulerimus; in vineam Domini vocati, niſi induſtriè laboraverimus; in Regis thalamum vocati, niſi nos intùs exornaverimus; ejiciemur. *De Poſteriore* Eccl. 12. 15. Apoc. 14. 7. Luc. 21. 34. Actor. 17. 30. 1. Theſſ. 5. 8. 1. Pet. 4. 7. &c. Terreat te terribile tribunal! de quo Fortunatus:

Tunc ibi quis terror Cœlo aſſiſtente Senatu?
Quid dicturæ animæ judicis in facie?
Mox aut pœna manet miſeros, aut vita beatos,
Quisq; ſuæ vitæ ſemina jacta metet.

Excitet beata illa ſpes, promiſſaq; gloria. Vide, ut curratur, ut certetur pro corona marceſſibili! 1. Cor. 9. 25. at nos *non creſcentem, ſed à Deo æternis floribus vividam ſuſtinemus*, Minutius Felix in Octavio. Extimulet adventus ipſe Magni Dei, qui *ſicut impiis & peccatoribus formidabilis, ita piis & juſtis vehementer optabilis* erit, ut ait h. l. Eſtius.

Sicut enim Impietas Magni Dei reformidat adventum: Sic secura de opere suo & de fide illum Pietas præstolatur. Hieron. h. l. Multa amplificando & expoliendo huic argumento subministrabit Dn. D. Gerhard. de Extr. Judicio cap. 10.

MEDITATIO SEXTA,

DE

OFFICIO PASTORUM PRIOR.

TEXTUS, 2. Tim. 4. ℣. 1. *Testificor coram Deo & Iesu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos, & per adventum ipsius & regnum ejus. v. 2. Prædica verbum, insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina. v. 3. Erit enim tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt. v. 4. Sed ad sua desideria coacervabunt sibi Magistros, prurientes auribus, & à Veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.*

EXordium. Jacobus Orrhohaita, Syrus, Magni Ephremi Doctor, Noham, refert, ossa Adami in diluvio religiosè ad se in arcam recepisse, & postea cum orbe terrarum inter tres filios suos divisisse, ita ut Semo cum Judæa calvariam donârit. Hinc credi-

crediderunt pii veteres, Adami calvariam in morte Calvariæ ſepultam fuiſſe, ubi crucifixus eſt Dominus, ut *ſecundi Adami ſanguis, de cruce ſtilians, primi Adami peccata dilueret*, ut ait Hieron. ad Paul. Euſtoch. & Marcell. Tres Nohæ filii trium Hierarchiarum videntur fuiſſe Principes, Semus quidem Eccleſiaſticæ, Japhetus verò Politicæ, & Chamus Oeconomicæ, Gen. 9. 25. 27. Hos inter meritò caput cum cerebro datur Semo, cor cum pectore Japheto, hepar cum abdomine Chamo. Summa enim Eccleſiaſtici ſtatus eſt Neceſſitas, Dignitas, Utilitas, Difficultas. Vide D. Gerhard. de Miniſt. Eccleſ. §. 3. *Sacerdotium eſt omnium humanorum bonorum apex*. S. Ignatius ad Smyrnens. *Quantò anima corpore eſt præſtantior, tantò ſacerdotium regno excellentius.* Clemens Rom. l. 2. Conſtit. Apoſtol. c. 34. Τῶν κατὰ τὸν κόσμον ἀξιωμάτων, κρείττονα τὰ πνευματικά, Patres Conſtant. Concilii in Trullo cap. 7. Sed *ars artium eſt & diſciplina diſciplinarum, hominem vel regere, vel imbuere.* Greg. Naz. in Apologia interp. Ruffino. Quò deploranda magis mundi ſtultitia, obvio cuiq; hanc provinciam demandare. *Itane lanam quærit ovis à capra? molendinum aquam à furno?* Bernhard. epiſt. 87. Exſecranda verò temeritas eorum, qui non expendentes. - *quid valeant humeri?* involant quibuscunque modis. Rati hunc ordinem ſacrum πορισμὸν, 1. Tim. 6. 5. ἀφορμὴν βίου, Nazianz. in Apolog. & quaſi *cornu Amalthea* eſſe, Syneſius Epiſt. 154.

De Officiis Ministrorum Ecclesiæ itaq; agemus, de quibus vide D. Gerhard. l. cit. cap. 6. &c. Breviter Hieronymus in c.2. Malach. Quia Sacerdotes veteris Legis ex victimis acceperint pectusculum, linguam, & ventriculum, oportere eos esse Verbi Concionatores, Veritatis Confessores, Sacramentorum Dispensatores. Rabanus l.3. in Eccles. cap.10. *Officium Doctoris in Ecclesia est, ut auditores suos per rectam doctrinam simul instruat, & per bona exempla.* Verbo: *Sanctè vivere debet propter exemplum, & docere propter administrationis suæ officium.* Prosper l.1. de Vit. Contempl. cap.20. Gemina hæc ejus stola est, *unicolor Veritatis, & versicolor Virtutum.* Philo de Temulent. p.220. Nunc primam ei induemus: Considerabimus autem Apostoli 1. Obtestationem. 2. Exhortationem. 3. Confirmationem.

I. Obtestatio.

Tam sollicitè, inquit Ambrosius h. l. mandat inviolatè prædicandum Dei donum, ut cum testatione Dei Patris & Christi Filii ejus hoc moneat curandum. Ut ita *& exhortatio fieret gravior, & commendaretur summa divini verbi salubritas ac necessitas.* Oecumen. h. l. *Denuncio tibi,* inquit, in conspectu & *corám* testibus *Deo Patre,* qui morte Filii, *& Jesu Christo,* qui proprio sanguine Ecclesiam sibi comparavit, *quiq; judicaturus est vivos,* quos deprehendet in die novissimo, & jam olim antè *mortuos* [vide h. l. Estium, & D. Gerh. de Extr. Jud.] in

in quo judicio quoque mercenarios ſuos æterno ſupplicio, at fidos paſtores gloriâ & honore afficiet, 1. Pet. 5. 2. 3. Idq; *in apparitione ſua & regno:* [κατὰ pro ἐν Græca Scholia & Syrus] his tibi quaſi teſtibus conteſtor teq; adjuro, juxta Theophyl. & Anshelm., ut officio tuo cum ſumma fide fungaris. O verba non cedro, ſed cordi omnium Eccleſiæ Paſtorum inſcribenda! *Quis ſub tanta teſtificatione ſegnis eſſe audeat?* ait Auguſtin. l. 1. contra Creſcon. cap. 6.

Nam quem non extimulent 1. Apoſtolica abjuratio? 2. Dei Patris ſevera comminatio, Ezech. 3. 21. de manu veſtra requiram. Cur de manu? quia occidiſtis. *Tot enim homines occidimus, quot ad mortem ire quotidiè tepidi & tacentes videmus,* Gregor. M. epiſt. 114. 3. Dei Filii futurum judicium, Luc. 19. 17. &c. & 4. Mercenariorum ſupplicium. Nam *Sacerdotes pro populorum iniquitate damnantur, ſi eos aut ignorantes non erudiunt, aut peccantes non arguunt,* Iſidorus l. 3. de Summ. B. cap. 46. Et *quid proderit & non puniri ſuo, qui puniendus eſt alieno peccato?* Proſp. de Vit. Contempl. l. 1. c. 20. Heu nihil! totus contremiſco! *Si pro ſe unusquisq; vix poterit in die judicii rationem reddere, quid de Sacerdotibus futurum eſt, à quibus ſunt omniũ animæ requirendæ?* Aug. ſerm. 7. l. Quinquag.

II. Exhortatio.

In qua ſpectandum 1. Quid? 2. Quomodo? *Quid? Prædica verbum.* Eſto Præco verbi, & quidem

dem

dem *Hujus*. Ita enim in Ambrosiano: Prædica hoc verbum, de quo modò cap. præced. 3. ℣. ult. Hoc depositum custodi, 1. Tim. 1. 14. & c. 6. 20. *Quid est depositum? id quod tibi creditum est, non quod à te inventum: quod accepisti, non quod excogitâsti: rem non ingenii, sed doctrinæ: non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis*. &c. Vincent. Lirin. contra Novat. Ergò ὐδὲν ἄνευ γραφῆς, Nihil sine Scriptura! juxta dictum Petri Apostoli apud Clement. *Hæc est thesaurus nullo bono carens, omnibus bonis redundans, ad quem quisquis devotus accedit, quicquid fideliter quærit, feliciter se acquisisse gaudet*, Carol. M. l. 2. contra Synod. Græcor. cap. 30. *Quicquid Doctor profitetur & animarum nutritor, nisi de utroq; Testamento docuerit auditores ab uno omnipotenti Deo processisse, homicida est animarum*, Aponius in Cant. lib. 6. *Sic* jussére Patres Concilii Constant. in Trullo *populo tradi Pietatis rudimenta, ut colligantur ex divinis scripturis Veritatis νοήματά τε καὶ κρίματα*, can. 19. Et summoperè monet Episcopos Carolus M. l. 1. capitul. *ne sinant aliquos nova vel non Canonica ex suo sensu, & non secundùm scripturas sacras fingere aut prædicare populo*. Sed pergo:

Quomodo? Constanter, Prudenter, Patienter, Sapienter. Videbimus singula. Verbum Dei prædicandum est

I. Constanter. *Insta*, sedulò & accuratè inspice, & cave, ne quis peccet, Oecumen. Esto Epistates in domo Dei, ut apud Sophoclem ποιμνίων,

apud

apud Xenophontem ἔργων, aut Officium tuum instanter exſequere *cum tempore & ſine tempore.* Syrus. *Inſta opportunè, quod ſi hoc modo non proficis importunè, utut ei videaris importunus, qui non libenter audit, quæ dicuntur in eum.* Auguſt. in Epiſt. ad Galat. cap. 6. *Inſtantia dicit perſeverantiam, opportunitas convenientiam, importunitas frequentiam.* Anton. p. 3. Summæ. Tit. 18. cap. 4. §. 4. *Prædicandum opportunè volentibus, & in portu quietis conſiſtentibus: importunè nolentibus.* Remigius. *Verbum opportunum eſt libenter audienti, importunum invito.* Primaſius. *Ergò volentibus audire, offerendum eſt verbum Dei, faſtidientibus, ingerendum: ne fortè contra nos ante Chriſti tribunal ſtantes dicant, ſe à nobis non admonitos fuiſſe, & animarum illarum ſanguis de manibus noſtris requiratur,* Cæſarius hom. 26. Alia, ut ait Virgilius, *Omnia tempus habent!* & ut Lucan. ad Piſon. *temporibus ſervire decet.* - - *data tempore proſunt,*

Et data non apto tempore vina nocent.

Quod intempeſtivum eſt, ingratum eſt, ait Iſocrates. *Decet ergò modum temporis nôſſe, id enim Sapientiæ ſumma eſt,* juxta Dionem apud Stobæum ſerm. 129. Sic Salomon: *Verbum opportunum ſimile ait malo aurantio, in argenteo vaſe cælato* & cancellaturis perſpicuo, Prov. 25. 11. de quo Galatin. l. 5. cap. 6. ex R. Moſe. Sed ſit licèt refractariis audire intempeſtivum, Paſtoribus nunquam non dicere veritatem, neceſſarium eſt. Præmittit tamen Apoſtolus opportunè, *quia & ipſa importunitas aliquam debet habere*

bere opportunitatem, ut obſervat Gregor. M. p. 2. Paſtor. c. 4. *Sæpè enim*, inquit, *dictorum Virtus perditur, cùm apud corda audientium loquacitatis incautâ importunitate levigatur.* Cleoſtratus reprehendenti: non tu erubeſcis ebrium te eſſe? Imò, inquit, non tu erubeſcis ebrium corrigere?

Quin etiam accendas vitia, irritesq́; vetando,
Temporibus ſi non aggrediare ſuis.

vide Prov. 23. 9. Sirac. 22. 6. 7. Hinc Pythagoras: *apud bruta animalia poëma ne canas.* Et vetuit Dominus: Margaritas ante porcos, Matth. 7. 6.

II. Prudenter. Τὰς ψυχὰς διαφόρῳ λόγῳ καὶ ἀγωγῇ θεραπευτέον, ait Gregor. Nazianz. in Apolog. Facere debent Paſtores, *ſicut optimi ac peritiſſimi Medici diſſimilibus morbis curas diſpares præſtant, atque aliis per dulcia medicamina, aliis per amara ſuccurrunt. &c.* Salvian. 6. de Gub. Dei. *Sæpè namq́; aliis officiunt, quæ aliis proſunt. Quia & plerunq́; herbæ, quæ hæc animalia enutriunt, alia occidunt. Panis, qui vitam fortium roborat, parvulorum necat. &c.* Gregor. M. p. 3. Paſtoral. in prolego. Hinc B. Paulus: *argue, obſecra, increpa.* Si peccantem videris, argue, & cùm delictum oſtenderis, increpa, deniq; poſt plagam appone pharmacum, & obſecra, conſolare. Sic Oecumen. *Argue peccantes, obſecra bene laborantes, increpa, qui ſe nolunt corrigere.* Remigius. *Argue coæquales, obſecra ſeniores, increpa juniores.* Proſper l. 2. de Vit. Contempl. c. 5. Redargue falſam doctrinam, malos mores increpando corrige, obſecra & exhortare,

tare, ut justè vivant. Estius. Mihi ἔλεγχος ad malè docentes, ἐπιτίμησις ad impiè viventes, παράκλησις ad deficientes & succumbentes spectare videntur, ut sæpè his vocabulis utitur Apostolus. Primò itaq;, malè docentes *convincendi sunt*. Quicquid Politici quidam obstrepant, qui purpuram magis colunt quàm Deum, in religione mutanda Euripo mobiliores, Themist. in Laud. Jovin. vide D. Gerhard. de Ministerio p. 431. §. 269. *Ecclesia ut magna civitas salva est nequit, nisi eam undiq; pro muro Pastoris vigilantia & prudentia ambiat.* Chrysost. in aureolo libello de Sacerd. serm. 4. *Lupus ovi guttur apprehendit, Diabolus fideli hæresin persuasit, tu taces, ne fortè offendas, non increpas? ô mercenarie! Lupum vidisti, & fugisti! &c.* Augustin. Tract. 46. in Johann. Prudentiâ tamen hîc opus quàm maximé. Prudenter falsitatem arguit, qui, nisi aliter necessitas exigat, solam veritatem fideliter suis exponit. *Hæresis de quorundam infirmitatibus habent, quod valent, nihil valentes, si in bene valentem fidem incurrant.* Tertullian. de præscript. post princ. *Sæpè solet stultitiæ notam incurrere, quisquis mavult stultissimè dicta refellere.* Vigilius in Disput. inter Sabell. Photin. Arr. & Athanas. *Confirmatâ semel ab omnibus veritate, quicquid contra id venit, hoc ipso statim falsitas esse noscendum est, quod à veritate dissentit.* Cassian. l. 1. de Incarn. Dom. extr. Certè ut scelera, sic hæreses quidam fovent & alunt, dum incautè reprehendunt. Cavenda curiositas, & retinenda Regula fidei. *Nihil ultrà scire,*

omnia

omnia ſcire eſt. Tertullian. l. cit. c. 14. Qui non doctis dictis, ſed maledictis certant, ſimiles ſunt ſepiis, vide Gregor. Nazianz. Orat. 33. Non armamentis, ſed argumentis confutandæ ſunt hæreſes. *Oro vos Epiſcopi, qui hoc vos eſſe creditis, quibusnam ſuffragiis ad prædicandum Evangelium Apoſtoli uſi ſunt? quibus adjuti poteſtatibus Chriſtum prædicaverunt? &c.* Hilarius contr. Arrian. *Longè diverſa ſunt, carnificina & pietas, nec poteſt aut veritas cum vi, aut juſtitia cum crudelitate conjungi.* Lactant. l. 5. cap. 19. *Religio cogi non poteſt, verbis potiùs quàm verberibus res agenda eſt, ut ſit voluntas.* Ibid. *Denique diſtinguendum eſt inter hæreticum & hæreticis credentem hominem. Hæreticus eſt, qui alicujus temporalis commodi & maximè gloriæ principatusq; ſui gratiâ falſas ac novas opiniones vel gignit vel ſequitur. Ille autem, qui hujusmodi hominibus credit, homo eſt imaginatione quâdam Veritatis ac Pietatis illuſus.* Auguſtin. ad Honorat. de utilit. credendi. Ille accuratè & duriter refutandus, ac niſi cedat veritati, devitandus. *Devita,* inquit Apoſtolus Tit. 3. 10. *quaſi viperam, quaſi ſcorpionem, quaſi baſiliſcum, ne te non ſolùm tactu, ſed etiam viſu afflatuq; percutiat.* Vincent. Lirin. adv. Novat. c. 33. Idq; nitendum, ut dum in herba eſt mala ſeges, opprimatur. *Scintilla ſtatim ut apparuerit, extinguenda eſt, & fermentum à maſſæ vicinia ſemovendum, ſecandæ putridæ carnes, & ſcabioſum animal à caulis ovium repellendum, ne tota domus, maſſa, corpus & pecus ardeat, corrumpatur, putreſcat, intereat.*

Hieron.

Hieron. in c. 5. ad Galat. ubi vide. Hic cum mansuetudine revocandus in viam. *Errant enim tales, sed bono animo errant, non odio, sed affectu Dei, honorare se Dominum, atque amare credentes.* Salvian. l. 5. de Gub. Dei. Sed ad alia pergendum.

Deindè impiè viventes *reprehendendi.* Nam *qui peccantem blandimentis adulantibus pulpat, peccati fomitem ministrat, nec comprimit delicta ille, sed nutrit. At qui consiliis fortioribus redarguit simul atque instruit fratrem, promovet ad salutem.* Cyprian. de Lapſ. Baculo amygdalino ſimilis eſt Doctor Eccleſiaſticus talis, Jerem. 1. ℣. 11. Nam *ut amygdalum amariſſimam habet corticem, & teſtâ duriſſimâ cingitur, ut detractis auſterioribus & duris fructus dulciſſimus reperiatur. Sic omnis correptio amara quidem videtur ad præſens, ſed fructus parit dulciſſimos,* Hieron. in Jerem. At canes muti ſunt, Eſai 56. 11. qui *humanam amittere gratiam formidantes loqui liberè recta pertimeſcunt.* Gregor. M. p. 2. Paſtor. c. 4. Nubes ſunt ſine aqua, Judæ Epiſt. ℣. 12. *Comparant ſe quidem nubibus ſanctis pluentibus juſtitiam, ſed ſine aqua ſunt, non habent ſcientiam Dei.* Didymus ibid. Non imbrem ferunt, ſed caliginem. Oecumen. ibid. *Hoc ſunt ejuſmodi lapſis, quod grando frugibus, quod turbidum ſidus arboribus, quod armentis peſtilens vaſtitas, quod navigiis ſæva tempeſtas.* Cyprian. de Lapſ. Sed & hîc ſale prudentiæ opus eſt. *Omnes enim admodum laudari ſe volunt, nulli grata reprehenſio eſt.* Salvian. princ. l. 8. de Gub. Dei. *Miſcenda eſt igitur comitate,*

tate, libertas reprehensionum, & vituperium Charitate temperandum est. Isidorus Pelus. l. 4. Epist. 139. Gemitibus turtureis plus efficies, quàm tonitribus Pericleis. Vide hîc D. Quistorpium invehentem in zelotas intempestivos, & ostendentem, quomodo aliquando τὰ σκληρὰ μαλθακῶς dicenda sint? Denique vitia non modò voce oris, sed & voce operis vituperanda sunt. Non *potest authoritatem habere sermo, qui non juvatur exemplo.* Cassiodor. l. 11. Var. Epist. 8. Rectè Avienus:

stultum nimis est, quum tu pravissima tentes,
Alterius censor ut malefacta notes.

Res est profectò indigna, si projectus in omnia gulæ libidinisq; flagitia, omnibus denotandus Censoribus, seculo præcepta componat. Seneca Pater l. 4. Epitom. Controv. 1. vide D. Gerh. de Meth. Studii Theolog. p. 226. & de Disciplina Ecclesiast. in Loco de Minister. §. 285. &c.

Denique succumbentes *hortando & consolando erigendi sunt.* His enim accenditur animus - *quantum clamore juvatur*
Eleus sonipes - Lucan. l. 1.

Et quid potius ac magis curæ nostræ atque sollicitudini congruit, quàm ut commissum nobis divinitus populum & exercitum in castris Cœlestibus constitutum adversùs Diaboli tela & jacula exhortationibus assiduis præparemus? Cyprian. de Exhort. Martyr. *Tres sunt Pastoris voces, suavis, dulcis & alta: Suavis ad infirmum, ad morientem dulcis, ad surdum pertinet alta,* Hugo de S. Vict. de Claustro Anim.

Habe-

Habemus mandatum Esai. 40. 2. Exempla Prophetarum Sir. 49. 11. 12. Apostolorum 2. Cor. 1. 4. Filii Dei ipsius Psalmo 23. ℣. 4. Zach. 11. 7. &c. Ut in arca Testamenti cum tabulis Virga simul fuit & Manna; sic cum scientia S. Scripturæ in boni rectoris pectore *Virga districtionis esto & Manna dulcedinis,* Gregor. M. l. 21. Moral. c. 8. Sed & hîc quoque prudenter sciat, quibus, undè, quo ordine, & quâ ratione hoc emplastrum adplicandum sit? *Quibus? Consolatio non est nisi miserorum, consolatio non est nisi gementium & lugentium.* Aug. in Psalm. 125. *Undè?* ex officina Spiritus Sancti: ex Scriptura sacra, in qua *velut in communi quadam officina Medica quisq; conveniens suo morbo pharmacum reperire poterit.* Basil. ad Greg. Naz. de Vita solitar. Ex hac proponenda est succumbentibus Dei voluntas, ut

Cedere discamus, dum ducimur; omne resistens
Si flecti nescit, metuat vel pondere frangi.

Alcimus Avit. l. 4. ℣. 505. proponenda ejus bonitas; Nam

Et cùm blanditur, Pater est, cùm punit, is idem est,
Sic, homo ne pereat deficiatve, facit.

Prosper in Epigramm. Ostendenda crucis levitas & brevitas; *Quid in incertum dies & horas numeras? transit hora, transit & pœna! nec accedunt sibi, sed cedunt potiùs & succedunt. Non sic gloria, non sic remuneratio, non sic merces ipsa laboris, nescit vicissitudinem, nescit finem, manet tota simul & manet in æternum.* Bernhard. serm. 1. de Divers. Osten-

denda ejus ſalubritas : Etenim ut ait S. Proſper iterum :

Auxilium miſeris ipſa flagella ferunt.

Calamitas ſæpè diſciplina virtutis eſt. Minut. Felix in Octavio. *Virtus enim duritiâ extruitur, mollitiâ deſtruitur.* Tertullian. ad Martyr. Accedat Patientiæ decus, Impatientiæ dedecus. *Ubi Deus, ibi & alumna ejus Patientia. Impatientia matrix eſt in omne delictum, defundens de ſuo fonte varias criminum venas.* Tertull. de Patient. Accedant exempla. Nam ut Seneca ait : *Quosdam ratio ducit, quibusdam clara nomina opponenda ſunt, & authoritas, quæ liberum non relinquat animum ad ſpecioſa ſtupentem,* in Conſolat. ad Marciam c. 2. *Ordo* verò obſervandus hic eſt, quem & Deus obſervat Oſeæ 6. 1. 1. Sam. 2. 6. ut miſeriæ præcedat agnitio. *Quisquis deſolationem non novit, nec conſolationem agnoſcere poteſt : Homines dum miſeriam non ſentiunt, non attendunt miſericordiam.* Bernhard. ſerm. 1. in Epiphan. De *Ratione* præcepta ſunt iſta : *Quisque perpendere ſollicitè debet, ne luctus tempore verba increpationis inferat : Si enim ſunt quædam, quæ increpari jure debeant, in afflictione poſtponenda ſunt, ne conſolator increpando dolorem augeat, quem lenire propoſuerat.* Greg. M. l. 3. Moral. c. 8. *Ipſa corporis medicina nos doceat, quæ ferventibus molliora medicamenta conſuevit adhibere.* Ambroſ. in Pſalm. 37. *Dolori* nempè nimio & curam non admittenti, *dum recens ſævit, occurrendum non eſt, ne illum ipſa ſolatia irritent & accendant.* Seneca ad Helviam

cap.

cap. 1. *Fors fuat an longa dies quandoq́, hebetet laxatum dolorem; Siquidem malis omnibus finis de tempore venit: Interim fugent verba solantium, neque aures applicat consiliis bonis surdus ex injuria animus.* Symmach. l. 3. epist. 6. *Sæpè magni doloris consolatio per silentium procuratur, & in hujusmodi negotiis plus agitur nihil agendo*, ait Ennodius in Monum. Orthod. &c. Apud Bonas tamen Mentes & præparata pectora verum est, quod ait Salvian. l. 1. de avarit. *Optimè malagma vel fibula calidis adhuc vulneribus imponitur.* Et Seneca: *Vulnerum quoq́, sanitas facilis est, dum à sanguine recentia sunt, &c.* ad Marciam c. 1. Cavendum quoque, *ne sera consolatio scindat præteriti doloris cicatricem.* Symmach. l. 9. epist. 51. Verùm hæc ut in transcursu. Satis de Prudentia.

III. Patienter: Cum omni μακροθυμίᾳ, *magnanimitate* habet Ambrosius, & exponit, sine amaritudine. Sic πρᾳότητα requirit 2. Tim. 2. 25. & Jacobus c. 3. 13. Opus enim multâ est patientiâ, longanimitate, mansuetudine in castigando, in exspectando, in tolerando. *In castigando* zelus temperandus est lenitate. Giezi mortuum baculo nequiit suscitare, quem Elisæus, dum se ei accommodavit, facilè erexit. *Non enim baculus demortuum subditum tàm facilè sæpè suscitat, quàm lenis accommodatio & attemperatio morum, benignaq́, compositio*, ait Petrus Damian. de Contemptu Seculi cap. 28. Sed & lenitas nonnunquam asperanda zelo, ut ipsum τὸ γλυκὺ sit δηκτικὸν, ut & mel in emplastris.

Themiſtius de anima. *Sit amor; ſed non emolliens: Sit rigor; ſed non exaſperans: Sit zelus; ſed non immoderatè ſæviens: Sit pietas; ſed non pluſquam expediat parcens.* Gregor. M. l. 21. Moral. c. 8. *Feris terribilis perſonet increpatio, intùs lenitatis teneatur dilectio*, ait Auguſtinus. *Dilige*, ait Idem, *& dic, quod voles, nullo modo maledictum erit, quod ſpecie maledicti ſenuerit, ſi memineris ſenſerisq́; te gladio Verbi Dei liberatorem hominis eſſe velle ab obſidione vitiorum*, in c. 6. ad Galat. Addit ibidem verè bracteatum: *Nunquam alieni peccati objurgandi ſuſcipiendum eſt negotium, niſi cùm internis interrogationibus examinantes noſtram conſcientiam, liquidò nobis coram Deo reſponderimus, dilectione nos facere!* Quæris hîc: Cur Apoſtolus Timotheo lenitatē, Tito verò præſcribat ſeveritatem? c. 1. ℣. 13. & 2. ℣. 15. ℞. Vel quòd ille freno egeret, hic calcaribus: Vel quia aliis alia conveniunt, & apud Cretenſes duro nodo durus erat inveniendus cuneus. Pulchrè S. Melania: *Oportet adverſùs ſtolidos tanquam cane & accipitre uti animi elatione, eamq́; tempore ſuperbiæ eorum in eos immittere.* Palladius hiſt. Lauſiacæ c. 117. *In exſpectando*, quia ſi qua deviaverit oviculâ; πολλῆς δεῖ τῷ ποιμένι τῆς πραγματείας, καὶ καρτερίας καὶ ὑπομονῆς, vide Chryſoſt. de Sacerdot. ſerm. 2. Ut *Natura*, ſic multò magis Dei gratia *ſui juris eſt, nec ad leges humanas componitur.* Fabian. Papir. Senec. controv. 13. Noſtrum eſt plantare, rigare &, ut ait Apoſtolus h. l. inſtare, incrementum Deo in manibus eſt. 1. Cor. 3. 6. *Cathedram in cœlo habet, qui*

corda docet, ait Augustinus in 1. Joh. Tract. 7. &c. *Aspectus*, ait Heraclitus, *fallitur. Multi nobis multoties videntur boni, qui omnium sunt pessimi*, Chrysost. de humilit. Nam ut Phædrus ait in fabul.

Non semper ea sunt, quæ videntur: Decipit
Frons prima multos.

Sic quem tu fortè reris malum, coram Deo bonus est. Segetem crescere non videmus, sed crevisse. Ut ventus neque undè veniat, scitur, neque quò; sic regeneratio hominum facta deprehendi, non autem quomodo fiat, potest. Joh. 3. 8. juxta Dionys. quem Areopagitam dicunt de Cœlesti Hierarch. cap. 15. ut & Chrysost. Cyrill. Theophyl. in Johann. Denique *non est desperandum de malis, sed pro ipsis, ut boni fiant, studiosiùs supplicandum: quia numerus sanctorum semper de numero auctus est impiorum.* Prosper in excerpt. sentent. 184. Non ergò cessandum, non deserendum officium:

Ut Morbo oppressis præstanda est cura medendi,
Donec in ægroto corpore vita manet.

Prosp. in epigramm. Denique *in tolerando*: Si pro fide & industria sua oporteat injuriarum messem metere. Hoc est didactrum, hoc Minerval, quod omnibus Dei servis semper solutum est. Ut *bestiarii* habiti sunt, Tertull. ex 1. Cor. 4. 9. in arenam damnati, *ubi pugnantium exitus mors est*, Seneca epist. 7. ut περικαθάρματα, *purgamenta, exverræ*, & ut Syrus habet, *stercus Mundi*, ℣. 13. ibid. ut περίψημα πάντων, ein Fegopffer aller / quales apud Massilienses & alibi, qui dicebantur *Pharmaci*, in

peſte aut alia publica calamitate circumducti cum exſecrationibus, ut in ipſos reciderent mala civitatis & ſic projecti &c. Petron. in fragm. Satyr. Servius 3. Æneid. Leonicen. l. 4. var. hiſt. Durant. Caſell. l. 2. var. cap. 1. & 2. &c. Firmandus ergò animus: *Ubi major injuria, ibi neceſſarior injuriæ medela patientia.* Tertull. de Patient. confer Cyprian. de Patient. ubi exemplum Domini: Quanta ejus æquanimitas? quanta patientia? *Incredulos ad fidem ſuadendo flectere, obſequio ingratos fovere, contradicentibus reſpondere leniter, ſuperbos ſuſtinere clementer, humiliter perſequentibus cedere.* Bene Proſper de Ingrat.

Quid mirum, rabido ſi corde phreneticus æger
Morbum amat & pellit Medicum?

IV. Sapienter: Requirit enim Apoſtolus διδαχὴν, quâ voce & actus habitusq́; docendi, 1. Cor. 14. 6. 26. & ipſum, quod docetur, ſignificatur, Matth. 16. 12. 2. Joh. ℣. 9. Tit. 2. 10. Apoc. 2. 14. 15. Vult igitur animarum eſſe Paſtorem διδακτικὸν, 1. Tim. 3. 2. undè nomen διδασκάλων, 1. Cor. 12. 28. Epheſ. 4. 11. Clamoribus omnia miſcere, detonare in mores, debacchari in vitam auditorum non ſufficit. *Debet divinarum Scripturarum doctor eſſe defenſor rectæ fidei & debellator erroris, & bona docere & mala dedocere.* Auguſtin. l. 4. de Doctr. Chriſt. cap. 4. *Objectum* hujus doctrinæ ſit ſanus ſermo Domini noſtri Jeſu Chriſti &c. 1. Tim. 6. 3. cui opponuntur doctrinæ variæ & peregrinæ. Hebr. 13. 9. Eſtq́; lac & cibus ſolidus. Hebr. 5. 12.

Modum

Modum indicat Apoſtolus Tit. 1. ℣. 9. Ad hunc actum opus *habitu* Sapientiæ, undè Hilarius l. 8. de Trinit. *Summa omnium Virtutum epiſcopalium eſt ſcientia & doctrina. In Eccleſiis*, ait Hieronymus, *quamvis quis Sanctus ſit, Paſtoris ſibi nomen aſſumere nemo debet, niſſi poſſit docere, quos paſcit*, in cap. 4. ad Epheſ. adde ϛόμα ut Dominus, Luc. 21. 15 vide D. Gerhard. de Miniſt §. 168. Quomodo & Julius Pollux in præfat. Onomaſt. ait Sapientiæ duas eſſe partes, alteram ἐν τῇ τῆς ψυχῆς ἀρετῇ, in virtute mentis, alteram ἐν τῇ χρείᾳ τῆς φωνῆς, in uſu vocis. *Utrunq; neceſſarium eſt, & habere, quid dicas, & ſcire, quomodo dicas: ſententiarum ſiquidem excellentia ſermonis elegantiam quærit, ut verborum dignitas rerum majeſtati reſpondeat*, ait Arnulph. Epiſcop. Lexov. in Concil. Turon. vixit Ann. 1181. vide Bochell. l. 1. Decret. Eccl. Gall. Tit. 3. cap. 25. confer Auguſtin. l. 4. de Doctr. Chriſt. cap. 11. Præmittenda igitur vocationi δοκιμασία, 1. Tim. 3. 10. *Quia ut longè ante nos dictum eſt*, ait Hincmarus Rhemens. *non eſt facilè dimittendus, cui eſt proximus committendus. Qui enim loco docti ordinat indoctum, is facit eum Magiſtrum, qui debeat eſſe diſcipulus, & offert cæcum animal.* At hodiè quàm multi illotis manibus ingerunt ſe, vendicantes ſibi, antequam nôrint ſacrorum librorum nomina, γραμματίων τὰ πρῶτα καὶ νομικῶν, primas Scribarum & Legisperitorum? ut queritur Gregor. Nazianz. in Apolog. Quos etiam umbra præveniat ſtrepens aliquid, quod in rem ſit. Syneſius Epiſt. 154. *Quanti*

panem non habentes & vestimentum, cùm ipsi esuriant, & nudi sint, aliis alimoniam & vestes promittunt, & pleni vulneribus medicos se esse jactant? Hieron. in c. 3. Esai. Posset & *de Mediis* hîc dici ad Sapientiam hanc comparandam necessariis, quæ sunt *Oratio, Meditatio, Tentatio.* De prioribus Theodulphus Aurelian. Episcop. ad Compresbyt. *Hæc sunt arma, Lectio videlicet & Oratio, quibus Diabolus expugnatur. Hæc sunt instrumenta, quibus æterna beatitudo acquiritur. His armis vitia comprimuntur, his alimentis virtutes nutriuntur.* Orandum ergò cum Gregor. Nazianz.

Da, Christe, gratiam meis laboribus.

Cum Cassiodoro de anima l. extr. *Via sine errore, veritas sine ambiguitate, vita sine fine, dona noxia odisse, profutura diligere.* Vide D. Gerhard. Method. Studii Theol. & de Minister. §. 274. Deindè, si quis hoc tam sancto & angelicis humeris tremendo munere salutariter velit defungi,

Hunc lacte primo per Prophetarum ubera
Lex Pædagoga nutriat:
Hunc Angelorum pane dulcis Gratia
Et melle de petra cibet:
Inebrietur sobriante poculo
De fonte Sancti Spiritus.

Paulin. ad Cytherium. Accedant Tentationes. Patientia parit δοκιμὴν, Rom. 5. 4. ut Herodianus ait: δοκίμιον στρατιωτῶν κάματος, & Philo: *Certissimum animæ experimentum est in labore, & amaritudine,* de migrat. Abrah. *Ut corpora sequuntur umbræ, sic*

Ten-

Tentationes variæ præcepta: Nemo sine Tentationibus, ait Magnus Antonius, ingredietur regnum Cœlorum. Dorotheus ad Fratrem Tentat. in Monum. Orthod. Vexatio dat intellectum, Esai. 28 19. Non Tentatus qualia scit? Sir. cap. 34. 9. Anfechtung macht gute Christen: unversuchte Leut sind unerfahren/ eitel unnütze Speculisten / was solten die wissen/ verführen gleichwol alle Welt/ ait D. Lutherus in marg. glossa ad Esai. l. cit. Quales sunt Theologi non tentati, pulcherrimè describit Matthesius in Sirac. l. cit. die so wol geübt seyn / und auf Hoffnung/ da nichts zu hoffen gewesen ist / geglaubt haben/ und die sich in höchsten Nöhten an das Wort gehalten haben/ wie Jonas und Paulus/ die haben die Krafft / Macht/ Safft/ und Lieblichkeit des Worts geschmecket/ und seynd von Gott gestärcket/ gestandhafftiget/ bevestiget / gesalbet / gesichert / und mit dem Pfand des Erbes versigelt und vergewissert worden / daß Gottes Wort eine Göttliche Krafft und ein Wort des Lebens/ Heil und Seeligkeit ist. Darum kan S. Paulus/ Petrus und David tröstlich von Gottes Wort reden / daß einem das Hertz im Leibe lacht. Aber ein Mensch/ der nicht geübt und versucht ist / und nicht in des Teuffels Reiter und Sieb gesessen/ und seine Biß und Stich nicht erfahren hat/ und hat noch keine Anfechtung gehabt/ und noch nicht an seinen eignen Kräfften hat dörffen verzagen und verzweiffeln/ der verstehet nichts/ redet von Gottes Wort/ als wann einer von Gott prediget/ wie die Welt sagt / den er doch nie gesehen hat.

Wann ein solcher unversuchter Mensch soll von des HErrn Christi Leiden aus dem Propheten Esai. am 53. Cap. predigen / spricht er: Der Leib des HErrn Christi sey nicht im Brod: Wann er soll predigen; Christus ist uns gegeben und geboren / so macht er sein Parlat her von den Schatzungen / und sie ilt Käiser und Könige: Wann er soll sagen; Christus ist umb unserer Gerechtigkeit willen auferstanden / so schilt er die Weiber / daß sie Fladen bachen: Wann er arme Gewissen trösten soll / so erregt er der Ketzer und Schwärmer Gezänck. etc. Sed ad finem properat animus. Superest

III. Confirmatio.

Rationem exhortationis & obtestationis sumit à periculo instante: Prævidet enim animo, imò ex præsentibus certâ conjecturâ colligit jam jam affore periculosissima tempora, multorumq; à Divina veritate imminere defectionem, cujus graviter describit principium, medium, finem. *Principium: Tempus*, inquit, *erit, quum sanam doctrinam non sustinebunt.* Tempus erit: non adeò procul abest. Jam tum enim multi viventibus & videntibus Apostolis resistebant Christo, ut Mosi Jannes & Jambres, 2 Tim. 3. 8. Quorum ingeniosas, sed inanes fabulas vulgus leve & novitatis avidum, panem cœlestem fastidiens, ac ad ollas Ægyptiorum identidem respectans, τοῖν ἀμφοῖν amplectebatur. Vide de Simone Mago Actor. 8. 9. de Hymenæo & Phileto 1. Tim. 1. 19. 20. 2. Tim. 2. 16. 17. &c. *sanam*
fidem

fidem & doctrinam, additur enim in quibusdam codd. πίστεως ℣. 3. eleganter vocat *Sapientem*, nam *Dementia*, ut ait Cestius apud Senec. Controv. 12. *res est sanitati contraria*, bonam, integram, quæ à veritatis regula non delirat, rectoq; quasi talo incedit: Sic ab Homero dicitur μῦθος ὑγιής, & à Petronio *sani coloris carmen.* Contraria est morbida, serpens ut gangræna, 2. Tim. 2. 17. in qua ἐδὲν ὑγιὲς, nihil sani. Hoc omnis apostasiæ omniumq; malorum primum est, non sustinere salutarem doctrinem, aversari, fastidire: quomodo Equus scabiosus non sustinet strigilim, quomodo stomachus nauseabundus salubres cibos. *Medium* est coacervatio novorum Doctorum, ἐπισωρεύσουσι, *accumulabunt sibi Doctores*, ait, subindè alios aliis superinducent, seq; ipsos in suum exitium eo acervo onerabunt & obruent. Hoc enim fastidientium est, ut nihil diu placeat: *Nusquam faciliùs proficitur quàm in castris rebellium, ipsum esse illic promereri est. Itaq; alius hodiè Episcopus, cras alius, hodiè Diaconus, cras Lector, hodiè presbyter, qui cras Laicus.* Tertull. de præscript. c. 41. Ad hanc levitatem duci solet vulgus hominum, ait Apostolus, primò pravis suis affectibus, ut *juxta proprias cupiditates* toties mutent Doctores. *Nolunt argui maligna sua opera, quare tales volunt magistros, qui serviant moribus eorum*, ait Ambrosius h. l. Veronenses odére, Placentinos volunt τῆς ἡδονῆς χάριν λέγοντας, ut ait Chrysost. hom. 9. h. l. qui voluptatis gratiâ loquantur. *Amara sunt vitiosis ac malè viventibus præ-*

cepta

cepta justitiæ. Lactant. l. 1. cap. 4. *Veritas amara & insuavis est insanientibus, mendacium dulce & jucundum.* Dio Pruſ. in pr. Troici. Deindè etiam *pruritus* aurium, ut ſibi coacervent Doctores. *Prurientes auribus:* elegans Metaphora. Sic tergum, dentes, malæq; prurire dicuntur verberonibus. *Illi pruriunt auribus, qui ſemper aures habent ad hoc intentas, ut aliquid novi audiant.* Remigius h. l. Novitatis appetitus prurigo & ſcabitudo eſt quædam. Ut de ira ait Petronius, *omnem ſcabitudinem animo delere*, in Satyr. Sic in Levitico luxuriam ajunt denotari per ſcabiem. Lev. 21. Gregor. M. p. 1. Paſtor. c. 11. Nam

Fœda eſt in coitu & brevis voluptas,
Et ſtatim Veneris pudet peractæ.

Petron. in fragm. uti de ſcabie ait H. Junius in ænigm.

Carnea ſulcetur ſi glebula corneo aratro,
Non mel dulce dabit, ſed feret acre piper.

Finis deniq; eſt averſio à veritate & ad fabulas converſio, juſtiſſimo Dei judicio, 2. Theſſ. 2. 10. 11.

Quæ cùm ita ſint, tantò major auditoribus impendenda cura eſt, *ut formati in fide, & bonis operibus eruditi, in diſciplina ſana robuſti maneant.* Ambroſ. h. l. Contemnant alii, premant, fremant, nil refert. *Quotus enim quisq; reperitur, qui ferrum Medicorum aut ignem non ligatus expertus ſit?* Auguſt. in c. 6. ad Galat.

Prome igitur ſanctis cœleſtia tela pharetris
Et medicis hoſtem conſice vulneribus:

Fortè

Fortè aliqui poterunt errorum evadere noctem,
Inq; viam visâ luce referre pedem.
Prosper in Prol. de Provid.

MEDITATIO SEPTIMA, DE OFFICIO PASTORUM POSTERIOR.

TEXTUS, 1. Tim. 3. ℣. 1. *Indubitatus sermo, si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. 2. Oportet ergò Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem. 3. Non vinolentum, percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum. 4. Sed suæ domus bene præpositum, filios habentem subditos, cum omni castitate. 5. Si quis autem suæ domui praeesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? 6. Non neophytum, ne in superbiam elatus in judicium incidat Diaboli. 7. Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat & in laqueum Diaboli.*

E*Xordium.* Sacerdos Veteris Testam. Levit. 21. 19. non debuit esse *1. Cæcus*; est autem *Cæcus*, qui

qui supernæ cõtemplationis lumen ignorat. Rathulph. ex Gregor. M. Comm. Levit. l. 15. c. 3. Vel *qui morbo ignorantiæ Dei totus laborat, inq; lucem Veritatis oculos intendere non valet*. Hesych. l. 6. in Levit. Nam, ut canit Juvencus,

Cæcus fortè ducem cæcum si nactus oberret,
Incidet in foveam pariter demersus uterq;.

2. *Non lippus*; in fonte est vocabulum *Dak* à comminuendo. Aben Esra putat, gracilem rejici. Nam *augustissima quoque species opinione Sapientum plurimum trahit de Cœlo*. Latin. Pacatus in Panegyr. sed pingues aqualiculos non amat Deus, non Sapientia.

Pinguia nam tenuem suffocant corpora sensum,
Et malè farta suas conculcant viscera mentes.

Juxta Ennodium. R. Salomon putat, *Dak* dici eum, cujus oculus pelliculâ tenui obtectus est; suffusionem vocat Aquila. Est autem lippus, cujus menti affectus ὑπόχυμα καὶ σκότωμα afferunt: vel; *cujus sensus natura exacuit, sed conversationis pravitas confundit*. Rathulphus l. cit. 3. *Non luscus*; qui albuginem in oculo habeat, *Thiballul* vocant Hebræi. Est autem albugo vel aperta macula improbitatis, ut Hesychius; vel sanctimoniæ superbæ, ut Gregor. M. Luscus Gregorio Naz. in Laudib. Basilii est defioculus, de gente Coclitum. *Qui vel vitæ probitate, vel doctrinâ solâ præstant, nihil à luscis, altero oculo captis, differunt, &c.* Post doctrinæ itaq; oculum, nunc videamus alterum inculpatæ vitæ. Ubi dicendum erit 1. de Episcopatus desiderio. 2. de Episcopi officio.

I. De Episcopatus desiderio.

Scopus: Vult Apostolus instruere & Eligentes, ut scirent Episcopatum non sanguini aut gratiæ, sed vitæ merito deferendum: Hieron. ad Tit. cap. 1. Comm. & Eligendos, ne temerè ambirent. *Non enim est quorumlibet, Episcopatum appetere, sed eorum, quorum vita ex Pauli Legibus dirigitur.* Isidorus Pelus. l. 1. epist. 104. & Electos; non enim soli Timotheo scribit ista, sed omnibus, Chrysost. homil. 10. h. l. Procemium pro more suo præmittit: *Fidelis sermo.* Secutus Magistros Hebræorum, quibus usitatum talia elogia, cùm doctrinam eximiam proposituri sunt, præmittere, verbi gratiâ: *esse fundamentum fundamenti, esse columnam Sapientiæ.* Vide Cameronem in Myrothecio Evangel. in 1. ad Tim. 3. ℣. 15. ubi ostendit elogium illud: *Columna & firmamentum Veritatis,* non referri debere ad Ecclesiam, sed ad Evangelii doctrinam, & magnum illud mysterium Pietatis, ℣. 16. De ipsa sententia ut distinctè dicam, considerabo Subjectum & Prædicatum.

Subjectum. *Si quis Episcopen desiderat.* Episcopus est ὁ ἐπὶ τὸ σκοπεῖν ὤν, Anastasius & Etymol. M. Apud Athenienses dicebantur Episcopi, quos in sua municipia speculatum mittebant, velut Corycæos. Episcopi γραφεῖς, Gegenschreiber/ qui attenderent, quantũ quisq; in ærarium deferre deberet. Etymol. Certaminum ἐπίσκοποι apud Pollucem l. 3. Onomast. c. 30. Dicebantur ita quoq;

Panis

Panis & rerum venalium curatores &c. vide h. l. D. Quiſtorpium, & D. Gerhard. de Miniſt. Eccleſ. §. 27. ubi & vocabuli uſus πολίσημος: nam præter Chriſtum Dominum; qui ἐξαιρέτως Epiſcopus dicitur, 1. Pet. 2. 25. Epiſcopus dicitur & à Presbyteris diſtinctus, qui inſpectionem habere debet non gregis modò, ſed & cæterorum Epiſcoporum, id eſt, Paſtorum; & à ſolis Diaconis, ut & reliqui Presbyteri hoc nomine comprehendantur. Præſulem reliquorum Paſtorum, Principem Præſidemq; Presbyterii vocat Ambroſ. *Superinſpectorem*, Hieronym. *Superintendentem*: Hoc loco nomen commune eſt omnium Eccleſiæ Miniſtrorum, exceptis, qui tum dicebantur Diaconi, eoq; etiam curati & Parochi, qui in vicis & pagis ſunt, continentur. Adamus à Sasbout & Corn. à Lap. Itaque poſt regulam Epiſcopis præſcriptam ſtatim ad Diaconos digreditur Apóſtolus, ὅτι οὐ πολὺ τὸ μέσον, quoniam parùm intereſt, Chryſoſt. h. l. homil. 11. ſolâ enim ordinatione ſuperiores ſunt Epiſcopi, inquit: non divino jure, nam & Presbyteri ordinare poſſunt, 1. Tim. 4. 14. D. Gerhard. de Eccleſia §. 201. ſed Eccleſiaſtico conſuetudinario, quæ Hieronymi ſententia eſt in cap. 1. ad Tit. nec diffiteri poſſunt aliqui adverſariorum. Certè Beſſeus l. 1. de Sacerdot. Regali cap. 3 p. 14. *Scriptis*, inquit, *Apoſtolicis certum eſt, in primitiva Eccleſia qualitatem eorum & dignitatem communem fuiſſe*. Vide D. Gerhard. de Miniſt. §. 234. Eſt igitur Epiſcope idem, quod Diaconia Verbi Miniſterium Eccleſiaſticum,

dicta

dicta ab inſpiciendo in omnes, Chryſoſt. h. l. Quomodo in omnes? Quia *Epiſcopum inviſibilium ferarum impetus, Eccleſiæ ignavias, Monachorum negligentias, iniquorum hominum improbitates, viduarum calamitates, pupillorum egeſtates, altaris ſuſpiciones, Diaconorum morbos, juvenum flagitia, ſenum mala conſilia ſpeculari oportet, atque ex omni parte oculum eſſe omnia proſpicientem.* Iſidor. Peluſiota l. 1. Epiſt. 149.

Prædicatum: *Opus* & quidem *bonum.* Si quis eſt, qui vehementer appetit Epiſcopatum, non laudo, non reprehendo ſimpliciter, ſciat modò nomen eſſe *operis*, non *honoris*, & deſiderare ſe non *eminentiam* otioſam, ſed *Superintendentiam* laborioſam, Eſtius ferè ex Auguſtin. l. 19. de C. Dei cap. 19. *Opus eſt hæc res, non ludus, atque animi oblectatio; cura, non luxus: munus referendis rationibus obnoxium, non imperium ab omni cenſura liberum:* Iſidor. Peluſ. l. 3. epiſt. 216.

Quæritur hîc: *An ergò appetere liceat Epiſcopen?* Petrus à Soto ait, deſiderium iſtud regulariter eſſe peccatum mortale. De Inſtit. Sacerdot. Lect. 3. p. 12. vide Tapper. T. 2. oper. Orat. 3. p. 342. &c. Sed Patres diſtinguunt αὐθεντίαν Epiſcopatus καὶ πραγματείαν, hanc ſi quis deſiderat, non improbo, ait Apoſtolus, interprete Chryſoſt. h. l. *Opus deſiderare, in ſe bonum eſt, primatum autem honoris concupiſcere, vanitas eſt,* Author Oper. Imperf. aut limitant: Licet, modò ne quis ab Apoſtoli regula declinet, *ne ambitione & pecuniæ deſiderio hoc egiſſe videatur,*

deatur. Ambroſ. h. l. *Ideò debet aliquis Epiſcopatum deſiderare, ut aliis doctrinam Verbi Dei annunciet, ut bonum exemplum oſtendat, & ſi neceſſitas fuerit, ut primus ad palmam martyrii currat.* Remigius h. l. *Laudo*, inquit ex Greg. M. Cornelius à Lap. *quod quæritis, ſed diſcite, quid quæratis?* Sic 1. Cor. 14. ℣. 1. monet Apoſtolus, ut cum pia æmulatione deſideremus Prophetiæ donum, non ſtudio excellendi, ſed ex charitate, ut proſimus Eccleſiæ, interprete Cornelio à Lap. ex Chryſoſt. Et quidni liceat appetere id, quod καλὸν, pulchrum & bonum eſt, dictum à καλεῖν, quòd appetitum ad ſe vocet & alliciat? Plura apud D. Gerhard. §. 188. de Miniſt. Si nullo modo licet appetere, quis ſe Theologiæ ſtudiis conſecrabit? quâ ſpe aut intentione? *Corvos ſequetur - teſtâq; lutoq;? Tolle ſpem, artes virtutesq; univerſa caſſabunt.* S. Zeno de Spe, Fide & Charit. Verbo: absq; prava intẽtione, ſtulta præſumptione, avida ambitione & deſiderare licet bonũ hoc opus, modò ſi ex charitate: & optare à Deo, modò ſi ex pietate: & petere, aliquando, à Magiſtratu, modò ſi ex humilitate. Si gravitatem operis ſpectes, nemo idoneus eſt: Si dignitatem, nemo par eſt: Si pulchritudinem & ſalubritatem, omnibus & amabile & deſiderabile eſt. Quis reprehendat, ſi quis ſe, cum B. Martino morituro, Deo offerat? Domine, ſi populo tuo prodeſſe poſſum, laborem non defugio! Caveat quisque, ne per aliquam earum ingrediatur portam, per quas Salmero in Regno Pontificio non paucos ad Epiſcopatum ingredi queritur,

ut per *Cæsaream* aut Regiam aulicos, per *Auream* Simonis Magi hæredes, per *Sanguineam* aliorum Præsulum Pontificumq; cognatos, per *Munerariam*, qui donis & largitionibus emunt, per *Servilem*, qui vel, inquit, *longiori servitute impensâ huc tandem enituntur, vel fœdam & obscœnam in prostituenda Sorore, aut Affini, aut Consanguinea, aut aliam quamcunque servitutem serviunt.* Tractat. 14. in Parabol. Evangel. Sic ubi appetere Episcopatum mortale peccatum est, pleriq; non appetunt, similes arietibus, ut fortiùs feriant retrocedentibus: vide Saresber. l. 7. Nugar. Curial. c. 18.

Deindè & illud h. l. expediendum: *An ergò sponte sine ordinaria vocatione suscipi possit Episcopatus?* Affirmant ex h. l. Sociniani, ut plerunque stulti dum vitant vitia, in contraria currunt. Fas est, ajunt, appetere Episcopatum: Ergò missione non est opus. Deindè inter requisita Boni Episcopi h. l. nulla apparet vocatio. Respondet Clariss. D. Gerhard. §. 66. de Minister. Prius inconsequens; Posterius falsum & scopo contrarium est, ideò enim Ideam quasi Boni Episcopi depingit Apostolus, ut Timotheus sciret, quales vocandi & ordinandi sint? Teste Chrysostomo hom. 10. h. l. Confer Tit. cap. 1. ℣. 5. 6.

Usus hujus partis maximè in Dehortatione consistit: ne quis tumidè se & temerè ingerat. Non probamus quidem eos, qui refugiunt prorsus, ut S. Marcum quidem fabulantur sibi pollices & Ammonium ferunt aures præcidisse, ne cogi possent ad

Episcopatum, apud Besseum de Sacerd. Reg. l. 1. c. 3. Damnamus meritò damnosas Ecclesiæ fabulas, quòd quidam defunctus patruo post mortem apparuit, cujus dissuasu Episcopatum oblatum non suscepisset, & gratias egerit: *Scito,* inquit, *quia nunc essem de numero damnatorum; si fuissem de numero Episcoporum.* Legitur in Reg. Monach. Tom. 9. oper. Hieron. Et refert similia P. Blesens. ep. 102. de quodam Gaufrido, Cantipratensis de alio apud Corn. à Lap. in h. l. Dura vox est Bernhardi: *Qui pro se rogat, jam judicatus est.* l. 2. Consider. cap. 5. & Leonis Imp. *Profectò indignus est Sacerdotio, nisi qui fuerit ordinatus invitus.* l. 31. C. de Episc. & Cleric. Sed tamen ne temerè quis tantum onus suscipiat, terrere quemque debebat & periculum, in quo explicando disertus est Chrysost. hom. 1. in cap. 1. ad Tit., & Scripturæ S. non unum monitum. *Quis ad hæc idoneus?* 2. Cor. 2. 16. *Nolite plures Magistri fieri?* Jac. 3. 1. 2. ubi tamen non damnatur Episcopatus desiderium, sed propriæ utilitatis, Paës ex Dionysio Carthusiano. Sed hæc aliis - *post me memoranda relinquo.* In sacrificiis fermentum adhibere vetitum fuit, figurato præcepto, ne quis ad altare accedat tumidus fastu, Philo de offer. Victim. Qui nituntur irrumpere & erumpere, sunt ut *caprifici semina fabricarum visceribus inserta, quæ more vipereo prolem sibi fœcunditate contrariâ nutriunt, undè se compago casuro disrumpat.* Cassiodor. l. 11. Var. ad Architect. Aloisum.

II. De

II. De Episcopi officio.

Postquam ostendisset Apostolus, quid & quomodo appeti deberet in Episcopatu; Qualem esse deceat Episcopum, addere voluit: Quædam enim gemmæ splendidiores sunt in obscuro, quàm in luce. *Quidem ante dignitatis adeptionem satis commendabiles extiterunt, sed super candelabrũ Ecclesiæ constituti lucem in tenebras & famam in infamiam converterunt.* Petrus Blesens. epist. 15. Verba Apostoli copiosè & doctissimè à multis explanata sunt, inprimis à D. Gerhardo de Minister. §. 275. & seqq. & à Besseo in l. de Sacerdotio Regali, Coloniæ apud Kink. Anno 1615. Ego pro instituto paucula annotabo. Ac quomodo quidem digerantur requisita Boni Episcopi, videndum apud D. Gerhard. §. 181. l. cit. Mihi alia pertinere videntur, ad Internam Vitæ institutionem, alia ad Externam in Ecclesia conversationem, alia ad Publicam officii administrationem, alia ad privatam familiæ gubernationem. Sed sequi κατὰ πόδας Apostolum malo. Oportet ergò Episcopum esse

1. Irreprehensibilem. Ἐπίληπτος est, qui epilepsiâ, morbo Comitiali, qui despui solebat, corripitur. Nam superstitiosi, si quem vidissent ἐπίληπτον, in sinum solebant despuere, Theophrastus in Characterib. Elegans Metaphora: *Neque enim gravius est corpore, quàm corde collabi; pede potiùs quàm mente corruere; in cubiculo despui, quàm in isto splendidissimo cœtu detestari*, ait Apu-

lejus in Apolog. Ergò ἀνεπίληπτος est, qui non isto modo collabitur & publicè despuitur, vel qui est ἀνέγκλητος, *sine crimine*, aut ut habet Chrysost. in c. 1. ad Tit. κατηγορίας ἐλεύθερος, liber à justa criminatione. Talem docet esse Episcopum 1. Ne detrahat doctrinæ suæ authoritatem; Non dependet quidem ejus efficacia ab hujus vita. *Etsi fur sit ille, qui seminat, recta tamen authore Deo vires germinandis frugibus subministrat. Licèt sordida sit manus, aut leprosa, quæ plantat, mundus certè fructus decerpitur, quum ad maturitatem plenitudinis pervenerit*, ait Petr. Damianus de Instit. Eccles. c. 15. tamen profectò fidem dictorum minuit, qui factis non adstruit. At

Voce docens vitâq; docens, næ bis docet ille,
Qui facienda docet, qui faciendo docet.

2. Ne officium deturpet; *Eum enim, qui aliis præest, omni luce lucidiorem esse decet, & vitâ ita immaculatâ, ut omnes eum vitamq; ejus intueri possint*, Chrysost. h. l. 3. Ne cuiquam sit offendiculo, Ecclesiæ probro, sibiq; ipsi æterno exitio. *Bene docendo & bene vivendo populum instruis, quomodo vivere debeat: Bene autem docendo & malè vivendo Deum instruis, quomodo te debeat condemnare.* Chrysost. in Matth. hom. 43. Infinita sunt in hanc rem bene & scitè dicta, sed passim obvia. Vide D. Gerhard. §. 182. & 275. Rectè tamen observant, Patres non requiri Episcopum impeccabilem, ubi enim is inter homines? sed irreprehensibilem, & qui sit sine crimine. Crimen autem est grave peccatum

catum reprehensione & damnatione dignissimum juxta Augustin. &c. Caveat tamen etiam culpas quotidianas, quantum fieri potest; *Multa levia peccata unum grande efficiunt, ut guttæ torrentem.* Isidor. l. 2. de S. Bono cap. 18. & *à minimis incipiunt, qui in majora corruunt.* Bernh. de ord. Vit. *Vestis, quæ scindi cœperit, neglecta tota discinditur, & tectum paucularum tegularum casu contempto totam domum diruit.* Chrysost. in 1. ad Corinth. hom. 8. Vitia in alto loco valdè turpia apparent, ut verrucæ in naso. Et

Omne animi vitium tantò conspectius in se
Crimẽ habet, quãto major, qui peccat, habetur. &c.

Hinc quæri solet: *1. An prolapsi aliquando in grave crimen Episcopatui præficiendi?* vide D. Gerh. §. 277. Saresberiensis locus lectu dignus est l. 7. Nug. Curial. cap. 19. pag. 411. *2. An electio sorti sit committenda?* D. Gerhard. §. 117. & D. Brochmand. de Minist. Eccl. casu Consc. 10. Sors sæpè τὺς ὀυδενὸς ἀξίυς λόγυ, nullâ re dignos profert, quod Thani homini agresti & imperito accidit, ut eventu sortis ad eum Summi Sacerdotis functio deduceretur, Chrysost. hom. 2. in cap. 1. ad Ephes. & Egesigip. l. 4. Excid. c. 6.

2. Unius uxoris Virum; Controversiam de Conjugio Sacerdotum movere, nec est hujus loci, nec mei ingenii. Egone post Lumina illa Ecclesiæ Catholicæ, post Chemnitium in Exam. Concil. Trident. post D. Gerhard. de Minist. Eccles. cap. 7. sect. 2. §. 330. post Dd. alios plurimos,

& adeò nuperos etiam Excellentiss. D. Dorscheum in Prælimin. Hodegetici Cathol. contra Kircherum §. 28. & seqq. & D. Hülsemann. in Manual. Aug. Confess. Disp. 21. in scenam prodirem? actum agerem? Paucula tamen pro instituto dicenda sunt. Ac I. Certum est utrinque, *præceptum* hoc de una Episcopi uxore *non esse positivum*, quasi omnem oporteat esse uxoratum, *sed negativum*, ut si habeat uxorem, unam tantùm habeat. Uxorem habere permittit Apostolus, sed unam tantùm habere præcipit. *Non enim hoc velut sanciens dicit, quasi non liceat absq; eo esse: Sed immoderationem prohibens*, ait Chrysostom. h. l. & contra Vigilantium probat Estius ibid. Dos hæc Episcopalis de habenda unica uxore à Paulo censetur non positiva, sed tantùm negativa, ait hactenus bene Jul. Cæs. Coturius in Epit. Controv. Demonstr. 10. cap. 3. II. Ex quo id quoque indubium fluit; non obstare conjugium Ministerio Sacro, posse eundem & maritum & Episcopum esse. Apostolus enim *vult*, ut ait Chrysostomus hom. 2. in cap. 1. ad Tit. ἐπιστομίζειν *hæreticos, qui nuptias damnant, docens, non esse eam rem turpem, sed adeò pretiosam, ut quis & cum illa possit* ἐπὶ τὸν ἅγιον ἀναβαίνειν θρόνον, in sanctum hoc solium conscendere. Fatendum est, ait Estius, Apostolum permittere, ut in Episcopum eligatur, qui uxorem habeat. Fatemur primis Apostolicis temporibus viros conjugatos sæpiùs in Episcopos assumptos. Coturius l. cit. III. Consequens est; Cœlibatum sacris ordinibus non divino, sed Ecclesiastico

ſtico jure annexum fuiſſe. Bellarmin. l. 1. de Cleric. cap. 18. & quos citavi: Quæ propoſitio ſic ex Bellarmino eſt explicanda, ut liceat, & Conjugatos promovere ad ſacra miniſteria, & promotis uxores ducere, & tam his quàm illis uxoribus ſuis uti maritorum more, de jure divino. Quæ quomodo confirmet Bellarminus ipſe, quem recentiores ſequuntur, vide ſis l. cit. Quando autem cœperit jus Eccleſiaſticum, quo authore, & quibus rationibus? aliis dicendum relinquo. Chlichtovæus præceptum Eccleſiæ à Syricio Papa primùm editum docet apud Bellarmin. & Corn. à Lap. h. l. ait: Certè conſtat omnes & doctiſſimos Epiſcopos, qui à mille ducentis annis vixerunt fuiſſe cœlibes. Quod tamen falſum eſſe, tota Græca Eccleſia & Orientales reliquæ clamant. Sufficit, Cœlibatum Sacerdotalem non eſſe inſtitutum Eccleſiæ Catholicæ, nam nec ſemper obſervatum ut lex Eccleſiaſtica, nec ab omnibus, cùm multi ſemper contradixerint, nec ubique, ut Oriens totus usque in hanc diem oſtendit. Quod nervosè & breviter demonſtrat Dn. D. Hülſemann. l. cit. Quæ ex h. l. cùm evidenter demonſtrari poſſint, Conſcientiæ ſatisfacere poſſunt, animumq; Piorum Miniſtrorum confirmare, quod Vita eorum Conjugalis Deo placeat, ſacroq; miniſterio nihil obſtet. Nam quòd excipiunt Pontificii, permittere Apoſtolum, ut Conjugati eligantur in Epiſcopos, *ſi modò ab uxoribus ſe contineant, & ſi quis non niſi unam ſemel uxorem habuerit*, quâ tamen in ſacro miniſterio conſtitutus abstinere velit;

id ei nunquam in mentem venisse multis convincitur. Nam *de abstinentia* primò ab usu conjugii ubi verbulum? nonne contrarium ex ipso verborum sono colligitur, *oportet Episcopum esse* εἶναι, non γεγονέναι *unius uxoris Virum?* vide D. Gerhard. l. cit. sic Tit. 1. ℣. 6. ait: *Si quis est unius uxoris Vir*; ex quibus verbis Chrysostomus colligit contra hæreticos, nuptias esse rem sacram & πρᾶγμα τίμιον, cum quo etiam Episcopalis thronus conscendi possit. At in nuptiis non animorum conjunctionem, aut vitæ societatem, sed actum Conjugalem damnant hæretici. Nolo urgere Leges Apostoli de uxoribus & liberis Episcoporum. Si abstinentia Apostoli mandatum est, quomodo, quod præcepit Apostolus, relaxat Episcopus Romanus? Nam Græcis usum uxorum, quas ante ordinationem duxerant, permisisse à multis jam seculis, dicitur à Bellarmin. l. cit. addito testimonio Gregorii permittentis idem Subdiaconis. Ergò etiam in præcepto Apostolico dispensare potest Pontifex Romanus? Aut cùm *Continentem* jubet Paulus esse Episcopum, id non æquè juris divini est, quàm quæ connexa sunt, *benignum, sobrium, justum, sanctum esse?* Quæ ad Cornelii à Lap. effugium annotare volui, cùm ait, Episcopum uxoratum abstinere debere, & esse ut non habentem uxorem: idq; ob excellentem Sacerdotii dignitatem, quæ puritatem Angelicam requirit, & ut totus Christo & Ecclesiæ vacet: undè, inquit, Apostolus ut Tit. 1. ℣. 9. vult Episcopum esse continentem. Reliqua ex citatis Dd. petenda sunt.

ſunt. *De Monogamia & Polygamia* verò quod dicunt, multò ineptius eſt. Dici unius uxoris Virum, qui ſemel conjugium inierit, ſive habeat adhuc uxorem, ſive habuerit, *quis Grammaticus, aut J Ctus, aut Philoſophus ſine riſu audiverit? Grammaticus nunquam concedet dici, unius uxoris Virum, niſi quamdiu habet unam tantùm, tametſi mille aliàs habuerit. Juriſconſultus cenſet, Patrem trium liberorum eſſe eum, qui tres ſuperſtites habuerit, quamvis viginti antè habuerit. Philoſophus ait, τῶν πρός τι ſublato altero, alterum tolli. Ergò qui uxorem habuit, ſublatá eâ non modò non unius uxoris Vir, ſed ne quidem uxoris Vir* dicendus eſt. &c. D. Quiſtorpius h. l. Hoc itaque jubet Apoſtolus, ut Epiſcopatus non deferatur Viro conjugi, niſi juxta divinam ordinationem unam habeat conjugem uxorem. Tale enim connubium, & aliud nullum, *honorabile in omnibus.* Hebr. 13. 4. Excipit Eſtius: *Nulla igitur ratio fuit, cur id peculiari præcepto Epiſcopis prohiberetur, quia nulli Chriſtiano unquam licitum fuit, plures ſimul uxores habere.* Reſp. Eâdem ratione peculiari præcepto non erat Epiſcopis prohibenda ebrietas, turpis lucri cupiditas, &c. nam & hæc vitia nulli unquam Chriſtiano licita fuére, quorum ne nomen quidem inter Chriſtianos audiri voluit Paulus Epheſ. 5. 3. Deindè cauſa fuit, cur peculiari præcepto prohibere voluerit, quam afferunt Chryſoſtomus, Theodoretus h. l. & Hieron. in Epiſt. ad Ocean. Quia olim Judæi & Græci conſueverant cum duabus & tribus & pluribus

etiam uxoribus ſimul jungi &c. *Quin etiam nunc*, ait Theodoretus, *cùm Leges Imperatoriæ prohibeant, duas uxores ſimul ducere, rem habent cum concubinis & meretricibus*. Nam quòd Corn. à Lap. h. l. negat, Polygamiam viguiſſe illo tempore apud Judæos & Gentiles, cùm Legibus Impp. abrogata fuerit, falſum oſtendit diſputatio Chriſti cum Phariſæis & Sadducæis habita, Matth. 19. 8. & 22. 25. & paucis indicat D. Hülſemanun. Diſp. 12. l.c. p. 483. Verbo: *Polygamia* multis modis fieri poteſt; nam *1. Legitima* & honeſta eſt illa, quia mortuâ conjuge alia ducitur, eaq́; abuſivè Polygamia dicitur. *2. Vitioſa* eſt, ſed uſitata tamen fuit & permiſſa Judæorum Romanorumq́; Legibus, quâ repudiatâ uxore Vir aliam ducebat, aut repudiato Viro alium uxor, de qua Matth. 19. 9. & Marc. 10. 12. *3. Vitioſior*, quâ ſimul plures ducebantur uxores, conceſſa tamen Lege & familiaris populo Judaico *exemplo Patriarcharum ac Moſis, ut in multis uxoribus liberos ſpargerent, cujus etiam licentiæ Sacerdotibus patebat arbitrium*, ut Hieronym. ait l. cit. Denique *4. Vitioſiſſima* fit per adulterium, ſi quis præter unam uxorem concubinis & ſcortis miſceatur. Ergò cùm Apoſtolus vult, Epiſcopum eſſe unius uxoris Virum, h. l. & ad Tit. 1. ℣. 6. cùm Diaconiſſas *unius Viri uxores*, refutat omnes vitioſæ Polygamiæ ſpecies, vide 1. Tim. 5. 9. & ibi Cameronem in Myrothecio pag. 281. Plura non addo.

3. Vigilantem, νηφάλιον, ſobrium corpore & mente, intentum undique in gregem ſuum ſacrum,

crum, ut Speculatorem Domini decet, ut Ducem Copiarum Christi, quem noctu atque interdiu lustrare exercitum oportet, omniumq; curam gerere & sollicitudinem, ut habet Chrysostomus h. l. *Ita Pastor adjungit noctes diebus, & totum sibi tempus denegat dormiendi, ne qua Lupis suffragante somno grassandi in gregem præbeatur occasio.* Chrysologus serm. 24. Hanc dotem Boni Episcopi significabant Ægyptii συμβολικῶς pictis Leonum capitibus ad templorum claustra, dormiunt enim Leones oculis apertis, & vigilant ferè clausis. Horus Apollo l. 1. Hieroglyph. 19. Eodem spectant galli in templorum pinnis, de quo vide Alciati embl. 15. & Claud. Minoëm ibid. in Comm.

4. Temperantem, σώφρονα, moderatum, qui rebus omnibus prudenter uti & modum tenere sciat. *Est enim Temperantia* μετριότης τῆς ψυχῆς, *animi moderatio, in iis, quæ naturâ in ipso fiunt cupiditatibus & voluptatibus, teste* Platone in definit. Vel est *habitus, quo qui præditus est, eligit, quæ sunt eligenda, & cavet, quæ sunt cavenda.* Ibid. de quo & suprà Medit. V. Gregor. Nyssenus de Virginit. ait, esse *propriè omnium animi motuum bene constitutam quandam & cum Sapientia Prudentiaq; conjunctam moderationem:* Quâ qui caret, quàm ille ab omni virtutum commercio absit, quis non videt?

Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,
Quos ultra citraq; nequit consistere rectum!

Ut verè dixerit Lucilius apud Lactant. l. 6. cap. 5.

Virtus quærendæ finem rei scire modumq;.

5. Or-

5. Ornatum, κόσμιον, in externis bene compoſitum moribus, ut honeſtatem in geſtu, inceſſu, habituq; corporis toto præ ſe ferat. Iſta enim, qualis quisque ſit, enunciant. Sir. 19. 26. *Speculum cordis*, ait Caſſiodorus in Variis, *hominum verba ſunt. Superbus etiam varicatis greſſibus patet, iracundus luminum fervore declaratur, ſubdolus terrenum ſemper amat adſpectum, leves inconſtantia prodit oculorum, avarus obuncis unguibus explanatur.* Denique ut habet Latinus Pacatus in Panegyr. *Ita intimos affectus mentis proditor vultus enunciat, ut in ſpeculo frontium imago extet animorum.* De veſtitu breviter Hieronymus ad Nepotian. *Ornatus ut ſordes pari modo fugienda ſunt: quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.* Quòd præmiſit *Veſtes pullas, æquè devita ut candidas,* quàm æquus fuerit Monachorum habitui, indicat, is enim id ævi vel albus vel ater fuerat, & probatus ille magis, vide Syneſium ad Joh. Epiſt. 147. Sapientioribus neuter, eâdem ratione, quâ Veſtem cilicinam *omnimodis refutârunt*, ut de vanitate ſuſpectam, quia omnibus circumſpectam, lege Caſſianum l. 1. de Cœnob. Inſtitut. cap. 3.

6. Hoſpitalem, qui miſeros ope, quâ poteſt, ſublevet, inprimis exules propter Chriſtum. Meminit ſolius hoſpitalitatis, tum quia propter perſecutiones crebra erant exilia, cùm quia *præcipua virtus eſt hoſpitalitas*, ut docet de operibus miſericordiæ acturus Lactantius l. 6. cap. 12. Deniq; Viris

Apo-

Apostolicis spiritualia inter infideles proseminantibus & ea de causa peregrinantibus, si non aliorum certè Episcopi fores patere debebant. Undè constat, hospitalitatem Episcopi non in eo sitam esse, ut lautè mensam instruat, eamq; semper expositam habeat divitibus ac nobilibus, aut improbis mensarum asseclis, ut rectè scribit Estius h. l. *Episcopus nisi omnes receperit, inhumanus est,* Hieron. in c. 1. ad Tit. Omnes, puta, qui opus habent. Sed de his videndus Lactant. l. c. *Neque nunc tibi suaderi putes, ut rem tuam minuas vel exhaurias; sed quæ in supervacua fueras impensurus, ad meliora convertas. Undè bestias emis, hinc captos redime: undè feras pascis, hinc pauperes ale: undè homines ad gladium comparas, hinc innocentes mortuos sepeli.* Ibid. &c.

7. Aptum ad docendum, qui non modò doctus sit, sed & qui velit ac possit alios docere. Proprietas hæc Episcopo vel maximè necessaria est, sed quam in eo cum cæteris virtutibus difficulter inveniri scribit Hieronymus, ut ait Estius, addit, quæri à multis: *Uter ad Episcopatum sit aptior, Theologus an Canonista?* & respondet, Theologus, de eo enim loqui Apostolum, & non respicere ad peritiam Canonum, qui tum vix ulli erant. Quæ ille effari timuit, Scioppius palàm enunciavit, de Scholar. & Studior. ratione: *Palàm est majorem eorum partem, qui hodiè vel maximis in Ecclesia dignitatibus præsunt, & unctissimis Episcopatibus atque Sacerdotiis fruuntur, quantulâcunq; juris ac legum notitiâ tinctos ad eos honores opesq; pervenisse: Cæterum Hebraicè,*

braicè, Græcè, ac Latinè indoctissimos, tum sacrarum literarum non magis, quàm Scythici aut Japonici sermonis intelligentes esse. Quamvis enim S. Paulus eum, qui velit esse Episcopus, Doctorem esse jubeat, qui scilicet aut ab infantia sacras literas didicerit, aut saltem in lege Domini die ac nocte meditetur; tamen adeò res hodiè rediit, ut qui Theologiæ Doctor sit, vix nomen inter Episcopatuum Candidatos profiteri audeat, solisq; Legum ab impiis & paganis latarum Doctoribus, ad Ecclesias aditus patescat. Hi scilicet sunt, quos Ecclesiæ suæ Deus daturum se Jer. 3. sic promisit: Dabo vobis Pastores juxta cor meum: ipsi pascent vos scientiâ & doctrinâ. Quis enim dubitet; quin id genus Doctores scientiâ ac doctrinâ Christi oves pascere noverint, cùm Jurisprudentia vel ipsorum prædicatione sit divinarum atque humanarum rerum notitia? Sed si S. Paulum de iis percuncteris, aberit nō longè, nisi ego longè fallor, quin sua hæc verba rectè in eos conferri respondeat: Volentes esse Legis Doctores, non intelligunt, quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Hæc Scioppius l. c. de Episcopis Romanis ingenuè, legi h. l. digna. *Sicut Speculatoris est de loco editiore prospicere, & plus omnibus contemplari; ita Sacerdos debet esse præpositâ sublimitate celsior cunctis, & majoris scientiæ habere gratiam, quâ possit sub se viventes instruere.* Prosper l. 1. de V. Cont. cap. 20. *Qui corda hominum ad ædificium spirituale, quod ex virtutis animæ construitur, parant, suos auditores fidem & opera justitiæ docere sufficiant, dum ipsi priùs sacris paginis edocti, diligenter*

ligenter quæ sit fides tenenda, quo virtutum calle incedendum, certâ definitione veritatis didicerunt. Nam frustrà sibi officium Doctoris usurpat, qui dissertionem fidei Catholicæ ignorat. Neque Sanctuarium Domino, sed ruinam sibi ædificant, qui docere alios regulam, quam ipsi non didicerunt, conantur: hæc Eucherius l. 3. Comm. in Reg. libb. Et pertinet huc Canon. Apostol. LVIII. *Episcopus aut Presbyter, clerum aut populum negligens nec in pietate erudiens, deponatur.* Nam quòd ajunt, posse Episcopos prædicare per alium, ad id bene respondit ille, qui dixit: *Qui per alium prædicat, habebit salutem vicariam, sed pœnam personariam, ibit in Gehennam per se, in Paradisum per alium:* apud Mortonum de not. Eccl. Apolog. Catholic. l. 1. cap. 20.

8. Non Vinosum, non obnoxium Vino, Ambros. h. l. Nam

Ebrietas quid non designat?

Ebrietas fomentum libidinis, Ebrietas incentivum insaniæ, Ebrietas venenum insipientiæ! Ambr. de Helia & jejunio. Turpe spectaculum ebrius, dirum Sacerdos! Sed si omnia huc velim congerere, quæ de Ebrietate, aliisq; vitiis sequentibus dici possent, Ilias mihi scribenda esset. Id repeto ex Hieronymo: *Non confundant opera tua sermonem tuum: ne cùm in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat, cur ergò hæc, quæ dicis, ipse non facis? Delicatus Magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat. Accusare avaritiam & latro potest: Sacerdotis Christi os, mens, manusq; concordent.* ad Nepotian. Quæ

ſequuntur, quoniam Ebrietatis fructus ſunt, huc addo: Non percuſſorem, D. Lutherus cum Græcis & Hieronymo, de verberibus linguæ accepit, kein Pocher/ *ſævus & improbus objurgator* ne ſit Epiſcopus, multò minùs *verberator*, ut habet Ambroſius: *Manus ejus non ſit præceps ad percutiendum.* Syrus. Sed æquum: qui mitis & modeſti animi ſit, qui de jure ſuo aliquid remittat, & quantum fas eſt, aliorum ſe moribus accommodet. *Eſt enim æquus ὁ ἐλαττωτικὸς τῶν δικαίων τῶν κατὰ νόμον, qui jus ſuum, quod ſecundùm leges ei competit, remittit.* Ariſtot. Magnor. Moral. l. 2. c. 1. Non pugnacem, *ἄμαχον*, qui lites, rixas & pugnas oderit, paci ſtudens & manſuetudinem colens. Hæc omnia faciliùs aſſequetur, qui Ebrietatem cavebit, quæ & - *in prælia trudit inermem.* Nam, ut canit Manilius l. 5. Aſtron.

Ardeſcit vitio vitium, vireſq́ miniſtrat
Bacchus & in flamma ſævas exſuſcitat iras.

Undè Seneca: *ferè Vinolentiam crudelitas ſequitur.* Epiſt. 83.

9. Non turpis lucri cupidum, quod ex Epiſtola ad Titum huc adjectum putat Eſtius & Cornelio à Lap. redundat, in Græcis autem conſtanter legitur; prohibet autem Apoſtolus Epiſcopo non modò fœdas, ſed & omnes lucroſas negotiationes, ut ex Conſtitut. Saxon. docet D. Gerh. Ego ex P. Bleſenſis epiſt. ad Cleric. Negotiator. quæ eſt 17. inter opera ejus pag. 36. hæc adjicio:

1. *Si*

1. *Si tuæ professionis ordinem & gratiam divinæ vocationis attenderes, te potiùs lectione quàm negotiatione, artibus quam mercibus occupares. 2. Periculosum est in Laico, sed perniciosum in Clerico, negotiationibus augere peculium, atque rerum ambitiosá venalitate seipsum Diabolo venalem exponere. 3. Clericus, qui leviore comparat pretio, ut vendat cariùs, filius est avaritiæ, idololatra pecuniæ, servus mammonæ, & venundatus sub peccato. 4. Das pro frumento vinum, pro vino equum, & sic sub colore permutationis aut dilationis obtentu recipis incrementum in bursa, detrimentum in anima, longè deterior Judæis, dum illi tantùm alieno, tu verò alieno & proximo fœneraris. 5. Porrò negotiationis crimen attenuas, &c. Quicquid proponas, unum denuncio tibi, quia negotiationem in tuæ salutis periculum convertisti. Negotiatorem clericum sacri canones exsecrantur. Sanè famam & animam perdis, ut perdenda lucreris.* Hæc ille & alia plura. Et ut radicem mali præcideret Apostolus, addit quoque: Non φιλάργυρον, argenti cupidum, quod quàm grave sit & noxium in hoc ordine, Giezi & Judas Proditor indicabunt. Quòd apud Saresberiensem l. 8. Policrat. cap. 23. *ajunt Philosophi, nihil in rebus humanis utilius homine, & in ipsis hominibus Principe, Ecclesiastico vel Mundano, neminem utiliorem:* De Ministro Ecclesiastico verum affirmo, nam Principem Ecclesia vera non novit, si modò absit φιλαργυρία & Lucricupido: Si adsit, nihil perniciosius, vide h. l. D. Quistorpium. Sed nemo sine obolo vaticinatur.

Phœbus gratis non edit oracula, ut habent proverbia. *Morbo cupiditatis penè omnes laborant.* Remig.

10. Qui domui suæ bene præsit, familiam bene regat & instituat. Hinc in Concil. Carthag. 3. can. 18. statuitur, ne quis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus ordinetur priùs, quàm omnes domesticos suos Christianos effecisset. Qui liberos habeat subjectos cum omni castitate; sic Vulgatus: *puritate*; Syrus: *reverentia*; Erasmus: Græca vox h. l. σεμνότης patet ad omnem morum gravitatem & honestatem; Estius: quod addit, Apostolum non dicere: *facientem filios*, sed *habentem*, ne ad procreandum filios videatur Episcopus invitari, ex Ambros. in Epist. ad Vercell. Eccles. Si ita acceperit, quasi omninò procreare illi sit nefas, suprà explosum est. Licet enim & uxore uti καλῶς, εἴ τις βούλοιτο. *Nam ut Opes difficulter introducunt in regnum Cœlorum, & sæpè tamen opulenti ingressi sunt: Sic & Nuptiæ*, ait h. l. Chrysostomus. *Si autem quis potiora sectatus, & corpus & animam suam Deo dicaverit, ne se copulet matrimonio, tantò magis dignus fiet.* Ambrosius h. l. quod cum grano salis non diffitemur. Si quis autem domui suæ præesse non novit, quomodo Ecclesiam Dei curabit? Εὐκολώτερον δὲ τῆς οἰκίας ἄρχειν, *Facilius verò est, regere familiam suam*. Chrysostom. *Ergò tunc potest idoneus rector futurus probari, si prius domum suam rectè gubernaverit.* Ambrosius. Secutus est Æschinem Apostolus, qui contra

contra Timarchum ait: *Eum, qui propriam familiam malè diſponat, rem quoque publicam non meliùs ordinaturum præſumi.* [Id quoque obiter obſerva, domum concedi Epiſcopo, non palatium, familiam, non principatum. Scitè P. Bleſens. in Canone Epiſcopali p. 542. *Animabus prælatus es, non corporibus. Nihil Prælato commune eſt cum Pilato. Chriſti Villicus es, & Vicarius Petri: nec te reſpondere oportet Cæſari, de commiſſa tibi jurisdictione, ſed Chriſto.* Scribit ad Epiſcop. Wigorniens.] Ὁ περὶ τὰ ἔνδον πονηρὸς, οὐκ ἂν γένοιτο περὶ τὰ ἔξω χρηστὸς, domi nequam foris bonus eſſe nequit, Themiſt. Orat. 3. de Amicit.

II. Non neophytum, Neuling / non de ætate accipi debet, quæ tamen etiam penſiculanda, nec juvenis tam gravi provinciæ deſtinandus, niſi animo ſenili. *Di avertant principes pueros, & Patres patriæ dici impuberes,* ait Nicomachus Conſularis apud Vopiſcum in Tacito. Cur non potiùs liceat optare: Deus avertat Epiſcopos pueros, & Patres Eccleſiæ dici impuberes! Apud Hebræos lex eſt: *Etiamſi quis valdè doctus ſit, neque tamen barba ejus plena, non eſt conſtituendus Magiſter, propter reverentiam Synagogæ.* R. Moſes Maimon. in Miſna. Notum eſt apud Nævium interroganti, *undè veſtram Rempub. tantam amiſiſtis tam citò?* Reſponſum: *Proveniebant Oratores novi, ſtulti, adoleſcentuli!* Sed de novitiolis fidei loquitur Apoſtolus, intelligens nō νεώτερον juvenem, ſed νεοκατήχητον, noviter in fide inſtitutum. Chryſoſt. noviter ve-

nientem ad fidem, & novellam quasi plantationem. Ratio, cur rejiciatur: Ne inflatus incidat in judicium Diaboli. *In arrogantiam incidunt, quæ est ruina Diaboli, qui in puncto horæ, necdum discipuli, fiunt Magistri.* c. Prohibentur. Dist. 48. De Versione movet dubium Estius: *An vocabulum Diaboli sit proprium, an appellativum?* & affirmat contra Erasmum prius, ut sit; cum Diabolo incidere in pœnam superbiæ, incidere in judicium Diaboli. Sequitur D. Quistorpius, in medio relinquit D. Gerhard. §. 183. Deinde quærit: *An non repugnet huic præcepto ordinatio Ambrosii & Nectarii?* Respondet id esse dispensabile, si absit periculum, quod metuit Apostolus, & comparat cum illo, quòd dixerat; *Oportet Episcopum esse unius uxoris Virum:* quod etiam putat ut per accidens requisitum, relaxari, & digamum ordinari posse. Sed cùm hoc posterius falsum esse ostenderim, sequitur, & prius negandum esse. Quid ergò? Ambrosius & Nectarius non fuerunt tales neophyti, ut qui jam multo tempore fuerant catechumeni & firmiter tenentes fidem Christianam, sed tantùm differebant, pro ejus temporis consuetudine, baptismum. Paulus autem loquitur de novitio *rudi in fide*, Ambrosius h. l. *de novello converso, & noviter ad fidem venien-te.* Remig. *Ne qui heri erat catechumenus, hodiè fiat episcopus, qui heri erat in theatro, hodiè sedeat in Ecclesia, qui vespere erat in circo, hodiè ministret altario*, c. Prohibentur. Dist. cit. Verbo: ne quis fiat *Magister antequam discipulus*, Chrysost. h. l. Quan-

quam,

quam, si vel maximè neophytus aliquando eligi posset, tamen verè digamus nunquam possit. Illud enim vetuit Apostolus *cum causa & conditionatè: ne infletur. Ubi autem causa non hæret, vitium non imputatur*, ait Ambrosius apud Estium: Hoc *simpliciter* prohibuit, quia est contra Dei ordinationem.

Denique cùm *bonum Testimonium* quoque & quidem ab extraneis exigitur, ostenditur Episcopi non modò vitam, sed & famam inculpatam esse debere. Difficile quidem impetratu ab hostibus. Sed ἡ ἀλήθεια καὶ τοὺς ἐχθροὺς ἐπιστομίζει, *Veritas etiam hostibus os obstruit*. Chrysost. confer D. Gerhard. loc. cit. §. 93. Ego hîc subsisto.

MEDITATIO OCTAVA, DE VERBI DIVINI AUDITORIBUS.

Nota. Cùm triplex sit Auditoris Sacri officium, consistens 1. in auscultando. 2. in honorando. 3. in sustentando, vel ut nostri dicunt eleganti Paronomasiâ: hören/ehren/nehren: tertium tantùm in Tabula Oeconomica Scripturæ testimoniis confirmatur. Ego singula ex suis ostendam sedibus. Est ergo Officium

I. Auscultare.

Quod plus est quàm audire simpliciter, ut Pacuvius

cuvius in Chryſe indicat, dicens de Auguribus: *Magis audiendum quàm auſcultandum cenſeo.*

TEXTUS, Jac. I. ℣. 21. *Quapropter depoſitâ omni immunditiâ & redundantiâ malitiæ, cum manſuetudine recipite inſitum ſermonem, qui poteſt ſalvas reddere animas veſtras. v. 22. Sitis autem effectores ſermonis & non auditores ſolùm, fallentes vosmetipſos. v. 23. Quoniam ſi quis audiat ſermonem nec eum factis exprimat, hic ſimilis eſt viro conſideranti faciem nativitatis ſuæ in ſpeculo. v. 24. Conſideravit enim ſeipſum & abiit, & continuò oblitus eſt, qualis eſſet. v. 25. At qui proſpexerit in Legem perfectam, quæ eſt Libertatis, & permanſerit, hic, quum non ſit auditor obliviosſus, ſed effector operis, beatus facto ſuo erit.*

EXordium. *Serapi* Deorum apud Ægyptios maximo *ſimulacrum* addebatur *animalis tricipitis*, quòd caput habebat in medio *Leonis*, hinc verò & indè *Canis* atque *Lupi*, easq; formas in medio corporis *Draco* conjungebat volumine ſuo quaſi cingulo. Macrob. 1. Saturn. c. 20. Egi de eo Symbolo pluribus in Silva Theologiæ Symbolicæ, Symb. XII. *Animal triceps* memoriam felicem, *Serpens* vitæ novitatem indicat. Memoriæ felix ra-

pacita-

pacitatem Leoninam, tenacitatem Lupinam, fidelitatem Caninam requirit. Hæc duo Sapientiæ Candidato putabant inprimis neceſſaria.

Multa audire, audita tenere, retenta docere,
Hæc tria diſcipulum faciunt ſuperare magiſtrũ.

Non multò aliter S. Bernhardus: *Tria eſſe audientibus verbum neceſſaria, voluntatem audiendi, ſtudium intelligendi, diligentiam retinendi.* Sed nos Apoſtolum audiamus, ſed paucis, ne libellus enchiridii modulum excedat. Docet ille, quomodo deceat Chriſtianos ad audiendum Verbum Dei accedere, & quomodo ab audiendo recedere?

I. De Chriſtiano ad audiendum acceſſu.

Notanda eſt Apoſtoli informatio, & confirmatio, vel quid? & quare? faciendum doceat. I. Quid? *Recipite inſitum ſermonem.* Docuerat antè, Verbum Veritatis eſſe cauſam converſionis & regenerationis noſtræ inſtrumentalem, ℣. 18. Hinc ad audiendum exhortatus; *Omnis homo*, inquit, *velox ſit ad audiendum*, ℣. 19. *Omnis homo*, cujuscunque ſexus ſit. Quia -

Communis virtus, commune periclum
Matribus atque Viris. Alcimus Avit ad Sor. cujuscunque ætatis, nam quod de Philoſophia Epicurus ad Menæceum ſcripſit, hîc veriſſimum: ὔτε γὰρ ἄωρος ὐδεὶς ἐςιν, ὔτε πάρωρος. &c. *Sit velox* non ad dicendum, ut in Eccleſiæ conventibus tum temporis quidam ſolebant, 1. Cor. 14. 29. quò reſpexiſſe

Apoſtolum putat Bened. Juſtinian. h. l. ſed *ad audiendum*, non quidvis, nam ad impia aures ἀμφωτίδι muniendæ, Sir. 28. 28. ut Xenocrates dixit, pueris convenire potiùs, quod Athletæ faciebant, munientes aures follibus, ne ad ictum paterent: Imò amputandæ prorſus ut Circaſſi Tartari in funere amicorum auriculam ſibi præſcindebant, aut partem ejus, teſtandi amoris gratiâ: Sed Verbum Veritatis. q. d. *Doctrinam Sapientiæ intento corde & quaſi muto ore ſuſcipias & diligenter in pectore tuo condens ad perficienda ea potiùs, quàm ad docenda feſtines.* Caſſian. Collat. 14. cap. 9. *Quapropter*, pergit Apoſtolus, *recipite inſitum ſermonem*, λόγον, quo vocabulo *non* ſignificatur *Ratio* naturalis diſcernens bona & mala, ut putavit Oecumen. non procul à Pelagianiſmo, ut judicat Bened. Juſtin. rectè; *neque* etiam ipſe *Filius Dei*, vide Corn. à Lap. obſtat enim connexio textus, nec ille vel in carnem noſtram perſonaliter, vel in corda noſtra ſpiritualiter inſitus rectè dicitur. Non illud; quia caro in hypoſtaſin Filii Dei aſſumpta eſt, ſuſtentatur ab illo, & ut ex radice vim viviſicandi, ac idiomata cætera accipit, ut divinos fructus edat: non hoc; quia nos inſerimur Chriſto, Rom. 6. 5. & 11. 7. Ergò *de Verbo Veritatis* audibili ſermonem pertexit. Vocat id ἔμφυτον, partim, ut diſtinguat à συμφύτῳ λόγῳ, à ratione congenita juxta Cajetan. partim, ut à Lege Veteri, de qua Jerem. 31. 31. juxta Capellum in Spicileg. h. l. inprimis propter efficaciam Verbi prædicati, quod quaſi ſemen inſititium eſt, *implantatum in natura*

noſtra,

noſtra, ut habet Syrus; nempè gratioſâ Dei implantatione, ad perficiendam Spiritualem genituram, Tremell. h. l. ſcribit enim ad fideles, in quorum cordibus jam ſeminatum & inſitum erat Apoſtolorum prædicatione Verbum Dei, quos hortatur ad ejus audiendi & ſuſcipiendi aſſiduitatem, quò nimirum firmâ radice hæreat, fructumq; multiplicem referat. Eſtius h. l. Opponitur Verbo Dei ſupra Naturam à Deo cordibus inſito ἔμφυτος κακία, quam Diabolus implantavit, Sap. 12. 10. Hanc *inſitionem recipere* jubet, ſic enim loquuntur φυτοεργοὶ. Columell. l. 5. cap. 11. de arboribus, quæ patiuntur alienum ſibi ſurculum infigi, eumq; in ſuam naturam adoptant, & quaſi hoſpitem excipiunt. - *fac, ramum ramus adoptet.* Ovid. & Palladius:

Cùm præſtet cunctis ſe fulva Cydonia pomis,
Alterius nullo creditur hoſpitio.

Recipere autem 1. Continuatione attentionis, id enim propriè ſignificat actum non inchoatum, ſed continuatum. 2. *Cum manſuetudine*, quæ hîc opponitur vel impatientiæ, nam inſitio non fit ſine vulnere - *enodes trunci reſecantur & altè Finditur in ſolidum cuneis via* &c. vel duritiæ cordis, & contumaciæ actuali, nam inſitionis lex eſt, *ne fiſſura in nodo fiat, repudiat quippè advenam inhoſpitalis duritia.* Plin. l. 17. c. 14. vel deniq; θορύβῳ & quaſi turbini affectuum, tunc enim facilè recipitur,

Si mundi à ſtrepitu libera corda vacent.

Proſper in Epigramm. 3. *Depoſitâ* priùs *omni immunditiâ*, ῥυπαρίᾳ, quod alibi in Apoſtolicis literis

non

non reperitur, Eſtius: dicitur à ῥύπος, quod Grammatici ajunt eſſe cutis illuviem, vide Etymol. M. Macarius hom. 13. Decet, inquit, eum, qui Dei amicus eſſe vult, cuſtodire ſe ἀπὸ τοῦ ῥύπου, à ſordibus peccati: *& abundantia malitiæ*, mira hîc Interpp. diſcrepantia, ſed in ſirpo nodum. Hebraiſmus eſt, pro abundante malitia, quæ ut luxurioſa ſoboles paſſim annaſcitur nobis, & ſuccum divini verbi intervertit, ut ſine fructu depereat. vide Luc. 8. 7. 14. reſpicit Apoſtolus ad illam Legem inſitionis: *Arboris inſitæ ſobolem & ramos uberiores præcidito, ne quid ſit, quo poſſit ſuccus evocari, aut ne cui magis quàm inſito ſerviat.* Columell. l. 5. c. 11. hæc de informatione. Sequitur confirmatio II. Quare? Quia poteſt ſalvare animas veſtras, ſalutem viæ & Patriæ, hîc in regeneratione & renovatione inchoatam, illic in glorificatione perfectam largiri, ſic Rom. 1. 16. De priore tamen præcipuè loqui puto Apoſtolum, & reſpicere ad miracula inſitionis, quale eſt, quod malo inſitâ, juxta Palladium.

Pro ſudibus fœtus & pro prægnantibus armis
Caſtaneæ fulvum dant nova mala decus.

Sic Plinius refert, ſe vidiſſe arborem inſitam, omni pomorum genere onuſtam, l. 17. c. 16. & ſimilem Bapt. Porta l. 2. Mag. Nat. horti delicias vocatam. Confer Eſai. 61. 3. & Philipp. 1. ℣. 11.

Uſus potiſſimus 1. Refutatorius, Swenkfeldii, Weigelii, Rathmanni &c. Verbi prædicati efficaciam negantium. Sic Paës h. l. ait Verbo au-

bo audito ſalvationem tribui non effectivè, ſed dispoſitivè, & queritur Juſtinian. §.11. nos Verbi Dei prædicationi plus æquo tribuere. Refutat ex h. l. errorem D. Thummius in Brevi Conſid. 111. qq. & obſerva 1. ἔμφυτον nomen eſſe, non participium. 2. tribui id nomen verbo prædicato & audibili, ℣. 19. 22. 3. deq; eo prædicari hinc effectum Salvationis, animarum, id eſt, regenerationis, ℣. 18. quam Salus conſummata, quæ & corporum eſt, ſequitur. Plura hæ anguſtiæ, in quas me ex inſtituto indui, non ſinunt. 2. Exhortatorius, ut ad audiendum ſalvificum Dei Verbum non dignè præparemus. Quod fit, ſi 1. in Templum adferamus *Famem ſanctam*, Pſalm. 27. 4. & 42. 1. & 84. 1. & 122. 1. Matth. 5. 6. Nam *quemadmodum eſurire bonam corporis valetudinem indicat: Sic ſermones appetere ſpirituales animæ ſanitatem arguit*, ait Chryſoſt. hom. 2. in Eſai. at ſine iſto appetitu quicquid ingeritur, non digeritur. *Nihil proſit offerre pabula recuſanti, & potum porrigere minimè ſitienti.* Ambroſ. ſerm. 81. de defect. Lunæ. 2. *Animum quietum* & compoſitum, ne ſit ſimilis diverſorio, quod omnes hoſpites admittit. *Qui Deum loquentem audire volunt, aurem dextram aperiant, ſiniſtram claudant*, juxta vetus dicterium Hebræorum, apud Philon. in antiq. Bibl. *Voci Dei ſi præparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem*, ait Bernhard. Epiſt. 107. *Adoraturi ſedeant!* ait Pythagoras, quod in omni divino cultu neceſſarium eſt obſervatu. 3. *Cor mundum*, ne in immundo balſamum cœle-

cœleste pereat. *Faciliùs enim quamvis odoratissimam myrrham semel horrendis imbuta fœtoribus testa contaminet, quàm ut aliquid ex eo suavitatis aut gratiæ ipsa concipiat: quia citiùs munda corrumpuntur, quàm corrupta mundantur.* Cassian. Collat. 14. c. 14. Id olim monebant in Templorum vestibulis suspensi canthari, ministra, ut ait Paulinus Epist. 33. manibus fluenta ructantes. *Nam quæ ratio est, manibus quidem ablutis, sed spiritu sordidato orare?* ait Tertull. de Orat. c. 11. Ita hìc. Hinc vetus apud Gruterum inscriptio ejusmodi labri, eaq; retrograda: νίψον ἀνομήματα, μὴ μόναν ὄψιν, q.d. *Fædam animi fæcem dilue, non faciem.* Et Ennodius de cantharo tali:

Unda lavat carnis maculas, sed crimina purgat
Purificatq; animas mundior amne fides.

Ita qui vindemiam colligit, vasa priùs, quibus vinum infundat, mundare consuevit, ne sors aliqua vini gratiam decoloret, &c. Ambrosius l. 4. Hexaëm. cap. 1. 4. *Fidem*, ut promtè obediamus. *Audaciam existimo de Bono præcepti divini disputare.* Tertull. de Pœnit. non tamen sine discretione fideli, 1. Joh. 4. 1. &c. *Obsequium ratione calens fervor est, furor est, quod ratione non frenatur.* Chrysolog. serm. 190. *Efficiamur secundùm Domini præceptum probabiles trapezitæ:* quomodo? *ne auro purissimo scripturarum prava interpretatio coaptata, metalli pretiositate nos fallat.* Cassian. Collat. 1. cap. 20. 5. *Patientiam*; nam uti sal carnes cohibet, nec verminare sinit; ita doctrina, si mordax sit, non sinit cordi carnali

nali innasci τὸν ἀκοίμητον σκώληκα. Theophyl. cap. 9. Marc. ℣. 40. Venuſtè P. Damianus: *Impatientibus correptiones quaſi gladii ſunt; ſed ſi volunt, ut hi gladii vertantur in falces, hirſuta vitiorum ſuorum dumeta, quibus horrent, permutent in meſſes.* 6. *Attentionem; Quid enim ſi legatio à Rege aut à Judicibus ad nos veniret?* ait Auguſtin. de ſalutar. docum. c. 9. *Quanta eſt hæc injuria & quàm graviter vindicanda, cùm viliſſimus vermis clamantem ad ſe audire dedignatur Creatorem univerſitatis?* Bernhard. ſerm. de 7. Spirit. 7. *Prudentem applicationem*, ut quicquid dicitur, ſibi dici quiſq; ſtatuat. *Nullos enim ſic interdum audientes invenies, ac ſi nihil omninò ad eos pertineant, quæ dicuntur; non intrare cor ſuum, non diſcutere mores ſuos, non cogitare, ne fortè quod audiunt, dictum ſit propter eos: &c. In his ergò ſalutis ſigna non video*, ait Bernh. ſerm. 28. in Cant. Sed progrediendum eſt, & dicendum

2. *De Chriſtiano ab audiendo receſſu.*

Ubi in verbis Apoſtoli occurrit 1. Exhortatio. 2. Ratio. 3. Illuſtratio 4. Amplificatio. Exhortatio. *Eſtote autem factores ſermonis & non auditores ſolùm.* Qui pecuniam à Doctore percepit emitq; credendo, neceſſe eſt, eam cum uſuris ſolvat operando, ut quod auditu didicit, exſequatur & actu. *Beda in c. 19. Lucæ.* Sic *Ariſton* bene dixit: Neque balnei ullam eſſe utilitatem, neque orationis, undè non prodeas mundior. Et *Chryſoſtomus*

ſoſtomus ait: Sicut qui pratum tranſit, flòrem accipit; qui horum præterit, fructum aliquem colligit; qui à convivio ſurgit, apophoreta filiolis domũ reportat: Sic ſemper ex concione aliquid animæ ſuæ domum referendum eſſe. Vide Plutarchi Libell. de Auditione. Theologia noſtra non Speculativa, ſed Practica eſt. D: Meiſner. p. 3. Phil. Sobr. cap. 2. q. 1. & D. Gerhard. in Exeg. de Theologia, &c. Ratio. Quia hypocritæ *fallunt ſemetipſos*, paralogiſmo admodum pudendo, Metaphora à calculatoribus, vide Ariſtot. 1. Topicor. cap. 1. Quomodo? quia *fidem ſolam credunt ſufficere ad ſalutẽ*, ait Corn. à Lap. *quod eſt ſophiſma Diaboli* : & Paës nos eam ob rem Simonianis & Eunomianis annumerat. Dura, ſed obtuſa, & hìc non refellenda. Meliùs Bened. Juſtinian. de iis loqui S. Jacobum, *qui falsâ ſupputatione mereri ſe putant vitam beatam, quâ ſunt prorſus indigni.* Propriè fallunt ſe, qui audiunt Verbum Dei ſine emendatione, quia inutilem ſumunt operam, ut habet Eſtius, de qua tamen magnificè ſentiunt. Id ſentire eum, oſtendit Illuſtratio à ſimili: *Quoniam hic* auditor tantùm *ſimilis eſt Viro*. Quid Viro cum ſpeculo? cum *re fœminarum?* ut vocat Phædrus fab. 47. Nam *ad ſpeculum comi, propriè paſſio & inſania fœminarum eſt*. Hieron. in c. 1. Sophon. Reſp. vel reprehendi quorundam Virorum nimium ſtudium exornandi ſe, de quo Seneca l. 1. qq. Nat. c. 17. Apulejus in Apolog. & refert R. Abraham, moris fuiſſe apud Judæos, ut quotidiè manè faciem decorarent & tia-

ram

ram aptarent ad ſpeculum æneum. Vatablus in Exod. 38. 8. vel ideò de Viris dici, quòd illi non niſi ut Canis Niloticus, qui obiter in fuga tantùm

Lympharum in ſpeculo vidit ſimulacrum ſuum,

ſpecula inſpiciunt: vel potiùs Viro per Hebraiſmum idem eſſe, quod cuidam, ut Joël. 2. 7. de quo in Comm. dixi. *Conſideranti* perfunctoriè *vultum nativitatis*, id eſt, nativum ſuum, *in ſpeculo*: *Conſideravit enim & abiit*, nullâq; impensâ formæ ſuæ curâ illicò *oblitus eſt*: Non quidem quia imago in ſpeculo & falſa eſt, nam quæ dextra ſunt, oſtendit ſiniſtra, & contrà, atque ita

Apparet mendax illimi fonte figurâ;

& imbecilla ad faciendam in animo impreſſionem, quia habet eſſe debile & intentionale potiùs, quàm reale, ut aliqui interpretantur: Sed propter ſuam negligentiam & vecordiam. Ergò ut ejusmodi ſpectator ſeipſum fallit, & fruſtrà ſpeculum inſpicit: Ita hîc.

Nam nimis à ſenſu doctrinæ devius errat,
Qui, quæ curavit ſcire, fugit facere.

Proſper in Epigramm. Sic Oecum. & P. Bleſenſ. ſerm. 51. &c. Supereſt Amplificatio à contrario. *At qui proſpexerit*, ὁ παρακύψας, inclinato corpore quaſi, ut qui in udo ſpeculo ſe vidit - *Cùm placidum ventis ſtaret mare*, eſt enim tranquillum ſpeculo ſimile, ut Lucian. in Alcyone, cum voluptate & perſeverantia verſatus in Lege Domini. Pſalm. 1. ℣. 2. qui proſpexerit cum ſtudio *in Legem* Chriſti *perfectam*, quæ eſt Lex non ſervitutis, ſed

libertatis, perfecta tum ratione effecti, quia nos perficit per fidem justificando, quod Legi Mosis non erat possibile. Hebr. 7.18.19. *Nam ut umbra sanare nequit: ita & Vetus Lex vulnera & morbos animi curare non potuit, neque enim vitam habebat.* Macarius hom.32. cùm ratione adjuncti, quia perfecit eam Christus, non nova Præcepta accumulando, ut volunt Photiniani & alii, sed partim obscura interpretando, partim promissa repræsentando, vide D. Gerhard. de Evang. c.14. Libertatis verò, quia veram libertatem à jugo Legis tribuit & à dominio peccati ac mortis, Rom.8. 2. *Et permanserit*, factis expresserit, obedierit, Deut.27.26. non abierit sine fructu; *hic*, scilicet, *qui non est auditor oblivionis*, Hebraismus, id est, obliviosus, *sed effector operis, beatus erit in facto suo*, in eo, quod facit. Ubi Notandus 1. Usus. 2. Abusus.

Usus Dehortatorius, ne Verbum Dei audiamus sine fructu. Est enim quasi *speculum* 1. *Perfectissimum*, non quale illud Heræ Megapolitanæ, in quo sola visebantur Deorum simulacra, de quo & aliis hîc non iteranda dixi in Symbol. Silvâ 1. num.133. & seqq. Sed in quo & Deus & nostra facies appareat perfectissimé. Facies naturæ nostræ per creationem institutæ, per lapsum destitutæ, per gratiam restitutæ, vide h. l, Oecumen. *Scriptura Sacra mentis oculis quasi quoddam speculum opponitur, ut interna nostra facies in ipsa videatur: ibi enim fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus &c.*

Gre-

Gregor. M. l. 2. Moral. cap. 1. 2. *Clarissimum*, quia ut de speculo habet Symphosius in ænigm.

Fulgor inest intus radianti luce coruscus.

Artifex misericordia Dei splendidissimum in mandatis suis condidit speculum, in quo homo suæ mentis faciem inspiceret, & quàm conformis imagini Dei, aut quàm dissimilis esset, agnosceret. Leo M. de quadrag. serm. 11. 3. *Purissimum* & prorsus argenteum, Psalm. 12. 7. nam nulla menstrua hebetârunt, nulli dentes virulenti. Plin. l. 33. c. 9. & l. 7. c. 15. & 11. c. 37. 4. *Verissimum*, speculum non mentitur: Proverbium est apud Tertull. de hab. mul. & Petron. in Satyr. *Ita speculum veritatis nemini blanditur, nullum seducit.* Bernhard. serm. 1. de 7. panib. Denique 5. *Efficacissimum*, corda nostra succendens, ut solent ustoria specula, Luc. 24. 32. Jerem. 23. 29. videri plura poterunt in Symbol. cit. confer Eberhard. à Weyhe de Speculo. *Ergò utere divinâ Lectione vice speculi, fœda corrigendo, pulchra conservando &c.* Hieron. ad Demetriad. Ne sis ut Simia, quæ speculum frangit eiq; irascitur, aut ut Camelus, qui pede turbat limpidam aquam, ne se videat. Peribit Basiliscus ille tuæ improbitatis, si se sæpè conspexerit, &c.

Abusus, nam Jesuitæ Interpretes, inprimis Estius sequutus Bellarmin. l. 4. de Justif. cap. 7. colligunt hinc, renatos bonis operibus justificari, nam & Paulus Beatitudinem aut Beatificationem vocat Justificationem, Rom. 4. ℣. 6. & hanc, ait S. Jacobus, nos consequi ex bona operatione, scil.

Legis exſequutione per opera. Reſp. 1. *per Inſtantiam*, ſi de ea beatificatione ſermo hîc fit, de qua Rom. 4. ℣. 6. falſum eam per opera contingere ulli poſſe, contrarium docet S. Paulus. 2. Ergò *diſtingue* Beatitudinis *ſubjectum à cauſa*, hanc deſcribit S. Paulus, iſtud S. Jacobus, ſic Hemming. h. l. ut & Winkelmann. D. Gerhard. de Bon. Oper. cap. 9. & §. 59. inprimis. 3. vel *diſtinguenda eſt proſperitas* in omni incepto promiſſa Verbum Dei diligentibus, Pſalm. 1. 3. à *Beatitudine*, & de illa loqui putat Jacobum, ac idem dicere cum Davide Ludov. Capell. in Spicileg. 4. *de Lege Moſaica* loquitur Apoſtolus, dictum hoc eſt Legale & hypotheticum nihil ponens ineſſe, quale illud Rom. 2. ℣. 13. & Luc. 10. 28. quæ ad ſolam operariorum gloriationem retundendam dicta ſunt. Sic Piſcator, &c. Si *de Lege Evangelii*, quæ verior & communior explicatio eſt, *ποίησις* Evangelii non conſiſtit in exſequutione Legis, ſed in apprehenſione oblatæ ſalutis, per fidem & non per opera, Rom. 1. 17. 18. Galat. 3. 11. 12. Epheſ. 2. 8. Verbo: Idem ait S. Jacobus, quod ſcriptura paſſim, ut Luc. 11. 28. & 1. Joh. 2. 4. 5. quem locum Paës & Juſtinianus cum hoc comparant. Ea autem merito obedientiæ noſtræ nunquam dicit quenquam juſtificari, aut propter Verbum Dei ſalutariter auditum & cuſtoditum beatificari, ſed audientes & obedientes prædicat beatos 1. Quia Verbum Dei Salutis medium, & Divinus ordo eſt, beneplacitum Dei, ſalvare, qui rectè audiunt, Rom. 1. 16. 1. Cor. 1. 21. 2. Quia

eos

eos beatos & Dei filios esse hoc pacto apparet, 1. Joh. 2. 3. 5. ita Sapient. 6. 11. *Qui custodierint justa, justè justificabuntur,* declaratione Justitiæ per ultimam Dei sententiam, quâ Justitia eorum coram Mundo manifestabitur. Ita Lorinus ibi pag. 166. Pergo ad officium

II. quod est Honorare, & III. quod Sustentare.

Conjungo non sine ratione, quæ sequetur. Fundamentum Officii pono in Loco illo Apostolico:

TEXT. 1. Tim. 5. ℣. 17. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in Verbo & Doctrina. v. 18. Dicit enim Scriptura: non infrænabis os bovi trituranti; & dignus est operarius mercede suâ.*

Sensus. Habemus hîc Præceptum, & Præcepti rationem. De Præcepto: Subjectum sunt *Presbyteri*, Seniores, non ætate, sed dignitate, vide de Nomine hoc D. Gerhard. de Minist. Eccl. §. 28. *qui bene præsunt*, προεστῶτες, non αὐτοκρατορικῶς, dominantes in Clerum, 1. Pet. 5. 3. Sed διακονικῶς, gubernantes Ecclesiam, verbo & exemplo, & potestate ministeriali, qui expressè Diaconia vocatur, ac Dominatui opponitur Luc. 22. 26. 1. Cor. 3. 5. quod contra Pontificiorum Παπποκαισαρείαν notandum, vide D. Gerhard. l. cit. §. 202. &

Mehlfürer. Disputat. 5. in hanc Epist. thes. 84. *maximè qui laborant in sermone & doctrina:* Ergò non omnes laborabant in verbo & doctrina. Ergò verus Pastor esse potest, qui per se ad docendum parùm idoneus, tamen hoc ministerium verbi per alios competenter & sufficienter exercet. Ita Stapletonus de Eccles. q. 4. art. 1. apud Mehlfür. l. cit. thes. 42. Resp. breviter, quoad rem ipsam remittimus Stapletonum in cap. 3. hujus 1. ad Timoth. ubi, ut dixi meditatione præcedenti, Apostolus jubet Episcopum constitui διδακτικὸν, qui potens sit in doctrina sana, &c. Tit. 1. ℣. 9. undè Estius h. l. *De Episcopis intelligi posse non existimo:* nempè dignos esse honore duplici, qui non laborant in verbo. Quid ita? Quia *non credo permisisse Apostolum Timotheo, ut assumeret Episcopum non Doctorem, cui præscripsit regulam assumendi Episcopi, in qua dicitur, quòd oporteat eum esse Doctorem.* Ergò cùm ait h. l. Apostolus; Presbyteros honorandos, qui bene præsunt, maximè qui laborant in verbo, Chrysostomo hom. 15. in h. l. non discrimen Presbyterorum ponere, sed officium describere, & causam honoris afferre videtur, quia πολὺν πόνον ὑπομένουσι, multum laborem sustinent, cùm alii ignava pecora & fuci nullas nec vigilias nec curas habeant, & ἐν ἀδείᾳ καὶ ἀμεριμνίᾳ quieti sedeant, quod certè de veris veræ Ecclesiæ Presbyteris dici non potest. Addit alia multa, quæ ostendunt, eum sensisse, omnes Presbyteros, vel, ut ait, προεστῶτας, laborare debere in Verbo & Doctores esse, quo sine multa

in

in Ecclesiis perire, necesse sit. Nec sufficere, ut quis doceat vitæ exemplo: *Opus enim est doctrinâ quoq; verborum. Nam ubi de dogmatibus sermo est, vita nullam persuadendi vim habet.* Verbo: *Nisi quis fuerit bos triturans ac contra gelu & spinas jugum trahens, non est dignus.* Hæc ille &c. Nota tamen ex Estio h. l. 1. Sub nomine Presbyterorum h. l. etiam Episcopos comprehendi. 2. Præesse Ecclesiæ commune munus esse. 3. Præcipuum autem Episcoporum prædicationi Evangelicæ diligenter incumbere, id est, ut ait Apostolus, laborare in verbo &c. 4. Præter Episcopos-Doctores fuisse Apostolorum tempore quosdam Presbyteros, qui bene præessent, nec tamen laborarent in verbo & doctrina. Hæc omnia nostri concedunt, vide DD. Gerhard. l. c. & Quistorp. in h. l. ut & Mehlfür. l. c. Tantùm *de officio proprio* lis est, & *de ordine*. De hoc quidem: *An Laici, an ritu Ecclesiastico ordinati fuerint?* at de illo; *An cum Episcopis Ecclesiam gubernârint*, ut Consiliarii? *an Sacramentorum tantùm ministerio vacárint*, ut administri? vid. Actor. 10. 48. & 1. Cor. 1. 14. 15. *An moribus & disciplinæ Ecclesiasticæ præfuerint*, ut Censores & Judices? Sed de his videndus est D. Gerhard. in Dedicat. Tom. VII. de Conjugio, ubi de statu Canonicorum agitur. Ambrosius h. l. in ℣. 1. cap. 5. hæc annotat: *Apud omnes utiq; gentes honorabilis est senectus, undè & Synagoga & postea Ecclesia Seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur in Ecclesia. Quod quâ negligentiâ obsole-*

verit, nescio, nisi fortè Doctorum desidiâ, aut magis superbiâ, dum soli volunt aliquid videri. Prædicatum: *Duplici honore digni habeantur. Boni dispensatores & fideles, non solùm honore sublimi debent digni judicari, sed & terreno, ut non contristentur indigentiâ sumptuum, sed magis gaudeant fide suâ & doctrinâ. Instantior enim fit, si non humilietur inopiâ, & crescit in illo authoritas, cùm videt se etiam in præsenti laboris sui fructum percipere, non ut abundet, sed ut non desit.* Ambros. h.l. Duplicem honorem alii quoque interpretantur externum subsidii, & internum reverentiæ; alii comparatè loqui putant Apostolum, respectu viduarum. Optimè Theodoretus: *Duplici honore posuit pro ampliori.* Hic enim vocabuli usus est 2. Reg. 2. 9. Esai. 40. 2. & 61. 7. Zach. 9. 12. Jerem. 16. 17. &c. Meminit hujus explicationis etiam Chrysost. duplum pro multo positum: Sed ex ratione addita Præcepto rectè idem collegit, honorem hîc propriè esse τὴν τῶν ἀναγκαίων χορηγίαν, necessariorum præbitionem, undè & Doctorum stipendia, quia in testimonium honoris conferuntur, honoraria dicta sunt.

Præcepti ratio, alia implicitè tenetur in Præcepta, honorandi enim pii Pastores & Presbyteri, quia bene præsunt, ut fideles Oeconomi in domo Dei, vide D. Gerhard. de Minist. §. 32. & quia arduum laborem sustinent. ὁ γὰρ οὐκ ἔστιν ἄλλος πόνος τοιοῦτος, *non enim non est alius talis labor!*

Chry-

Chrysostom. Verè dixit, qui dixit: Labores esse maximos militantium, parturientium, docentium. Alia expresse additur à testimonio Scripturæ 1. Veteris Testam. *Non infrænabis*, non alligabis capistro, *bovem triturantem.* Sic Ambros. nam OS redundat in Vulgat. Præcepti summa est: Bovi, dum pro Palæstinorum more trituram facit, os non esse obligandum, ne spicas aliquas possit decerpere, eò quòd æquum sit, quemq; laborum suorum frui emolumento. Ampliant Hebræi & ad omnia animalia extendunt, quorum adjumento homines sibi cibum comparant, Münster. & Fagius ibid. in Deut. 25. 4. Habiti sunt bovi aratori honores & alibi gentium, Legesq; de iis latæ, quas instituto nostro liceret applicare. Solonis Lege eum, qui aratrum aut plaustrum traxisset, ne quidem immolari fas erat. Ælian. l. 5. Var. Hist. In Buphoniis actio homicidii instituebatur adversùs securim, quâ Deo Poleo bos mactabatur, & oportebat eo cæso Sacerdotem aufugere. Nicol. Leonic. l. 2. Var. Histor. c. 30. &c. Constitutio Constantini Imp. vetat pignori capere, aut abstrahere ad cursum publicum deficientibus ordinariis, Cujacius, l. 4. Observ. c. 20. Quid nos ergò? Verbi Divini Ministris quos honores habebimus? injurias illatas non ulciscemur? ab oneribus publicis non immunes esse jubebimus? at in Argo navi cum sociis aureum vellus petiturus non

- - *transtris impeditur Orpheus,*
Aut Pontum remo subigit - Sic Jason

Donat & Iphiclo pelagus, juvenumq; labores:
Quem socium assumpserat jam annis gravem
Non operum in partem, monitus sed tradat ut acreis
Magnorumq; Viros, qui laudibus urat avorum: apud Valer. Flacc. l. 1. ℣. 471. Sed pergo ad Testimonium, quod adducit Apostolus ex Scriptura 2. Novi Testam. *Dignus est operarius mercede suâ.* Verba sunt Christi, ait Chrysostom. adducta ex Nova Lege, Theodoret. Negat Estius: Non est verisimile, Paulum aliquid ex Evangelio Lucæ discipuli sui citâsse; præsertim cùm id tunc nondum scriptum fuisse videatur. Resp. potuit citare ex Matthæo, ubi eadem sententia, sed de Lucæ Evangelio quando scriptum sit? & an dictante Paulo? videndi Comment. in Eund. vel solus Barrad. Tom. 1. lib. 1. cap. 20. vide Matth. 10. ℣. 10. & Luc. 10. 7. ubi vetuit Dominus, Apostolos suos ferre sacculum, peram, aut calceamenta: *Non quòd necessaria non sint sustentationi hujus vitæ, sed quia sic eos mittebat, ut eis hæc deberi demonstraret ab illis ipsis, quibus Evangelium credentibus annuntiarent.* August. l. 2. de Consens. Evang. cap. 30. Est autem dictum proverbiale, cujus æquitatem dictat sensus communis. Sic Græci dicunt: *Canem dignum esse pabulo.* Suidas & Euripides in Rheso: πονοῦντα δ' ἄξιον μισθὸν φέρεσθαι, *Laborantem æquum est ferre mercedem. Sedulitas, quæ non compensatur, onerosa est,* Symmach. l. 1. Epist. 3. & *si tollantur Virtutis præmia, quem laborâsse non pigeat?* Ennod. in Epist.

Usus:

Usus: Disce, quem honorem debeamus Ecclesiæ Pastoribus? Internum Cordis & externum Oris ac Operis. Cordis. Audi Apostolum: *Rogamus vos fratres*; Rogat vos Apostolus Domini, rogat Dominus per eum ipse, 2. Cor. 5. 20. & 13. 3. *ut noveritis*, affectu & effectu, *ut diligatis, honoretis, & necessaria subministratis*, Remigius h. l. *qui laborant inter vos, & præsunt vobis Domino, & monent vos*, quot verba, tot argumenta, notandum inprimis illud: *Qui monent*, id enim etsi necessarium, plerunque tamen ingratum,

Amicum castigare ob meritam noxiam
Immune est facinus, verùm in ætate utile.

Plaut. in Trinum. Ergò *ut Medici Ægris, ut Severi Patres Liberis sæpè φορτικοὶ, molesti; sic Doctores & multò magis*. Chrysost. hom. 10. in h. l. *ut habeatis illos abundantiùs in Charitate*, ut summum illis honorem habeatis in Charitate, legit Ambrosius h. l. *propter opus illorum. Pacem habete cum eis.* Per eos *enim generati estis generatione æternâ: Per eos regnum estis assecuti. Per manus eorum fiunt omnia. Per eos vobis portæ cœlestes aperiuntur. Nemo rebellet, nemo contendat. Qui Christum diligit, qualiscunque sit Sacerdos, diliget illum, quoniam per illum tremenda percepit Sacramenta.* Chrysost. l. cit. addit alia pulcherrima & illud quoque: *Si diligis Christum, si diligis regnum Cœlorum, agnosce, per quos acceperis.* Hæc Paulus 1. Thess. 5. ℣. 12. Idem ad Hebræos cap. 13. ℣. 17. ait: *Obedite præpositis vestris & sub-*

& subjacete, cedite, locum date, submittite vos *eis*: Ergò, inquit Estiùs, Ecclesiarum Prælatj habent potestatem præcipiendi, ac Leges ferendi, quibus obedire teneantur eorum subditi. Resp. cum Calvino, quem ille exagitandum suscepit, *obedire* esse piorum Episcoporum doctrinam obedienter amplecti. Sic enim S. Prosper: *Doctoribus suis debent obedire, qui audiunt, atque eis cum reverentia esse subjecti. Quod faciunt illi, qui castigati libenter accipiunt, nec increpantibus contradicunt.* l. 2. de Vit. cont. cap. 3. Itaque hic locus nec Tyrannidem conscientiarum Prælatis permittit, nec populo cæcam obedientiam imponit. Hinc S. Chrysost. h. l. ad quæstionem: An & Malis Præpositis obediendum sit? *Malus*, inquit, *quomodo dicis? Si respectu fidei; fuge & de vita, non solùm si homo sit, sed & si Angelus è cœlo descendens: Sin respectu vitæ; nimis curiosus ne sis*, hom. 34. Similia h. l. Theophylact. Remigius &c. Sequitur ratio: *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*: ubi nota Officium & Periculum! illud faciunt, *cùm tam in suis actionibus quàm in prædicationibus vigilantes sollicitè hostis antiqui rimantur insidias, ne quem, velut dormiente Pastore, Lupus Diabolus astutâ fraude subripiat, &c.* Prosper l. c. De hoc verò Chrysostomus: βαβαὶ πόσ☉ ὁ κίνδυν☉; *Papæ quantum periculum! Quid miseris illis dixeris, qui se conjiciunt in tantam suppliciorum abyssum? Omnium, quos regis, mulierum & virorum & puerorum reddenda à te ratio est:*

Tanto

Tanto igni caput subjicis! Miror, an fieri possit, ut aliquis Rectorum salvetur? Hæc ille. *Ut cum gaudio hoc faciant*, cum lætitia & hilari mente curam vestri gerant, quoniam *plerunq; mala conversatio & inobedientia subjectorum ad amaritudinem provocant animos prælatorum.* Remig. h. l. *& non gementes, hoc enim non expedit vobis*, quare? ὁ γὰρ στεναγμὸς πάσης ἀμύνης χείρων, *gemitus iste omni pœnâ gravior est.* Chrysost. h. l. Ex his liquet, debere auditores suis Doctoribus Cordis 1. Amorem, *Par est enim, ut discentes veros Doctores & ament ceu Patres, & timeant ceu Rectores; ita ut neque metus amore solvatur, neque amor metu obscuretur.* *Isidorus Pelus.* l. 2. Epist. 26. 2. Obedientiam, hoc enim & Aristotelicum illud exigit: Δεῖ τὸν μανθάνοντα πιστεύειν, *oportet discentem credere*, de quo Theodoret. 1. de cur. Græc. affect. multis. Sed discretione temperandum est obsequium. *Qui non secesserit à falsiloquo Doctore, damnabitur in Gehennam*, ait S. Martyr. Ignatius. *Nec sibi plebs blandiatur, quasi immunis à contagione delicti esse possit, cum Sacerdote peccatore communicans.* Cyprian. l. 1. Epist. 4. Denique 3. Reverentiam, ut magni æstiment *propter Deum*, cujus Legati & Angeli, *propter Christum*, cujus Pronubi & Oeconomi, *propter Spir. Sanctum*, cujus Cooperarii sunt. Itaq; hic honos etiam indignis habendus; *Nam etsi negligens Prædicator reprehensionem & minas ex reatu meretur proprio, timorem reverentiæ exigit ejus ordinis*

dinis celsitudo. Gregor. M. 1. Reg. 3. ℣. 15. Qui de indignis queri solent, id observent, fieri Divino Numine, *ut perforatam navem debilis gubernator regat, & cæcus cæcos ducat in foveam, talisq; sit rector, quales illi, qui reguntur.* Hieron. ad Chromat. Jovin. & Euseb. Sed ad finem festinat calamus. Honos Oris, ut pro iis oremus, Hebr. 13. 18. 2. Thessal. 3. 1. ubi Chrysostomus divinè hanc precum necessitatem ostendit, hom. 4. p. m. 1508. & seqq. Ait inter alia: *Stamus in ea parte belli, quæ laborat. Adversùs nos Diabolus armatur vehementiùs. In bellis enim ante alios omnes belli Ducem sternere conatur adversarius. Propterea illuc omni currunt conjunctis clypeis. Propterea magnus est tumultus, cumq; unusquisq; eum eripere conetur, clypeis undique muniunt, ut caput illud conservare possint: &c.* Cavendum quoque, ne obtrectemus, vitia propalemus. Nota & meritò celebrata vox Constant. M. *si peccantem viderem Sacerdotem, chlamyde operirem, ne videretur.* Pulchrè Philo de Legib. special. cur infantes non cum dentibus nascantur? respondet, *ne fontes uberum, per quos alimenta derivantur, vexarent inter sugendum.* Adeò cavit natura, ne alumnus dentem infigat nutrici. Ita hîc. Tu dicta considera, non facta. *Botrum inter spinas cautùs lege, ne, dum quæris fructum, laceres manum: & cùm audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem.* August. Tract. 46. in Joh. Superest honos Operis, ut stipendia præbeamus. Ubi Quæstiones

nes non paucæ expediendæ forent, V. gratiâ. 1. *An liceat accipere?* Quidni? quod dare oportet. vide 1. Cor. 9. 7. & seqq. de quo loco D. Gerhard. de Minister. cap. 7. sect. 1. §. 324. & Galat. 6. 6. ubi Hieronymus memorabiliter: *Prævidens Spiritus eos, qui docentur, & debent Magistris sumptus & vitæ necessaria ministrare, posse obtendere paupertatem & dicere: ager meus hoc anno aruit siccitate, vineam grando contrivit, reditus, qui esse poterant, tributa rapuerunt; non habeo, unde tribuam, quod jubetur; adjecit: Nolite errare, Deus non irridetur. Scit, inquit, corda vestra, non ignorat facultates, excusatio verisimilis hominem potest utcunque placare, Deum non potest fallere.* l. 3. Commentar. 2. *Quis modus esse debeat?* Chrysostom. in 1. Tim. 5. l. cit. *Ego nihil aliud dico Præsules Ecclesiæ habere debere, præter victum & amictum, ne ad ista desiderio trahantur.* Ambros. ibid. *Tanta merces debet esse Evangelizantis regnum Dei, quâ neque contristetur, neque extollatur.* 3. *An sit merces propriè?* Nihil minus. *Accipiant Pastores sustentationem necessitatis suæ à populo, mercedem verò dispensationis à Domino,* ait Augustinus; *non est enim populus idoneus reddere mercedem illis, qui sibi in charitate Evangelii serviunt.* Nulla inter laborem & præmium proportio est: *Quid enim dant? rogat Augustin. Conc. 3. in Psalm. 103. Quid accipiunt? dant spiritualia, accipiunt carnalia: dant aurum, accipiunt fœnum & c.* Hæc Franc. Luc. Brugens. in Lucæ cap. 10. & similia habet Estius in 1. Tim. 5. l. cit. quæ in loco de

Bonis Operibus suum usum habent. 4. *An & ignavis, otiosis ac nihil agentibus debeatur?* Affirmat Estius 1. Thess. 5. & 1. Tim. 5. ll. cc. Non quidem jure naturali, sed positivo, ut rem donatam & legatam deberi. Sed positivum jus illud Divino & naturali contrarium est. Negat Mendoza in 1. Reg. 2. num. 36. pag. 520. *Non desides & ignavi, sed solliciti animarum curatores congruis debent sustentari alimentis*, hæc in margine. *Quid enim indigniùs, quàm hos non domesticos Ecclesiæ, sed inimicos, Ecclesiæ muneribus locupletari? qui non plantant, agricolarum fructibus abundare? qui non pascunt, ovium emolumentis enutriri? Denique tanquam corniculas alienis plumis, de veteri fabula insignitas bonis Ecclesiæ candicare, qui propriis vitiis ingrescunt? &c.* Vide de his plura apud D. Gerhard. l. cit. Parturit animus justissimam querelam de extrema seculi nostri ingratitudine, quæ facit, ut certè non pauci abhorreant à sanctissimo hoc ordine nostro, *cujus inchoatio invidia, continuatio labor, finis est odium*, ut mea faciam illa Sidonii Apollin. l. 4. Epist. 22. Sed *querelæ ne tum quidem gratæ, cùm & necessariæ*, juxta Livium in Præfat. l. 1. *& jam tempus equum fumantia solvere colla!*

MEDITATIO NONA, DE MAGISTRATU & SUBDITIS.

Nóta, post varios Politicorum Commentarios absolutissimè Locum hunc tractavit Excellentiss.

tiss. Dn. D. Gerhardus, Tomo VI. Locor. Itaque ne post Roscium in scenam prodeam, aut ligna feram in Silvam, breviùs me expediam, & tantùm - *summa sequar fastigia rerum*, remissurus te ad illum Oceanum, ubi opus erit, daturusq; operam, ne quid dictum ab illo iterem otiosè.

TEXTUS, Rom. 13. ℣. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. v. 2. Itaque qui resistit, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. 3. Nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali: Vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. 4. Dei enim Minister est, tibi in bonum: Si autem malum feceris, time: Non enim sine causa gladium portat: Dei enim Minister est, vindex in iram ei, qui malum agit. 5. Ideò necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. 6. Ideò enim & tributa præstatis: Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes: 7. Reddite ergò omnibus debita: Cui tributum, tributum:*

cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem: 8. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis!

EXordium à doctrinæ hujus necessitate, quam indicat *Occasio* hujus Exhortationis Apostolicæ. Fuit ea multorum calumnia in Evangelium, quasi omnium Politiarum abolitionem moliretur: intentata ipsi Domino, Luc. 23. 2. & deindè Apostolis, aliisq; Christianis, 1. Pet. 2. 12. Hæc enim capita fuerant accusationis in illos, *Impietas* in Deum & Dei vicarios, *Convivia Thyestæa*, *Oedipodii concubitus*, vide Athenagor. Legat. in princ. de quibus aliqua Dilherr. Vir. Clariss. in Electis, hinc Præses Pathmi ad S. Johannem, ut est in fragm. Prochori Apocrypho, antiquissimo tamen: *Disce, stultissime, colere Deos & obedire Legi Regum!* Pingebatur fœdissimum mendacium duplici colore, 1. quia Christus & Apostoli origine Galilæi sectam Judæ Galilæi, cujus *dogma adhuc per illud tempus vigebat, & habebat plurimos sectatores*, Hieron. in Epist. ad Tit. sequi videbantur. vide Actor. 5. 37. & Joseph. l. 20. Archæolog. cap. 2. & l. 7. de Bell. c. 29. 2. Quia enim doctrina de Libertate Christiana sonare putabatur, malè accepta, de qua bene S. Remig. h. l. *Homo constat animâ & corpore: in anima quidem debet servare inviolabiliter fidem Dei; in corpore verò debet servire dominantibus secundùm servitutem præsentis vitæ: &c.*

Necessa-

Necessaria igitur hæc tabulæ Oeconomicæ Lectio 1. *ad refellendam calumniam*, quæ & nostris Ecclesiis impingitur; non procul ibo: Corn. à Lap. hoc ipso loco ait; hodiè ab hæreticis everti regna & respubl. seculares, sub prætextu Libertatis Evangelicæ. Nos respondebimus cum Tertull. ad Scapulam: *Circa majestatem Imperatoris infamamur: Tamen nunquam vel Albiniani, vel Nigriani, vel Cassiani inveniri potuerunt Christiani. Nam undè*, inquit in Apologet. *& Cassii, & Nigri, & Albini? undè, qui inter duas lauros obsident Cæsarem? undè, qui faucibus ejus exprimendis Palæstricam exercent? undè, qui armati palatium irrumpunt, omnibus Stephanis atque Partheniis audaciores? De Romanis, ni fallor, id est, de non Christianis.* cap. 35. 2. *ad stabiliendam Rempub.* de qua Solon roganti, quomodo salva possit esse? Si Magistratui, inquit, pareant subditi, Magistratus Legibus. Quod fabella de Stomacho Rege apud Livium illustrat.

Qui Stomachum Regem totius corporis esse
Contendunt, verâ niti ratione videntur:
Hujus enim validus firmat tenor omnia membra,
At cõtrà ejusdem franguntur cuncta dolore &c.

Serenus Sammon. Medicus. Sed ad rem ipsam accedendum est. Spectabimus in *explicatione* textus I. Propositionem. II. Confirmationem. III. Exhortationem: in *applicatione* agemus 1. de Officio Magistratus. 2. de Officio Subditorum.

I. *Explicatio Textus.*

I. Propoſitio indicat, Quis,cui, quid debeat? Quis? *omnis anima*, Id eſt: Omnis homo, liber & ſervus, fidelis & infidelis. Remig. h. l. *An ergò & Eccleſiaſticus?* Reſp.Quidni? *Omnibus iſta præcipiuntur, etiam Sacerdotibus & Monachis, non ſolis Laicis: etiamſi Apoſtolus ſis, aut Evangeliſta, aut Propheta, aut quicunque.* Chryſoſtom. h. l. quem ſequuntur Theodoret. Oecumen. Theophylact. vide Rob. Abbot de Poteſtate Regia prælect. 3. & ſeqq. Molinæũ de Monarch. Temp. Pontif. Rom. cap. 18. & D. Gerhard. de Magiſtrat. Polit. §. 440. Eſtius excipit: 1. Si urgeatur Syncategorema *Omnis*, comprehendendos eſſe hoc præcepto etiam ipſos Reges ac Principes. Reſp. ex eodem: *Præcipit, ut omnes fideles Principibus ac Magiſtratibus, ſub quibus conſtituti ſunt, pareant in iis, quæ ad illorum poteſtatem pertinent*: Hæc ille ſtatim addidit. At perſonæ Eccleſiaſticæ ſunt fideles ſub Magiſtratibus conſtituti, non quidem officii ratione, ſed perſonarum & fortunarum. 2. Non eſſe conſequens, ut ſi Apoſtoli parere deberent ſeculari poteſtati, nunc quoq; Pontifices & Clerici teneantur. Nam poſteaquam Principes hujus ſeculi facti ſunt Chriſtiani & per hoc Eccleſiæ filii, juſtâ ratione placuit, ut ipſa Eccleſia in iis, qui præſunt, ab illorum ut filiorum ſuorum poteſtate eximeretur. Reſp. hanc exceptionem eſſe admodum per-

perplexam, & indubiè falsam: perplexam; Placuit, inquit. Cui? quando? *Si quis tentat excipere, conatur decipere*, ait Bernhard. ad Archiep. Senon. Lupum tenebat auribus, nam inter ipsos Pontificios ambigitur, undè orta sit hæc exemptio? an ex divino jure? an ex humano? Deo certè nunquam placuit, si alii placuit, contra Deum placuit: Falsam; nam ratio illa injustissima est, quæ Christianis Principibus jus suum tollit. Quantò meliùs Chrysost. neminem eximendum docens, Οὐδὲ γὰρ ἀνατρέπει τὴν εὐσέβειαν αὕτη ἡ ὑποταγή: *Non enim*, inquit, *tollit Pietatem ista Subjectio.* vide D. Gerhard. l. c. §. 441. 447. Cui? *Potestatibus supereminentibus:* Non de Angelis loquitur, sed de Regibus, Principibus, Tribunis, Centurionibus, Dominis, omnibusq; Prælatis, Remig. h. l. ex Irenæo, vide D. Gerh. §. 34. *An & de Ecclesiasticis?* Affirmat Bellarm. de Rom. Pontif. l. 4. cap. 16. §. Sextus Locus: ubi ait h. l. non solùm intelligi de Principibus secularibus, sed etiam de Ecclesiasticis. At Cornel. à Lap. *Seculares Magistratus hîc intelligere Apostolum patet, quia hîc solvuntur tributa & vectigalia.* Estius etsi idem dicat sentiendum de potestate Ecclesiastica, permittit tamen: *Paulum tantùm de potestate seculari agere hoc loco; sic enim intellexerunt eum omnes veteres Commentatores tam Græci quàm Latini, nec non Augustinus, quod & contextus sermonis ostendit. &c.* Origen. h. l. ait: *Omnia crimina, quæ vindicare vult Deus, non per antistites & Principes Ecclesiarum, sed per mundi Judices voluit*

vindicari. Quare potestatem seculi & judicium mundi Dei ministerium dicit. Quæris: *Cur abstracto nomine potestatis usus sit?* Respondent 1. Quia abstracta generaliora sunt concretis. 2. Quia in ipso vocabulo latet ratio obedientiæ, quæ Magistratibus præstanda, quia à Deo habent potestatem præcellentem. 3. Quia distinguere voluit inter potestatem per se & ejus abusum, & concretum semper à Deo esse dicere simpliciter non potuit, cùm multis malis artibus principatum adipiscantur juxta Oecumen. Simpliciùs dicitur, abstracto nomine & Græcos & Latinos vulgò usos fuisse, vide Estium h. l. & D. Gerhard. 34. & 118. præter allata exempla observo, Ammiano Marcellino Græcissanti hunc usum frequentissimum, sic *celsas potestates, Persicas potestates, cunctas Castrenses & Ordinarias potestates, denique Imperatorem coronâ & cœtu celsarum potestatum circumdatum*, apud eum legas. Quæ verò sit potestas Magistratus, quam Deus tribuit, & undè ei hoc nomen inditum est, multis docet D. Gerhard. §. 118. & seqq. & §. 126. ex h. l. docet, plures esse Magistratus species, quoniam Apostolus utatur numero plurali. Undè & S. Petrus h. l. explicans: *Subditi igitur estote omni humanæ creaturæ propter Dominum* [de his postea] *sive Regi tanquam præcellenti*, & cui primò à Deo tradita sit potestas hæc præeminens, qui tum, cùm S. Petrus hæc scriberet, fuit bipedum nequissimus Nero, *sive Ducibus*, Præsidibus aliisq; Regum administris & potestatibus inferioribus, *tanquam ab eo missis*,

puta

puta à Deo *ad vindictam malefactorum, &c.* 1. Pet. 2. 13. 14. Sic enim & Didymus in eum l. nos omni ordinationi humanæ ſubjiciendos, *Regibus quidem tanquam egregium culmen habentibus, Ducibus autem tanquam miſſis ab eo*, id eſt, ut mox, *ab eo, qui bonorum eſt cauſa, conſtitutis, &c.* Quid? *Subdita ſit!* Non ait πειθέσθω, ἀλλ' ὑποτασσέσθω, ut obſervat Chryſoſtomus, requirens humilem ſubjectionem & obedientiam ſubditi animi, undè Græco-Lat. gloſſarium vetus: ὑποταγὴ, *ſuppoſitio, ſubjectio*, & ὑποτάσσομαι, *ſubdor, ſubjaceo.* Nempè, *ſalvâ pietate: Non enim ſi Dei præceptis repugnent, Magiſtratibus parere præcipitur:* Theodoret. h. l. Hæc de Propoſitione.

II. Confirmatio, & quidem 1. ab honeſto, ex cauſa efficiente Magiſtratus: *Non eſt enim poteſtas niſi à Deo.* Propoſitio univerſalis Negativa in infinitum negans; Ullam eſſe poteſtatem inter homines, quæ non ſit à Deo, cum excluſione omnis determinationis. Vide D. Gerhard. cap. 3. h. l. ſect. 1. cui Affirmativam æquipollentem adjecit: *Quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt*, ita τεταγμέναι, ut niſi divinæ τάξει velimus reſiſtere, ἀντιτάσσεσθαι, oporteat nos ὑποτάσσεσθαι, ſubditos eſſe & ſubordinari. Sic enim loquitur Apoſtolus. Fluunt ex hoc argumento non pauca dubia, digito tantùm primore hîc attingenda: 1. *An Magiſtratus ſit tantùm à divina permiſſione? aut à Deo, ut pœna immiſſus?* Negatur, quia Apoſtolus ait, eſſe ordinem

divinum, & quidem, ut ſe mox explicat, ſalutarem, ℣. 4. *Nam quòd principatus ſunt, & quòd alii præſunt, alii ſubſunt, quodq́; non omnia temerè & caſu feruntur, populis inſtar fluctuum huc illuc circumactis, divinæ Sapientiæ opus eſt.* Chryſoſtomus h. l. qui hanc divinam ordinationem illuſtrat 1. *paribus*, τὸ ὁμότιμον μάχην πολλάκις εἰσάγει, *æqualitas honorum ſæpè parit pugnas*, ideoq;, inquit, varias conſtituit Deus ſuperioritates & ſubjectiones, ut inter Parentes & liberos, inter ſenes & juvenes, inter ſervos & liberos, inter Principes & ſubditos, inter Præceptores & diſcipulos. 2. *à ſimilibus*; *ex Microcoſmo*, nam ita in ipſo corpore noſtro membrorum diverſa ſunt officia, ut alia imperent, alia imperio pareant: *& ex Macrocoſmo*, ubi eadem divina taxis apparet, in avibus, in animalibus, in apibus, in piſcibus. Ἡ γὰρ ἀναρχία πανταχοῦ κακὸν, καὶ συγχύσεως αἴτιον, *ſine principatu eſſe ubiq; malum & confuſionis origo eſt.* Quæ contra Anabaptiſtas pluribus demonſtrat D. Gerhard. §. 34. & 48. II. *At S. Petrus vocat Humanam creaturam?* l. cit. ſed addit, ei parendum *propter Dominum*, quo indicat partim *modum*, quatenus obediendum ſit? nempè eo modo, quo Deus præcipit. Oecumen. *Qui propter Dominum ſubditur eis, qui ad principandum ſunt conſtituti, tunc ſolummodò eis ſubjectus non eſt, quando contraria voluntati Dei præcipiunt.* Didym. h. l. 1. Pet. 2. ℣. 13. partim rationem, *Cur?* Quia Deus ordinavit & mandavit. Oecum. ibid. vocat autem κτίσιν ἀνθρωπίνην vel *in abstracto*, conſtitutionem

nem humanam, was die Obrigkeit schaffet/ setzet/ und gebeut/ vel *in concreto*, quod ab hominibus secundùm Dei ordinationem creatum est, ut præsit & regat, ut dicatur Magistratus Creatura *humana causaliter*, quia ab hominibus; *materialiter*, quia ex hominibus; *finaliter*, quia propter homines; & *objectivè*, quia supra homines constitutus & creatus est. Vide D. Gerhard. §. 52. & D. Lutherum in Comm. Tom. 1. Witeberg. III. *An Magistratus sit immediatè à Deo?* Negat h. l. Cornel. à Lap. negat Estius, & hanc ajunt inter secularem ac Ecclesiasticam potestatem esse differentiam, quòd hæc à Christo immediatè instituta sit, illa mediatè, per naturalem instinctum rectæ rationis, quo excitati homines sibi aliquem præfecerint, cui parerent. Sed contrarium verius, & à Justiniano Imp. in Novell. ut & à Ludovico Bavaro definitum est. Nam si ipsam ὑπεροχὴν in abstracto spectemus, ea immediatè à Deo est per participationem, qui solus est Deus gloriæ, Actor. 7. 2. 1. Cor. 2. 8. Sin personas eâ præditas; initiò Deus unum fecit Imperium, dum virum præfecit mulieri; deindè cùm genus nostrum in multam incidisset ἀταξίαν, alia quoque instituit Dominorum & Principum, ut multis docet Chrysost. hom. 34. in 1. ad Corinth. clarè ostendens, etiam in Paradiso non futuram fuisse ἀναρχίαν, sed *prælationem subjectionemq́ aliquam in disponendo & gubernando multitudinem, secundùm quod quisq; ad influendum vel ad influentias ab altero recipiendum juxta suæ naturæ merita dispositus extitisset*,

tisset, ut ait Petrus ab Andlo l. 1. de Rom. Imp. c. 1. vide D. Gerhard. §. 82. & 25. IV. *Annon ergò primitùs Regna vel ex violenta oppressione vel ex voluntaria populorum subjectione coaluerunt?* Nequaquam; Deus ipse & ante diluvium potestatem Patriarchicam, & post diluvium Despoticam cum jure gladii instituit, Gen. 9. 6. illam simpliciter, quia Deus est ordinis, hanc ex occasione pravitatis humanæ ad vim & cædes pronæ; illam in bonum absolutè, hanc in pœnam malorum. Anathema Manichæis, qui Magistratum ortum dicunt à Malo Deo! Irenæus l. 5. cap. 20. & 24. ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες, *ex Jove sunt Reges!* ait Callimachus. *Principem da. Deus, qui erga genus humanum vice suâ fungitur*, Plinius Jun. in Panegyr. *Principibus summum rerum judicium DI dederunt* [undè & Elohim dicti sunt Psalm. 82. ℣. 1. à judiciaria potestate] *subditis obsequii gloria relicta est*. Tacitus 4. Annal. undè Plutarchus μέγιστον καὶ Θεῖον δῶρον vocat: &c. Interim non diffitendum aliquorum Imperiorum *causam impulsivam* fuisse; *internam*, Naturæ instinctum: *Lex enim naturæ est, ut minores pareant majoribus*. Aristides in Orat. ad Rhodios, *universali naturæ Lege receptum est & sempiternâ, ut inferiores pareant præstantioribus*: Dionys. Halicarn. l. 1. Histor. in princ. *externam*, vel *vim*; nam cùm principiò homines alicubi in commune rerum naturâ fruerentur, Seneca Epist. 90. Communio, ut fit, peperit discordias, cœperuntq; potentiores opprimere alios invalidos, undè Varro;

Natu-

Naturâ humanis omnia sunt paria.
Qui pote plus urget, pisces ut sæpè minutos
Magnu comest, ut aves enecat accipiter.

Vel spectatam *Virtutem* quorundam, undè potestas *pulcherrimum honestatis præmium* audit apud Polybium l. 6. &c. Ad Deum tamen ejusq; ordinationem semper recurrendum. Sic Remigius: Si quærimus, quare hæ potestates ordinatæ sint, illud dicendum, quòd genus humanum bestiale effectum, bellvino more cœpit contra se sævire, in tantum ut primi parentis filius in fratrem consurgens interfecerit eum &c. Hac de causa bestialibus hominibus omnipotens Deus Principes præposuit, ut eorum terrore acerbitas animorum illorum reprimeretur, hæc ille & alia ex Origene, de quibus ex dictis judicandum. Pertinet huc ex D. Gerhardo §. 48. & 56. V. *An igitur & hæretici, Ethnici, Tyranni aliiq; scelerati potestatem acceperunt à Deo?* Chrysostomus distinguit Rem à Personis, illam à Deo semper esse, non has. Sequuntur alii Græci. At etiam personas à Deo constitutas in hunc locum, Scriptura passim testatur. Ergò meliùs distinguitur potestas ab acquisitione & usu ejus. Illa semper à Deo & bona, hæc aliquando mala sunt & non à Deo nisi sinente, ut ait Augustin. *Non est potestas nisi à Deo sive jubente, sive sinente* l. 22. contra Faust. c. 76. *Non est potestas mala, sed ambitio:* & mox: *Non muneris aliqua culpa est, sed administri; nec Dei potest ordinatio displicere, sed administrantis actio.* Ambros. l. 1. in Lucam. c. 4. de

his

his multa D. Gerh. §.79. & seqq. Deniq; VI. patet hinc: *An Christianus Magistratus esse possit?* de quo Idem §. 57. Sequitur argumentum

2. à contrario, quia resistentiâ & inobedientiâ nihil potest esse pejus, nihil periculosius! *Itaque,* cùm omnis potestas à Deo ordinata sit, *qui resistit, Dei ordinationi resistit*; quid pejus? *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*: Quid gravius? Magni ad obedientiam stimuli! Dicere potuissent aliqui fidelium: *Quò abjicis nos, quàm contemtibiles facis? Nosne, qui Cœlorum regna exspectamus, Principibus terrenis subdis?* Resp. Apostolus inobedientiam esse 1. facinus *horrendum*, cùm Deo ipsi adversetur. *Nam Deo obedit, qui Principibus se subjicit: & qui potestati non est obediens, Deo adversatur.* Sic Chrysostom. h. l. undè & Ambrosius ait, scita & decreta Principum esse *Dei Legem*, & notum est Bernhardi: *Quicquid Vice-Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secùs omninò accipiendum est, quàm si præcipiat Deus. Quale exemplar sui Deus in Cœlo dedicavit Solem & Lunam: Tale ejusdem μίμημα καὶ φέγγος, simulacrum & lumen in terris est Princeps.* Plutarch. ad Princ. Indoct. 2. *damnosum*, attrahit enim damnationem κρίμα, *judicium*, non modò potestatis ipsius læsæ, & authoritatem suam & contemptu vindicantis, de qua in sequentibus plura, & accepit de hac damnatione sola Remigius; sed & Dei, temporalibus & æternis pœnis asserentis potestatem, quam constituit ipse. Sic Græci & Ambrosius.

Hinc

Hinc vetus Verbum: ἀκοὴ ζωὴ καὶ θάνατος ἡ παρακοὴ, Synesius Epist. 67. *Obedientia vita est, inobedientia mors*, ait Gensericus Rex in Edict. apud Cassiodor. in Var. &c. Observant hîc: 1. Per inobedientiam resistere potestati ordinariæ esse peccatum mortale. 2. Peccare in Deum, qui Legem transgreditur humanam. 3. Leges Civiles etiam impiorum & infidelium Principum, secluso scandalo quoque, obligare in conscientia &c. de quibus aliqua in vers. 5. De Quæstione: *An & quatenus resistere liceat potestati?* Consule Pareum h. l. Dub. 4. & pertinent huc illa: An & infideli ac impio Magistratui debeatur obedientia? An resistere liceat cogenti ad impiam religionem? An Tyrannum vi liceat excutere? &c. de quibus prolixè D. Gerhardus §. 474. & seqq.

3. ab utili, ostendit enim in Prolepsi tacitæ objectionis τὸ κέρδος τοῦ πράγματος, Rei utilitatem, ut habet Chrysostomus. Poterat enim aliquis intercedere his consultis Apostoli & dicere: Scimus ad damnationem & ad pœnas nimis quàm promptos esse Principes, & ideò meritò aversamur, ut Medicos illos, quos ἀποτόμους vocant, qui nihil aliud nôrunt præter ustionem & sectionem, de quibus Nazianz. περὶ εὐταξίας, & Seneca ad Marciam c. 22. Respondet Apostolus infitiando, & veros fines potestatum mundanarum & earum officia ac redundantia indè commoda in Rempubl. insimul exponit. Nam *Principes non sunt timor bonorum operum, sed malorum.* Quid times? quid horres?

nunc

nunquid de bene agente pœnas sumet Magistratus? nunquid timendus est Virtutis studioso? Chrysost. nequaquam, si officium faciat: Si quid contrà; potestatis abusus est, non imputandus ipsi. De Bonis ait ille:

Sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox,
Cuiq; dolet, quoties cogitur esse nocens.

At de Tyrannis Seneca in Agamemn. ℣. 276.

Quid honesta prodest vita, flagitio carens?
Ubi Dominus odit, fit nocens, non quæritur.

Vis autem non timere, servili timore pœnæ, nam de honesto & ingenuo timore reverentiæ sequitur, cui timorem, timorem! *potestatem? Bonum fac*, Legibus obtempera, *& habebis laudem ex illa:* Ἀφοβία μεγίστη, τὸ φοβεῖσθαι τοὺς νόμους, ait Synesius Epist. 2. *Timoris remedium est, timere Leges. Magnum est præsidium in periculis, innocentia*, Seneca Pater controv. 16. Pietas tutissima Virtus! & Fides

- in mœsto securum tempore tempus
Præsumat confisa Deo; quia non metuendi
Causa timere Deum! quem quisquis non timet unum,
Omnia jure timet! Paulinus Natal. 8. S. Felic.

Ità animus innocens nihil habet, cur timeat potestatem, ne quidem si injusta & sæva sit. Laudem potiùs, gloriam, honoresq; exspectat & accipit; si non ab illa, tamen *ex illa; aut enim justè agis & justa potestas laudabit te; aut justè agentem, etiamsi injusta potestas damnet, Deus justus coronabit.* Augustin. serm. 94. de Temp. Solon Rempub. duabus rebus

con-

continere dicit, Præmio & Pœnâ apud Ciceron. in Epist. ad Brutum. Est autem τῆς ἀρετῆς ἆθλον ἡ τιμὴ, *Præmium Virtutis honor*, Arist. 4. Ethic. c. 3. hujus diribitor & quasi Athlotheta est potestas, si faciat officium. *Dei enim Ministra* est, ut Legit Tertull. Scorpiac. c. 14. *tibi*, si bonus es, *in bonum*, ut laudem ex ea consequare, & sub ea vitam tranquillam; *& vindex in iram ei, qui malum agit*, quæ est optima definitio Magistratus: Itaq; non timeri debet à bonis, quippè

Oderunt peccare boni Virtutis amore;

Si autem malum feceris, time, merito tuo habes, quod timeas: *Non enim sine causa* frustrà *gladium portat*, sed ut stringat in inobedientes. Observa 1. Magistratum non ideò esse odio habendum, quia timendus est. Οὐ γὰρ ὁ ἄρχων ποιεῖ τὸν φόβον, ἀλλ' ἡ πονηρία, *Non potestas facit metum, sed malitia.* Chrysost. hæc complexionis Apostolicæ summa est. 2. Quòd de gladio ait, ex ejus ævi consuetudine est, quâ summis post Cæsares potestatibus *Honores juris gladii* dabantur, quos vendi noluit Alexander Severus, apud Lamprid. prælatusq; est quibusdam gladius nudus, ut Basano, Sicambrorum Regi, quo filium proprium Sedamum adulterii convictum interfecit, dicens: *Non ego te, fili, occido, sed Lex Patria.* Trithemius l. 1. Breviarii Histor. Franc. aliis vaginâ tectus, ut Venetorum Ducibus apud Egnat. l. 2. Exemplor. &c. Credo hinc ortam Barbarorum Alanorum & Quadorum religionem, quâ gladium pro Numine colebant, &

per

per eum jurabant. 3. Fines Magiſtratus hinc quoque elucefcunt, conſtitutus enim eſt in Bonum Publicum triplex, Tranquillitatis, Pietatis, Honeſtatis, de quibus ex 1. Tim. 2. 2. D. Gerhard. §. 140. & ſeqq. multa, ubi inter alia dubium quoque: *An cura Pietatis ſpectet ad Magiſtratum?* de quo etiam Pareus h. l. Dub. 5. Campus immenſus ſed decurrere non libet. Creſcit etiam præter propoſitum materia. 4. Magiſtratus Dei Miniſter ter dicitur h. l. utiturq; Apoſtolus nomine non tantùm Διακόνυ, ſed & λειτυργῦ, quòd Publicum Miniſterium indicat. D. Gerhard. §. 39. Servit autem Deo inprimis in Legibus *ferendis:* Eſt autem Lex omnis *εὕρημα μὲν καὶ δῶρον Θεῶν, inventum quidem & donum Deorum, ſtatutum verò hominum prudentum & regula corrigens voluntaria aut involuntaria peccata.* Demoſthenes contra Ariſtogiton. & *exſequendis,* etiam gladio ultore: Nam *corporis infirmitatem ſanat ars; animi verò morbum ſola Mors tollit ut Medicus,* Phalaris Alciboo in Epiſt. Ita *interdum optimum miſericordiæ genus eſt occidere.* Seneca de Ira l. 1. c. 16. & ut Caſſiodorus in Var: *Pietatis genus eſt coërcere infantiam criminis, ne juveneſcat augmentis.* De hoc jure multa D. Gerhard. quem de Legibus vide §. 215. de Judiciis, 270. de Suppliciis, 293. Ego progredior ad argumentum

4. à neceſſario, *Quapropter neceſſitas eſt* ſubditis, *ut* Magiſtratui *ſe ſubjiciant, non ſolùm propter iram* & pœnas, ne quas à Deo & hominibus in ſe concitent, *ſed & propter conſcientiam,* multorum

putá

puta beneficiorum, ne ſimus ingrati, ſic explicat Chryſoſt. Meliùs alii Comm. de dictatu conſcientiæ, quæ Lege naturali & divinâ informata loquitur nobis, violato Magiſtratu violari Deum ipſum, cujus ille ordinatio eſt, undè Menander:

Εἰκὼν δὲ βασιλεὺς ἐστιν ἔμψυχος Θεοῦ,

Animata Princeps eſt Imago Numinis.

Hinc Quæſtio nobilis: *An Leges Magiſtratus obligent in conſcientia?* Eſtius non modò affirmat, ſed & negativam contrariam dicit eſſe falſam, à ſenſu Scripturarum alienam, denique noxiam & Pietati inimicam. Tu vide D. Gerhard. §. 267. & allegatum ibi D. Meiſner. confer Pareum Dub. 7. h. l. &c. Confirmat hanc neceſſitatem quaſi Proſyllogiſmo, cùm pergit: *Ideò enim & tributa præſtatis*, quod publicum ſubjectionis ſignum eſt, conſcientiâ dictante: *Quia Miniſtri publici Dei ſunt, in hoc ipſum* ſedulò & magna cum inſtantia *incumbentes* ac perdurantes, nempè in publico hoc miniſterio, quod Bono Publico exequuntur. Agnoſcitis itaq; Dignitatem eorum, quod Dei vices ſuſtineant; agnoſcitis operis & difficultatem. Quid enim Regnum niſi ſplendida ſervitus?

Populi eſt mancipium, quiſquis Patriæ eſt utilis, ait Publ. Syrus: & utilitatem, nam his de cauſis tributa ſolvitis ὡς μισθὸν κηδεμονίας, *ut curarum & tuitionis mercedem*, ut habet Chryſoſtom. Quare niſi ſubjecti ſitis, fieri nequit, quin conſcientiam vulneratis. Hinc

III. Exhortatio; *Reddite ergò omnibus*

 debita,

debita, id enim Justitiæ Lex exigit. *Æquissima vox est, & jus gentium præ se ferens: Redde, quod debes!* Seneca l. 3. de Benef. cap. 14. *Inverecundi debitoris est, aut differre credita, aut promissa denegare.* P. Chrysolog. serm. 123. *Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal:* Quid inter φόρον, tributum, & τέλος, vectigal, intersit, Phavorinus docet: φόρον esse, quod infertur, undè nomen habet, pro agris & fundis; τέλος autem esse, pro negotiatione συντέλειαν, contributionem aut collectam. Tributum penditur ex censu Schatzung / dictum, quòd Romani Cives, quisq; in tribu sua, contribuerent: Vectigal ex mercium invectione aut evectione, Zoll. vide Bulenger. de Vectigal. Pop. Rom. cap. 2. Utrumq; solvere jubet, nec ait: δότε, date, sed ἀπόδοτε, reddite: *Nihil enim gratificatur, qui hoc facit, nam debitum est res ista*, ait Chrysostomus. Quæ admonitio eò fuit visa Apostolo magis necessaria, quòd sub Romanis passim magna esset Publicanorum vexatio, crebræq; gentium indè querimoniæ. Undè definitio apud Suidam: *Publicanus alienorum negotiorum particulo est, vis cum licentia, rapina cum impunitate, avaritia impudens*, vel ut vocat S. Chrysostomus de Pœnit. Achabi, ex quo Suidas, εὐπρόσωπος *venusta cum facie, deniq; Practica*, ut dici solet, Græcè πραγματεία, *carens ratione & inverecunda negotiatio. An tributa solvenda sint?* vide D. Gerhard. §. 476. & seq. Nec manu tantùm reddendum, quod debemus, sed & animo: *cui timorem, timorem*; quemnam? Οὐ τὸν ἐκ τοῦ πονηροῦ

συνει-

συνειδότ☉, non eum, qui ex mala conſcientia eſt, ſed qui ex reverentia, ut docet Chryſoſtom. *Cui honorem, honorem*: Ita enim, ait Idem: *vult Deus, ut ab ipſo τυπωθεὶς, ad ſimilitudinem ſuam efformatus Princeps, hanc propriam vim habeat*, nempè ut omnibus appareat honorabilis, quem ſine ſacro quodam horrore & honore nemo audeat adire aut alloqui. Tandem generali monito doctrinam hanc obſignat Apoſtolus: *Nemini quicquam debeatis*; exſolvite vos, quà licet, omnium debitorum vinculis, nam & in veteri Scholio *primum* prædicatur *bonum bene valere, alterum pulchrum eſſe*, *& tertium nil debere*: & apud Stobæum ſerm. 1. de Virtute, Incerti cujuſdam votum eſt: *Ne quid debeat, aut ſi neceſſitate aliqua eò redactus ſit, ut ſtatim contingat liberari*: *niſi ut invicem diligatis*, id enim ſanctiſſimum debitum & omnibus antecellens in debendi neceſſitate, in exigendi honeſtate, in ſolvendi facilitate, etiam cùm ſolvitur, debetur, & ita debetur, ut, modò Bona Mens ſit, ſine impendio ſolvatur. Nam eâ præditus, ut dicam cum Auguſtino; *Pauper eſt in arca, ſed dives in conſcientia*; *Pauper eſt in domo, ſed dives in animo*, l. Quinquag. ſerm. 6. *Ergo omnes mutuæ Charitatis officio ſic debitum exigant, ut debitoribus, quod exigunt, reddant*, Fulgent. ad Probam.

II. Applicatio ad uſum

I. Informatorium, De Magiſtratu Politico. Poſſet autem totus iſte Locus ex hoc Apoſto-

postolico oraculo explicari, tum quoad ὀνόματος, cùm quoad πράγματος. Sed pleraq; attigi in explicatione textus, cum tædio non repetenda. Mitto etiam osores & rosores sanctissimi ordinis, de quibus D. Gerhard. §. 48. 75. 77. &c. De officiis tantùm aliqua monebo, de quibus copiosissimè Idem egit cap. 6. §. 141. &c. Sequar ejus ductum, & quasi lineas, sed alios colores inducam. Magistratus 1. Erga Deum Pius esto! Hoc ante omnia & ex animo, ut Dei Ministrum decet. *Quid enim sunt Christiani populi Rectores, nisi Ministri Omnipotentis?* ait Apostolo consentiens Sedulius in libello de Rectorib. Christ. cap. 1. nec aliter speranda firmitudo Potestatis aut Salus Publica. *Proculdubio Sacri Rectores quantò plus se Regi Regum humiliter subjiciunt, tantò magis ad gloriosæ dignitatis eminentiam sublimiter adscendunt:* Idem; ac reapse experiuntur, ut canit Claudian. in 4. Consul. HonorI,

Indomitum nil esse pio, tutumq; nocenti.

Sunt autem *Pietatis munia* alia *Privata*, ut Bonus Magistratus & Deum rectè tam agnoscat, quàm colat, vide D. Gerhard. §. 143. 182. & se divino nutui humiliter subjiciat, à Deo se ordinatum, & Deo subordinatum semper recogitans. Quia

Regum timendorum in proprios greges;
Reges in ipsos imperium est Dei.

Deniq; Deum, quà in hominem cadit, imitetur: *ille Primus Rex & Dynasta* φύσει, *Magistratus ab illo proximus* γνέσει καὶ μιμήσει, *ortu & imitatione*, ut ait

ait Sthenidas Pythagoræus: alia *Publica*, rectè curare, quæ ad religionem, D. Gerhard. §. 165. 183. ut & subditi Pietate floreant, eo fini enim Dei Minister est; ubi de Ecclesiæ conservatione, Scholarum fundatione, de Ministrorum institutione, sustentatione, debitâq; illis veneratione, de Legibus Ecclesiasticis, & aliis multa dicenda, sed aliis non indicta, & hîc tantùm indice demonstranda. Attigi quædam *in Dissertatione*, quam olim, cùm à Cathedra, vocante Domino, digrederer ad Suggestum, recitavi in Gymnasio Patriæ, *de Officio Scholarchæ Optimi*, ubi & de Bono Principe alia, ibi fortè post hunc commentariolum publicè legenda.

2. Erga seipsum σώφρων esto! quo nomine & Modestiam & Castitatem, Continentiamq; adeò & Prudentiam universæ vitæ complectimur.

- - *Quo fortuna altiùs*
Evexit atq; levavit humanas opes,
Hoc se magis supprimere felicem decet,
Variosq; casus tremere! ait Seneca in Troad.

Etenim ut idem in Thyeste:

Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem;
Res Deus nostras celori rotatas Turbine versat.

Cui nihil ad augendum fastigium superest, hic uno modo crescere potest, si se ipse submittat, securus magnitudinis suæ. Plinius in Panegyr. Castitas & Sobrietas in aulis raræ apparent, privatorum laudibus inscribendæ putantur. At *quid turpius, quàm Principem hominum mancipium esse li-*

bidinum? cùm deceat magis imperare suis cupiditatibus, quàm subditis. Isocrat. ad Nicoclem. Quid ignominiosius, quàm *custodem custode opus habere, ut ebriis accidit?* Plato Dial. 3. de Repub. De avaritia quid dicam, quæ & ipsa cum Sophrosyna pugnat? Nihil nisi quod de Regno Synesius: βασιλεὺς ἐργασιχρήματος αἴσχιων καπήλου: *Rex Lucricupidus fœdior est caupone, nam ille inopiam solatur suam; at iste inexcusabili est animi malitiâ.* Prudenter ergò & continenter vitam instituat, qui omnium in se oculos videt intentos & quem populorum - *tota armenta sequuntur. Sicut enim boni Principis vita probitatis quædam præscriptio, & per omnes vivendi forma est: Ita Imperatoris colluvio, Lex flagitiorum est.* Egesippus l. 2. Excid. cap. 5.

3. Erga familiares colat inprimis Prudentiam, quâ se dignos & legat rectè & regat. Nam *sicut lilium agri aliorum olerum ac violarum multiplici pulchritudine venustatur; & sicut Luna Stellarum splendore circumstantium gratiùs emicat: Ita nimirum Rex justus & sapiens aliorum societate bonorum perornatur.* Sedulius l. c. cap. 5. Præcipua Conjugis cura sit: Nam *quantum Conjux Viro est propinquior, tantum aut felle malitiæ fit noxia, aut morum dulcedine mellea.* Idem. Proxima eorum, qui à Consiliis. *Sicut enim boni Consiliarii sursum Remp. erigunt; sic mali deorsum ruinosâ calamitate præcipitant.* Idem cap. 6.

Ergò Viros famosa quibus Prudentia nomen
Longaq; multarum dedit experientia rerum

Sæpiùs

Sæpiùs arcanis solitos interfore rebus
Adsciscens, magno secreta negotia regni
Pertractans studio, de cunctis rebus agendis
Consulat, & pulchrum, justumve vel utile quid sit?
Quid deceat, quid non? studiosâ mente requirat.

Ut hæc Güntheri mea faciam l. 1. Ligur. ℣. 500. *Magnis enim negotiis itidem ut magnis Comœdiis edecumati apponuntur Actores.* Symmach. l. 10. Epist. 2. Denique Aula Virtutum Officina sit, non confluges perditorum hominum. *Malus pupillus est Imperator, qui ex visceribus Provincialium, homines Reipub. inutiles alit*, ut Regia vox habet Alexandri Severi apud Lamprid.

4. Erga æquales Fidem colat & Concordiam; de Fide Silii Italici nota sunt illa:

Ante Jovem generata, decus Divumq; hominumq;,
Quæ sine non tellus Pacem, non æquora nôrunt,
Justitiæ consors, tacitumq; in pectore Numen.

Nihil indignius, quàm si in eo corde non inveniat penetrale suum, cujus, ut Dei, invariabilis debet esse indictis factisq; Constantia! Si absit; nec Pax diu aderit, nec Concordia, quæ sola *Auream* Regum ac Principum *Fortunam* quasi retinacula morantur: est enim ambulatoria, vel uti Scythæ Barbari non barbarè philosophati sunt: *Manus & pinnas tantùm habet, cùm manus porrigit, pinnas quoq; comprehendere non sinit.* Curtius l. 7. de Fœ-

deribus & Legatis passim multa multi. Ego ab amicis Potestatum pergo

5. ad Hostes, ac de Bellis quidem vide D. Gerhardum nostrum §. 368. & seqq. Regula Generalis illa est, quam & Filio præscripsit Ludovicus IV. Elector Palatinus - *sis cave*

Batutor aut percussor! at cùm Martia
Vexilla aperto liberè in campo volant;
Tum fortis, acer, strenuus sis, nec fuge.
Quippè herclè melius est honestè occumbere,
Quàm fugere in acie turpiter:

apud Melissum l. 6. Meletemat. carm. 2. Facit ad rem Icon Optimi Principis à penicillo Güntheri l. 1. cit. ℣. 287.

Certus Amor, robusta Fides, Constantia mentis
Nec frangenda malis, nec sustollenda secundis.
Laudis amans, largitor opum, crudelibus atrox,
Tranquillus placidis, ferus indomitusq; superbis,
Supplicibus facilis, justis pius, asper iniquis,
Fortis ad instantes casus, prudensq; futuri,
Præteritiq; memor, sociis bonus, impius hosti!

ubi multa Vir Clar. Rittershusius, in Notis.

6. Supersunt Subditi, quibus debet Clementiam & Justitiam. De illa vide D. Gerhard. §. 160. & seqq. de hac 213. 270. 293. Multa; sed non id adeò mihi curæ, quid dicam, quàm quid non dicam. Bonus Princeps ἔ ὀρθοῦ φύλαξ, *Recti Custos sit, & Magnæ Deæ Justitiæ Minister ac Interpres,* ait Eusebius apud Stobæum. Meminerit se tamen homi-

hominem hominibus jus dicere, & fulmen Justitiæ involvat oleâ Clementiæ. *Macte Indulgentia*, exclamat Cassiodorus! *Tu patrona generis humani: Tu afflictis rebus Medica singularis! Quis tuo non egeat munere, cùm sit peccare commune? &c.* l. 11. Var. Epist. ult. Sat multa de Magistratibus, *superflua scribere, res jactantiæ est: necessaria reticere, contemptus.* Ennod. in Nat. Laurentii. Addo appendicem brevem

II. De Magistratibus inferioribus, Superiorum Delegatis, Officialibus, Ministris. De iis placet audire 1. Consilium Jethronis, quod legitur Exodi cap. 18. 20. 21. Complectitur totus locus à ℣. 19. usq; ad 23. 1. Attentionis petitionem, *audi verba mea atque consilia*, quanquam & dignitate & sapientiâ anteis, tamen *Optimos Gubernatores haud mediocriter etiam remigum manus juvat. Summis Imperii moderatoribus pia & decora suadentes, instrumenta sunt boni seculi.* Symmach. l. 4. Epist. 7. Ergò audi, *& erit Dominus tecum*, actionesq; tuas prosperabit. 2. Consilii expositionem, in qua indicatur, quid Mosen velit ut summum Principem agere per se, & quid per administros? Quid per se? *Esto tu Populo* internuncius *in his, quæ ad Deum* pertinent, *ut referas ad eum, quæ dicuntur*, vota ac postulata omnium, *Haddebharim*, verba, id est, negotia, ut ℣. 18. antè *Haddabhar*, hæc res, hoc opus, negotium; apud Augustinum q. 69. in Exod. est: *referes verba eorum*

ad Deum, quod explicat de universo Populo, non de singulis. Sequentia quoque aliter ibi legas quàm apud Vulgatum: *& testaberis illis præcepta Dei & legem ejus, & demonstrabis illius vias, in quibus ambulabunt in eis, & opera, quæ faciant.* Verbo: cùm Mosi singulorum curam adimit, non vult eum otio torpescere, sed publicam salutem omnium curare, & vigilare, ne quid detrimenti capiat. Imponit Mosi munus 1. *Interpretis* apud Deum, quod etsi extraordinarium sustineret ut Magnus Propheta, documento tamen esse debet Principibus, ut precibus salutem suorum Deo sæpè commendent, sacra oracula in scripturis divinis consulant, & Dei quoque Ministros propiores, Ecclesiæ puta Doctores, in consilium admittant. 2. *Legislatoris*, & Legum custodis, quo & cum æterna nominis celebritate functus est. Hoc proprium Principis, quem *Justitiæ ac juris humani diviniq; tam repertorem novi quàm inveterati custodem* esse decet, ut de Trajano scripsit Aurel. Victor. *Posthæc admonet*, ait Augustin. l. cit. *ne singulorum negotia, quæ inter se habent, deserantur, electis videlicet potentibus Viris, Deum colentibus, justis & qui oderint superbiam, &c.* Verba sic habent: *Provide* autem, elige, non enim temerè oblati aut offerentes se clavo Reip. admovendi, magnâ hîc curâ & prudentiâ opus est, verè enim dictum est ab Homulo, Trajano Imperatori, *meliorem esse Remp. & propè tutiorem, in qua Princeps malus sit, eâ, in qua sunt amici Principis mali: Siquidem unus malus potest à pluribus bonis*

cor-

corrigi; multi autem mali non possunt ab uno, quamvis bono, ullâ ratione superari. Lamprid. in Alex. Severo. *De omni plebe*, non ex alienigenis. Deut. 17. 15. *Alienigenam Dominum nemo pati vult:* Scytharum vox est apud Curtium l. 7. Judices his conditionibus præditos 1. *Viros*, sive sexum sive ætatem spectes, sive rerum usum. Esai. 3. 12. Deut. 1. 13. Fœminas ad judicandi munus non admittit Deus. - *Medis Levibusq; Sabæis*

Imperet hic sexus.

Juvenum ætas verò, ut rectè canit Valer. Flaccus l. 1. ℣. 54. necdum - *Imperio & belli rebus matura mariq;.* Prudentia rarò antevenit canos. 2. *Potentes*, Plantiniana exemplaria habent *Sapientes*, propriè *Chail*, virtutis, magnanimos, & qui sint Legum ac Patriæ antemurale, id enim vocabulum significat. Sir. 7. 6. Talis, quem describit Horatius:

Justum & tenacem propositi virum,
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis Tyranni
Mente quatit solidâ, &c.

3. *& timentes Deum*, eumq; Judicem Judicum habentes præ oculis,

Iterum ille enim rem judicatam judicat &c.

Plaut. in Rudente Prolog. Quò facit Josaphati Lex aureis literis exaranda & præfigenda omnibus Judicum Consistoriis: 2. Paralip. 19. ℣. 6. *Videte, quid faciatis?* Magnam suscepistis provinciam? Sic Cobares Basso: *Magnum onus sustines*

capite

capite regium insigne. Hoc aut moderatè perferendum est, aut, quod abominor, in te ruet. Consilio, non impetu opus est. Curt. l. 7. *Non hominis exercetis judicia, sed Dei,* non est humana inventio, Dei donum & ordinatio est judiciaria potestas. *Oportet ergo sine lucri & dignitatis respectu judicare, Justitiamq; rebus omnibus anteponere. Nam hoc non agens, Deum contemnit & infirmiorem judicat iis, quibus præter fas potentiæ solius metu calculum suum tribuit.* Τοῦ γὰρ Θεοῦ ἰσχὺς ἐστι τὸ δίκαιον, *Dei enim virtus Justitia est*, hæc Josephus l. 4. ἀρχαιολογ. c. 8. *& vobiscum est in negotio judicii,* non latebitis præsentem, non effugietis ultorem, undè Vulgatus : *& quodcunq; judicaveritis, in vos redundabit.* Ita & Hesiodus gubernatores ad Justitiam exhortatur, illos enim Deum non latere, qui jus violent; multos Deos rebus humanis intervenire, licèt invisibiles sint, &c. *Deorum Numen rebus humanis, etiam quà non apparet, intervenit.* Quintil. Declam. 388. *Omnia Deo plena sunt, nec ullus perfidis tutus est locus.* Symmach. 10. Epist. 61. Ergò

- Justitiæ cultor, quæcunq; capesses,
Testes factorum stare arbitrabere Divos.

Silius l. 15. ℣. 111. *Sit timor Domini vobiscum*

Hic testis, hic est arbiter,
Hic intuetur, quicquid est,
Humana quod mens concipit,
Hunc nemo fallit judicem.

Prudent. in Cathemer. *Custodite ergò* jus & fas *& facite,* vel juxta Vulgat. *Cum diligentia cuncta facite.*

cite. Sic fiet, ut, si Deum revereamini, non vos deflectat à Justitia vel affectuum *perversitas*, *neque enim ulla in Deo, vel personarum respectus, vel munerum cupido*. Ergò inter Præsules Justitiæ

- - DIs proximus ille est,
Quem ratio, non ira movet, qui facta rependens
Consilio punire potest : &c.

Claudian. in Conf. Mallii. 4. *In quibus sit veritas*, candor, & sinceritas animi justi, unicumq; juris & æqui studium. Itaq; apud Ægyptios Princeps Judicum, erant autem illi Sacerdotes, qui maximus natu, omniumq; justissimus & sincerissimus esse debeat, de collo gestabat imaginem ex sapphiro effictam, *Veritatis*. Ælian. l. 14. c. 34. & 5. *qui oderint avaritiam*, superbiam habet Augustin. l. cit. bis, & ideò putat admonitum Mosen ab alienigena, ne in superbiam incideret, quod ut familiare vitium est potentibus & honoratis, ita judiciis noxium, si quod aliud: Præsertim cùm *primum religioni suæ judex debeat patientiam, quæ pars magna justitiæ est.* Plinius l. 6. Epist. 2. Sed & avaritiæ odium Judici summè necessarium est.

Munus enim à norma recti distorquet acumen
Judicis & tetrâ involvit caligine mentem:
Cum semel obtinuit vitiorum mater in aula
Pestis avaritiæ, quæ sola incarcerat omnes
Virtutum species, spreto moderamine juris
Curritur in facinus, nec Leges curia curat.

Philipp. Gualtherus Alexandreid. l. 1. Poëta vetustior: de his & aliis Judicum requisitis requirendus

D. Ger-

D. Gerhard. 283. & seqq. addit Jethro: *& constitue ex eis*, certos gradus ordines sibi succedentes, quos inter negotia & civilia dividantur, ut appellare liceat superiores, si quis se gravatum ab inferioribus sentiat, ut *Millenarios, Centuriones, Quinquagenarios, & Decuriones, qui judicent populum*, singulasq; causas examinent *omni tempore*, quod summo Principi factu impossibile. Denique continet locus hic quoque 3. Conclusionem, *si feceris & Deus pracipiet tibi*, poteris enim ad Deum referre, ejusq; familiare responsum expetere, *poteris stare*, eris ferendo, non succumbes tanto oneri, *& populus* quoque & expeditis citiùs negotiis suis *revertetur* quisque *ad loca sua*, domum cum pace. Animus erat adjicere II. Pædiam Regiam Davidis ex Psalmo 101. sed ne excrescat in molem, contra propositum, libellus, remitto te ad solum D. Molleri elegantissimum commentarium.

III. De Subditis abundè dictum in explicatione textus; *Civitatem ajunt esse hominum multitudinem eodem loci habitantium, à Legibus gubernatam*, ut habet Dio Prusæus Orat. 26. Corpus ejus ipsa multitudinis collectio est, anima Lex, caput Magistratus; membra cives. Singulis sua debet Vir bonus: *Corpori & membris* Charitatem, id enim commune, ut ait Apostolus, debitum est. Virtutibus ergò & Doctrinæ se dedat à tenero ungue, ut utilis esse possit quà singulis quà universis consilio, &, si opus sit, manu promptâ. Hæc enim civitatum fulcra, & Sulpitia in Satyr.

- duo

- *duo sunt, quibus extulit ingens*
Roma caput, Virtus belli, & Sapientia Pacis.

Quo etiam illud Macrobii: *Virtutibus Vir bonus primum sui, atque indè Reip. rector efficitur, justè ac providè gubernans humana, divina non deserens*, in Somn. Scip. l. 1. cap. 8. *Legibus* obedientiam; etiam cum sanguinis & vitæ impensa. *Dulce & decorum est pro Patria mori. Semper credidi immortalitatem esse pro Repub. mori*, Calphurn. Flacc. Declam. 50. Cui nullæ charitates anteferendæ. Meritò laudatus Timoleon Corinthius, quòd *antetulerit suorum civium libertatem fratris saluti, & Patriæ Legibus obtemperare sanctius duxerit, quàm imperare Patriæ*, apud Corn. Nepot. aut Æmil. Prob. in Vita. Usque tamen ad aras & salvâ fide. Siquidem *omnium Legum inanis est censura, si non divinæ Legis imaginem gerat.* Saresber. l. 4. Policrat. cap. 6.

Non quid Rex jubeat, sed quid Deus imperet, audi, ait Mater VII. Maccabæorum apud Marium Victor. in Carm. nempè si alia Rex aut Lex, alia Deus. Nam, ut P. Syrus:

Bis peccas, cùm peccanti obsequium accommodas.

Nos quidem potestates humanas suo loco suscipimus, donec contrà Deum suas erigunt voluntates, ait Symmachus Rom. Episc. in Apologet. adv. Anastas. Imp. *Magistratibus Honorem*; quia Dei imago sunt. Ambros. in c. 13. ad Rom. & quidem in omni opere, sermone, & patientia, quia Patriæ Patres. Sir. 3. ℣. 9. ἐν ἔργῳ, *Tributa* solvantur, hoc enim inter alia

opera

opera eminet, quæ *à ſubditis exiguntur ſalutis ipſorum causâ, utq; cæteris ſuis bonis tutò perfrui poſſint:* Mecænas apud Dionem l. 52. ἐν λόγῳ, ut preces fundantur, is enim linguæ cenſus eximius eſt, undè ab ipſo ortu Eccleſiæ mos Publicarum Precum in Liturgiis, *pro Eccleſia cuncta, pro univerſo mundo, pro Sacerdotibus, pro Magiſtratibus &c.* Clemens Rom. l. 2. Conſtitut. Apoſtol. c. 57. *Amorem; unum eſt inexpugnabile munimentum: Amor Civium.* Senecæ celeberrima ſententia eſt. Amor, ajunt, inermis incedit, loricatus dormit. Hunc meritò reddimus illis, *in quorum humeros* ἀναβαίνειν ἀνάγκη τὰ πάντων φορτία, *omnium adſcendere oportet onera*, ut ait Syneſius Epiſt. 67. & quorum beneficia Dei munere inæſtimabilia ſunt. *Annum bonum*, ajebant olim, *non tam de magnis fructibus, quàm poteſtatibus æſtimandum*, meminit Proverbii Sidonius l. 3. Epiſt. 6. Sed & *Timorem*; Solus enim Amor contemptum facit, Timor òdium. Eſt quidem Bonus Princeps *remotâ cuſtodiâ militari, tutior publici Amoris excubiis:* Latinus Pacatus in Panegyr. Sed fermè *mitium Dominorum apud ſervos ipsâ conſuetudine metus exoleſcit.* Plinius l. 1. Epiſt. 4. Hæc ſufficiant. Summa:

Quæ Cæſaris, Cæſari: Quæ Dei, Deo!

vide D. Gerhard. §. 470. & ſeqq.

MEDI-

MEDITATIO DECIMA,

DE

OFFICIIS CONJUGUM.

Nota: *Textus* est 1. Pet. 3. ℣. 1. quem facio Trimembrem, ut pars I. agat de *Mulierum decentissimo mundo.* II. de *Maritorum Proprio*, & III. de *Conjugum Communi officio.*

I. De Mundo Muliebri.

v. 1. Similiter & mulieres subditæ sint viris suis; ut si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, v. 2. Considerantes in timore castam conversationem vestram. v. 3. Quarum non sit extrinsecùs capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: v. 4. Sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. v. 5. Sic enim & aliquando sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subjectæ propriis viris. v. 6. Sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans: cujus estis filiæ benefacientes, & non pertimentes ullam perturbationem.

EXordium. Tria pulchra celebrat Siracides, Primum est *Pax Civium*; murus urbium plusquam Semiramideus. Nam

Sidera pace vigent, consistunt terrea pace!

Prudent. in Psychomach. de Concord. & contrà - *nil dissociabile firmum est!* Bonus vicinus magnum bonum!

Οὐδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτ', εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη!

Nam neq; bos pereat, nisi sit vicinus iniquus!

Alterum, *Pax Fratrum*; rara - nam *fratrum quoq; gratia rara!* Sed tantò magis chara, & planè ὡς πόλις ἰσχυρὰ, *ut civitas inexpugnabilis.* Prov. 18. 19. Noti Molionidæ, & Geryon tricorpor. Tertium, *Pax Conjugum*; qualis inter Alcyones, quæ communem nidulum ex spinis aculeatis, ut docet Plutarch. de animal. terrestr. & aquatil. tantâ solertiâ struunt, ut neque ferro possit intercidi. In ipso hiberno solstitio ἐπωάζει & pullos excludit Alcyon, iis diebus, quos Alcyonios vocant, summa maris ventorumq; concordia est. Basilius hom. 8. Hexaëm. Simonides appellat ὥραν ἱερὰν παιδοτρόφον ποικίλας ἀλκυόνος, *Tempus sacrum, quo pullos educit versicolor Alcyon.* Sic concordi conjugum lectulo benedicit Deus, sic Alcedonia impertit. &c. Hæc ad Siracid. cap. 25. ℣. 1. Hoc summum Oeconomicum bonum quâ ratione adipisci queamus? id nunc videbimus.

Ac de Officio quidem mulierum acturus Apostolorum Os Petrus describit nobis earum cultum 1. *falsum & adscititium.* 2. *verum & insititium.*

tium. De utroque sic dicemus, ut explicationem textus eâdem inseramus operâ.

I. De cultu falso sic ait ℣. 3. *Quarum sit cultus*, κόσμος, mundus, quo nomine generaliter hîc usus est, nam alioqui habitus mulierum scitè distinguitur à Tertulliano in cultum & ornatum; *cultus est; quem mundum muliebrem vocant; ornatus; quem immundum muliebrem convenit dici. Ille in auro & argento & gemmis & vestibus deputatur: iste in cura capilli & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt.* De hab. Mulier. cap. 4. *non ille forinsecùs in plicatu capillorum*, coma nativum ornamentum est, *reverenda in senibus, veneranda in Sacerdotibus, terribilis in bellatoribus, decora in adolescentibus, completa in mulieribus, dulcis in pueris*, ut habet Ambros. 6. Hexaëm. Mulierum ornatus præcipuus, ut arborum sua. *Si cujuslibet eximiæ pulcherrimæq; fœminæ caput capillo exspoliâveris & faciem nativâ specie nudaveris, licèt illa cœlo dejecta, mari edita, fluctibus educata, licèt, inquam, Venus ipsa fuerit, licèt omni Gratiarum choro stipata & toto Cupidinum populo comitata, & baltheo suo cincta, cinnama fragrans, & balsama rorans, calva processerit, placere non poterit nec Vulcano suo.* Apulejus 2. Milesior. Sed damnanda ambitio comptus cultusq;: φιλοτεχνίαι vocat Strabo περὶ τὴν θρέψιν καὶ κουρὰν τριχὸς, *artificium nimium in alendo ac tendendo capillitio.* Adde varia *tormenta*, πλέγματα vocat S. Paulus 1. Tim. 2. ℣. 9. quorum artifices *capitum & capillorum concinnatores*, ut vocat Co-

 lumella,

auri ramentis, aut aureâ ſcobe inſperſos, aureis cicadis exornatos, aut galero flavo & in eum modum auro ſplendente tectos, multis monere ſupervacaneum. *Romanæ matronæ indulgentibus maritis & auro abundanti & multâ purpurâ uſæ ſunt, & quò formam ſuam concinniorem efficerent, ſumma cum diligentia capillos cinere rutilârunt*, Valer. Max. l. 2. cap. 1. num. 5. ubi & tertii cultus mentio, *in amictu veſtimentorum*, de quorum inſano luxu pauca dici non poſſunt, multa hîc loci non debent. Tantùm ex Cypriano locum elegantem adſcribo: *Longè abſint, quibus pulchritudo non ornatur, ſed proſtituitur. Nam ſollicitudo de pulchritudine, & malæ mentis indicium & deformitatis eſt. Sit natura corporis libera, nec divinis operibus vis inferatur. Semper eſt miſera, quæ ſibi non placet qualis eſt. Quid capillorum mutatur color? quid oculorum extremitates ſuffuſcantur? quid facies artibus in diverſam formam convertitur? quid poſtremò ſpeculum conſulitur? niſi quia ne ipſa ſit, timetur. Cultus etiam mulieris pudicæ pudicus ſit: adulterium fidelis nec in coloribus noverit. Veſtibus aurum intexere, quaſi pretio eſt veſtes corrumpere. Quid inter fila ſtaminum delicata, rigida faciunt metalla? non ut fluentes humeros premant, & luxuriam feliciter ſe animi jactantis oſtendant? Quid cùm cervices peregrinis lapidibus urgentur & abſconduntur? quorum pretia etiam ſine artibus calendarium cujusvis excedunt. &c.* De Diſcipl. & Bono Pudicit. Si tamen Cypriani ac non potiùs Cornelii eſt. Quæ Ben. Juſtinian. inpri-

mis & Corn. à Lap. ex priſcis huc congerunt, ſtudio quæſita & non oblata, apud illos videat, qui volet.

Uſus Dehortatorius à luxu & vanitate iſta. Non quidem ſentiendum: *Omnem gloriam veſtium & ornamentorum eſſe Deo contrariam*, qui fuit error Pelagii, Hieronym. Dial. 1. Petrus *hæc præcipiens* mulieribus, *non eas jubet ſqualore, ſordibus & horrentibus pannorum aſſumentis tegi, ſed immoderato cultui & nimis exquiſito interdicit ornatui.* Paulin. aut Hieron. ad Celantiam. Habenda ratio eſt Status, Cenſus, Perſonarum, Temporum. Abſit ambitio, abſit proſtitutio, quæ duo ſola reprehendit hîc Tertullian. Conſideretur *vanitas*; jactare ſe in cultu externo, alieno, caduco. Demonax in purpura ſe oſtentantem conſpicatus, heus, inquit, hoc ante te geſtabat ovis!

Non juvat externo componere membra vigore;
Lux naturalis ſidera nobilitat.

Ennod. de Liter. Laud. Stolidiſſima ferè animalium natura ornatiſſimè veſtivit. Avium certè nulla ſtolidior pavone, cui ſimiles, qui adſcititio ornatu ſuperbiunt, undè vulgò dici ſolebat: πόθεν ὁ ταῶς οὗτος; *undè hic pavus?* Lucian. in Nigrin. Jam quæ *levitas* cucurrit? veſtibus ſuperbire, *in perpetuam inobedientiæ memoriam* repertis? Chryſoſt. hom. 18. in Geneſ. quæ ſunt *inſignia lupanarium ornamenta meretricum.* Cyprian. de hab. Virgin. *Veſtitus enim mollis ſuperbiæ vexillum, & nidus eſt luxuriæ,* Auguſti Imp. ſententiâ apud Sueton. Idq;

cùm

cùm *Tempora Christianorum semper, & nunc vel maximè, non auro, sed ferro transigantur.* Tertullian. l.c. Luctus ubique & Lucta! & tu te peregrinâ veste jactitas? Profectò accedo S. Paulino, quòd ille sit

Veste suâ levior, qui sibi veste placet.

Damna quis explicabit? *Conscientiæ*; nam res ista & Deo contraria est, cui simplicitas placet, & Dei Creationi, quam refingit, in probrum primi opificis, ubi diserti sunt Tertull. & Cyprian. *Temporis*; ut rectè dixerit Morus puellæ, quæ magna cum sollicitudine ornabat capillos, nisi Deus pro tanto labore tuo tibi infernum reddat, magnam profectò faciet injuriam. *Famæ*, ita enim & Claudia Vestalis apud Ovid. 4. Fastor. *Casta quidem, sed non est credita*, quia

Cultus & ornatos variè fudisse capillos, Obfuit. Illarum enim est pretiosior cultus, quarum pudor est vilis, Cyprian. *Rei familiaris*; sæpè enim bina ac terna patrimonia singulis tantùm auribus pendent, ut Senecæ ævo quoque, & pleræq; cum Stilpone rectè dixerint: Omnia mea mecum porto. *Animæ* tandem ipsius, nam vindictam divinam provocari sæpè Scriptura testatur. Prov. 16. 5. Zephan. 1. 8. Esai. 3. 24. Luc. 16. 19. &c.

II. De cultu vero: ubi Præceptum & Exemplum. Illud indicat, quo se pacto ornare debeant Christianæ fœminæ *Deo & Viro* suo? Ac *Deo* quidem sic, ut ornatus sit *occultus cordis homo*, quem S. Paulus vocat interiorem, quiq; est id, quod

in homine per Spiritum Dei regeneratum indies renovatur, mentem & ſpiritum quoque dicit Paulus. *Exterior homo plurima in ſe membra habet, ſed interior cordis homo totus eſt Sapientiæ, plenus gratiæ, plenus decoris.* Ambroſius Epiſt. 27. *in incorrupto manſueti & tranquilli ſpiritus.* Mitto, quæ hîc moventur dubia: An homo cordis ipſe ſit animus, aut pars rationalis hominis? an dicatur cordis, quòd ibi ſedem habeat? an ſpiritus, de quo h. l. ſit Sp. Sanctus? Quæ omnia neganda ſunt. *Triplex* tantùm obſervo *ornamentum* oſtendi, quo ſe piæ fœminæ debeant Deo exornare, 1. *ut ſint ſpiritu incorrupto.* Cætera ornamenta, quæ exteriori homini induuntur, corrumpi ſolent, mentis integritas æterna floret. Jac. 5. ℣. 2. Commendat Apoſtolus ornatum Virtutum, quo cupit Chriſtianas mulieres conſpici, ab incorruptibilitate, & ſimul deſcribit, qualis eſſe debeat, nempè incorruptus, ſi cum vera fide conjungatur, & conſtanter ſervetur ab omni vitiorum corruptela. *Quia inchoâſſe non ſufficit, ſed perfeciſſe juſtitia eſt.* Paulin. ad Celantiam. Ne veſtes corrumpantur, reponi ſolent in odorata arca; Virtutes, in fideli conſcientia. Retinetur incorruptio iſta 1. *in Deum credendo* & ſperando, exemplo ſanctarum mulierum, de quo mox ℣. 5. quò pertinent omnia Pietatis exercitia; inprimis preces, & ſtudium Verbi Divini, *Orationi lectio, lectioni ſuccedat Oratio*, ait Hieron. ad Lætam. Ergò Pia Matrona *pro gemmis & ſerico divinos codices amet, in quibus non auri & pellis Babylonicæ vermiculata pictura,*

ctura, sed ad fidem placeat emendata & erudita distinctio. Ibid.

Quô margarita chara tibi, bacca Indica?

Quô carchedonios optas, ignes lapideos?

ut hæc ex P. Syro mea faciam: Habes in Scriptura *Margaritem purum & pellucidum Jesum!* Clem. Alex. l. 2. Pædag. c. 12. Ergò, ut ad Sororem ait Alcimus Avitus:

Exue delicias mundi hujus, & indue Christum. Sic incorruptus spiritus servatur, sic Virginitas cordis; qua sine *Virginitas nihil proderit in corpore custodita, si spiritalis castitas fuerit in mente corrupta.* Fulgent. ad Probam Epist. 3. 2. *Castitatem colendo,* conjugalem puta, quæ non definienda est abstinentiâ, sed legitimo usu. *Exsecratur autem adulterinos concubitus castitas conjugalis, & honestatis verecundiæq; tenax, ab una unus, & ab uno una expetit, quod uterque se uni tantùm legitimè debere cognoscit.* Fulgent. ad Gallam. Epist. 2. Breve præceptum, sed omnia fermè continens, in usu conjugii observanda, quæ sunt Conjugalis Fides, Honestas, Verecundia, de quibus D. Gerhard. de Conjugio §. 435. 437. &c. 3. *Humilitati studendo; nihil habeas humilitate præstantius, nihil amabilius: Hæc est enim præcipua conservatrix & quasi custos quædam Virtutum omnium, nihilq; est, quod nos ita & hominibus gratos & Deo faciat, quàm si vitæ merito magni, humilitate infimi simus.* Paulin. ad Celantiam. 4. *Flagitia cavendo*, eorumq; causas ac prima etiam quasi rudimenta, quæ parva videntur, experiundo ma-

do magna fiunt. *Nec enim citò ad majora progreditur, qui etiam parva formidat: & ſanè neſcio, an poſſimus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur.* Idem ibid. Quæ omnia ut omnibus, ſic Conjugibus præcipuè & Fœminis inprimis obſervanda, ſi cultum interiorem velint tueri incorruptum. Alterum cordis decus eſt 2. *ut ſint ſpiritu manſueto* & miti: Quid interſit inter animi πραότητος & ἡσυχίαν, h. l. alii aliter explicant. Πραότης propriè modum iræ præſcribit. Ariſtot. 4. Ethic. c. 5. ἡσυχία, ſi modeſtiam interpreteris, modũ in honoribus ſtatuit. Itaq; illam Iracundiæ contrariam oportet; hanc Ambitioni. Sed uſus vulgaris, quem S. Petrus tenuit, non adeò accuratè ſtringendus eſt. Manſuetus ſpiritus mihi eſt ille, qui mores & geſtus & verba moderatur, ne quid inſit aſperitatis, aut amarulentiæ. Quare vitia illi oppoſita ſunt, in exceſſu; Iracundia, moroſitas, cujus fructus rixæ, jurgia, obtrectationes ſunt; in defectu; Lenitudo nimia, & torpor ille animi, quem nihil commovet, quæ tamen tantò rariora ſunt apud Fœminas, quantò illa ferè propria ſexus hujus infirmi. Naſcuntur enim *ex animi mollitie, unde iracundiores ſunt incolumibus languidi, & Fœminæ maribus, & juvenibus ſenes, & felicibus ærumnoſi,* Ammian. Marcellin. l. 27. hinc *Fœminarum contumaces animi*, Juſtin. l. 20. cap. 4. & ut ait Syneſius Epiſt. 67. Sunt illæ πρᾶγμα δυσμεταχείριστον, *res difficulter tractabilis.* Tantò ſplendidius decus eſt animi morumq́; manſuetudo & placiditas, ſi qua, ut

Xeno-

Xenophon dixit, ſit apum regi ſimilis, cui nullus eſt aculeus. Supereſt 3. *ut ſint ſpiritu quieto*, animo modeſto, laxiore uſu vocabuli, ut à Cornificio deſcribitur *Modeſtia, in animo continens moderatio cupiditatum.* l. 3. ad Herenn. nempè uti Modeſtia manſuetudinis quaſi mater ſit, animumq; regat & ſedet, quâ ſublatâ verum eſt, vulgò quod dici ſolet - *Varium & mutabile ſemper Fœmina.* Complectitur hæc Quies animi, Patientiam; ſi fortè adverſa ingruant, aut ſi cui Vir aſper & difficilis obvenerit. Humilitatem; ne quâ formæ aut dotis fiduciâ ſe extollat. Nam

Faſtus ineſt pulchris, ſequiturq; ſuperbia formam:

adde οἰκουρίαν & curam rei ſuæ domeſticæ, Curioſum enim genus ſunt mulieres, fermè ut Lamia domi cæcæ, foris oculatiſſimæ, ab ipſa natura edoctæ

- - *verba & componere fraudes;*

Hoc unum didicit Fœmina ſemper opus!

Ita ſe igitur exornet Mulier Pia Deo. *Hic* talis *enim cultus*, ut pergit S. Petrus, *in conſpectu Dei pretioſum quid* ac magnus theſaurus eſt. *Magna igitur modeſtia, quæ cùm ſit etiam ſui juris remiſſior, nihil ſibi uſurpans, nihil vindicans, & quodammodo intra vires ſuas contractior, dives eſt apud Deum, apud quem nemo dives: dives eſt modeſtia, quia portio Dei eſt:* Hæc in h. l. Ambroſius l. 1. Offic. cap. 18. & l. 4. Epiſt. 27. *Verè dives, qui in conſpectu Dei poteſt dives videri, in cujus conſpectu terra exigua, mundus ipſe anguſtus eſt:* & mox poſt hanc Petrinam ſententiam: *Nonne tibi videtur dives, qui pacem habet*

animi,

animi, tranquillitatem quietis, ut nihil concupiſcat, nullis exagitetur cupiditatum procellis, nec vetera faſtidiat & nova quærat, & ſemper deſiderando fiat in ſummis divitiis inops? reliqua apud Cornel. à Lap. relinquo.

Viro uti ſe quæq; exornare debeat, ita docet Apoſtolus: *Similiter*, ut ſervi Dominis, de ſervis enim egerat cap. 2. præced. [non quidem quoad modum ſubjectionis, nam Maritorum in Uxores dominium non eſt Herile, undè Sponſa domum deducta Sponſum ita alloquebatur: *Ubi tu Cajus, ibi ego Caja!* Hinc ortum putat Stephan. Pighius in annot. ad Valer. Max. ſub finem, ut antiqui prænomen Cajus literâ, C. & Caja, eâdem, ſed inverſâ notârint, Ɔ, quæ junctæ faciunt circulũ, quo mundus, Conjugium, generatio & æternitas hieroglyphicè ſignificabantur.] Similiter ergò quoad neceſſitatem præcepti, *& Mulieres ſubditæ ſint*, ſubordinatæ *Viris* non promiſcuè, ſed *propriis*. Notanda verò hîc præcepti occaſio, latitudo, & finis. *Occaſio* fuit ex Gentilium accuſatione, quòd Chriſtianiſmus ſit profeſſio odii in humanum genus ejusq; propagationem, cùm caſtitatis prætextu aliquando fierent inter Conjuges divortia, & nonnullæ Maritis repudium miſiſſent, Juſtinus Mart. in Apologet. Euſeb. l. 4. Hiſtor. c. 17. &c. Adhæc non paucæ Sponſæ à Sponſalibus reſiliebant, amore Virginitatis, quarum catalogum texit Cornel. à Lap. in quo tamen non paucæ fabulæ: Notum autem Encratitarum hæreſin & Montani deliria cum ipſo exortu Eccle-

ſiæ

siæ N. Testam. seminata fuisse, ac apud alios magis aut minùs altas radices egisse. Quid hîc Apostoli Christi? authoresne fuerunt repudiorum, divortiorum? Suasoresne continentiæ perpetuæ ex consensu mutuo servandæ? Nihil minus! vide 1. Cor. 7. ℣. 5. &c. Hebr. 13. 4. 1. Tim. 2. 15. Intelligebant enim *conjugium legitimè initum & nexum insolubilem parere, & uxorem Viro penitùs subdere*, vide Ben. Justin. *Latitudine* præcepti & nomine subjectionis continetur, quicquid Marito debet uxor; *Amor*, qui inter pios Conjuges invictus, cujus comites sunt Fides Conjugalis, Benevolentia, Constantia in omni sorte, quomodo Theagena, aut Theoxena, uxor Agathoclis pulcherrimè dixit: *Nubendo se non prosperæ tantùm, sed omnis fortunæ societatem iniisse.* Justin. lib. 23. Histor. cap. 2. *Honor*, qui elucet ex reverentia, comitate, modestia, obsequio.

Haud ulla salva mansit unquam familia,
Partes priores uxor in qua gesserit.

Euripid. in Andromach. *Cùm fœmina dominatur in Virum, perversa & misera est domus.* Augustin. de Catech. Rudib. Quò pertinet & *Timor*, castus ille & non servilis, *quem non pœnarum terror, nec cupido præmiorum, sed amoris generat magnitudo, quo vel filius indulgentissimum patrem, vel fratrem frater, vel amicus amicum, vel conjugem conjux sollicito reveretur affectu, dum ejus non verbera, neque convitia, sed vel tenuem amoris formidat offensam, atque in omnibus non solùm actibus, verùm etiam ver-*

verbis, attonitâ semper pietate distenditur, ne erga se quantulumcunq; fervor dilectionis illius intepescat. Cassian. Collat. 11. c. 13. de his si, quæ possem, congerere vellem; Ilias scribenda mihi esset. *Finis* indicatur sequentibus: *ut si qui non credunt verbo,* modum obtemperant prædicationi Evangelii verbisq; se duci & flecti non patiuntur, *Lucrifiant,* pro lucro accedant Ecclesiæ, *per mulierum conversationem* & exemplum, exempli autem in flectendo magna est efficacia, *Optimus* enim *est Syllogismus operum,* ait Chrysostom. hom. 3. in 1. ad Corinth. Nec sola *Plebeja ingenia magis exemplis quàm ratione capiuntur.* Macrob. l. 7. Saturn. c. 4. Semper, quod ait Seneca, *longum iter est per præcepta, breve & efficax per exempla.* Epist. 6. Quo argumentandi genere utinam omnes veritatis hostes profligare contenderemus! nam quid solâ verborum velitatione efficiatur, optimus Magister usus edocet. Quod addit Apostolus *sine verbo,* non exclusivè capiendum, quia fides est ex auditu, Rom. 10. & quomodo converti possunt sine verbo οἱ ἀπειθοῦντες, qui verbo, utiq; audito, non obtemperant? Ergò secundùm quid dictum est; q. d. *sine labore,* ut explicat Syrus, *cessante prædicatione,* Estius; & si vel maximè uxores non utantur verbis persuasivis. Idem. *Verba activa sæpè non effectum, sed occasionem notant,* quod multis exponit D. Glassius Vir Clar. in Philol. Sacr. l. 3. Tract. 3. p. 253. Sic sine verbo lucrifacere, est verbo quiescente sensim inducere ad fidem eò faciliùs per verbum accipiendam. Quod egre-

egregiè possunt piæ Uxores, ut Mariti duri & verbo non cedentes, paulatim inspectâ muliebri conversatione incipiant mitescere, & honorificentiùs de doctrina Christiana sentire, sic 1. Cor. 7. 16. Nam mulieres ut ait Chrysost. hom. 60. in Johann. per blandum amorem sensim illabantur Virorum animis, *sicut aqua in spongiam proximè adjacentem.* Inter exempla celeberrima sunt conversio Patricii per Monicam Matrem Augustini, & Clodovæi Regis Gallorum per Clotildem Reginam &c. *Demonstratio, quæ per opera fit, certior omni verborũ curiositate habetur: Opus enim tacitum & carens verbo, verbo, quòd opere careat, longè præstantius est.* Oecumen. h. l. Ex quibus & illud conficitur, non obstare pias Uxores contendentibus ad Pietatem, sed potiùs prodesse, uti nec doctas studentibus, ut ait Sidonius: *Sæpè versum Corinna cum suo Nasone complevit, Lesbia cum Catullo, Cesennia cum Getulico, Argentaria cum Lucano, Cynthia cum Propertio, Delia cum Tibullo. Proindè liquidò claret, studentibus discendi per nuptias occasionem tribui, desidibus excusationem.* l. 2. Epist. 10. Ita ergò Viri occasionem accipiunt credendi & piè vivendi *considerando vestram,* ô Mulieres, *conversationem,* 1. *Castam,* puram, innocentem, nullâ labe fœdatam: Ben. Justin. abhorrentem non modò ab adulterio, sed etiam à corruptelis libidinum, quæ sunt præter naturam aut honestatem: Estius. Ea enim Virtus tantò in Christianis Fœminis conspectior fuit, quantò aliarum fœdior libido, ad quam & naturâ proclives omnes,
& li-

& licentia proniores fuerunt paganæ. De libidinibus mulieribus vide post Tiraquell. Rolbagium in Certam. Masc. Fœmin. in acie Virili c. 19. De paganis accipe, quæ jactat in muliebrem levitatem Petronii Æumolpus; *quàm facilè adamarent, quàm citò etiam filiorum obliviscerentur, nullamq; esse Fœminam tam pudicam, quæ non peregrinâ libidine usq; ad furorem averteretur.* De Romanis sæpè queritur Seneca, vide l. 1. de Benef. cap. 9. & l. 3. cap. 16. ubi & illud memorabile: *Illustres quasdam non Consulum numero, sed maritorum annos suos computâsse,* quo factum sit, ut nulla repudio erubesceret, quæ confirmant id, quod de unius Viri Uxore ab Apostolo præceptum 1. Tim. 5. 9. diximus suprà Meditat. VII. Si placet, solam Petronii Quartillam adspice, quanquam & ille sub Tryphænæ & Circes nominibus Romanorum mulieres traduxit. 2. *in Timore,* reverentia erga Maritum, aut ut alii in Timore Dei, uterq; Timor vetat muliebrem luxuriam. Deum & Maritum quæ timent, Sabinæ sunt. Possis & ad Viros referre, nam illi quoque pias, castasq; suas Conjuges incipiunt Virtutis reverentiâ timere, & par est: *Omnia Mulierum vitia ferre jussit Deus, dum ne qua sit scortum,* ait Chrysostom, hom. 15. ad Ephes. Talem Conjugem nactus domesticum habet Pietatis incentivum, undè Monitum salubre: Ne oculis capiatur Uxor, sed auribus, nec opum aut formæ tam habeatur ratio, quàm Pietatis & in religione sinceritatis: nam Mulierum in Virorum conversione magna, sed in perversione major vis est.

Sunt

Sunt enim malæ κίβδηλον κακόν, juxta Euripid. & facilè decipiunt. Vide D. Gerhard. de Conjug. §. 387. Sat multa de Præcepto.

Confirmatur Exemplo; 1. Generali, *sic enim : lim & Mulieres,*] Mulierum enim exemplum Mulieribus proponit, quod imitentur: *Nam ut ex igne lux & ex unguento odor in omnes diffunditur; ita ex commemoratione Sanctorum exemplorum utilitas ad omnes provenit.* Basil. in S. Martyr. Gordon. jubet ergò æmulari Mulieres non impias, ut malè moratæ solent Viris eas objicere, si à luxu, à lascivia arceantur, aut aliis ejusmodi vitiis, - *Quæ crimina non sunt Fœmineâ tentata manu?* ait Mantuan. in Eclog. sed honestas, non quidem ex paganis, nam & inter illas Virtus quarundam eminuit, proponenda illis, quæ videntur depuduisse; ut pudor Lysidicæ lavantis se cum sua semper tunica; Constantia Leænæ Atticæ omnia Hipparchi tormenta sustinentis; ut Anticleæ amicitia, Alcestidis amor conjugalis, Macariæ Hyacinthidum magnus animus &c. de quibus Clemens Alex. l. 4. Stromat. Sed *sanctas & sperantes in Deum,* itaque S. Petrus *etiam conjugatas, si fideles sint, non ambigit sanctas appellare, nec Paulus à sanctificatione corporis & spiritus conjugatas separat &c.* Fulgent. Epist. cit. 3. Hæ, inquit, timentes Dei, sperare enim ut & timere h. l. synecdochicè omnem Dei cultum complectuntur, quod Corn. à Lap. docet ex Paral. 2. c. 17. ℣. 3. Psalm. 4. 6. &c. *eodem modo ornabant se,* quomodo? *subjectæ propriis Viris,* nempè per spiritum

mitem & modeſtum, omnemq́; iis obedientiam in omni ſorte exhibentes, nota ſunt nomina Rebeccæ, Rachelis & Liæ, Noëmi & Rhut; vide hîc D. Gerhard. §. 451. *Exceptâ* fornicatione *in cæteris omnibus ancillæ eſtote Virorum ſubditæ ad obſequium;* ait Auguſtinus hom. 49. l. 50. *nulla ſit in vobis protervitas, nulla ſuperbia, non contumelioſa cervix, non aliqua inobedientia, prorſus tanquam ancillæ ſervite.* Vide locum elegantem, ubi docet, omnia Uxori perferenda, modò ſi Vir caſtus maneat. 2. Singulari; *Sicut Sara,* Mater veſtra, in exemplum ab ipſomet Deo vobis propoſita, Eſai. 51. 3. *obediebat Abrahæ,* quomodo? cùm iret in exilium, *non cenſu eſt retenta, non Parentibus, non propinquis, ſed Virum ſuum, quocunq; pergeret, ſequebatur, extrema adiit, ſororem ſe ejus aſſeruit, contenta, ſi ita eſſet neceſſe, periclitari pudore potius, quàm Virum ſalute,* ut in l. de Abrah. ait Ambroſ. addens ſalutare dictum: *Qui ſuavitatem quærit conjugii, non ſuperiorem cenſu ambiat Uxorem, ſed quam neceſſitates non terreant maritales, nec monilibus ornatam, ſed moribus.* Memorabilis profectò obedientia Saræ, quâ cum periculo pudoris etiam Viro obtemperavit, quo vitam ejus tueretur, ſperans interim in Deum, cui conjugalem ſuam pudicitiam commendabat. Gen. 12. 15. & 20. 3. *An peccârit Abram exponendo Conjugem ei periculo?* vide apud Beh. Juſtin. h. l. ut & D. Pelarg. in Geneſ. & alios ibid. Bene feciſſe docet Auguſtinus: Quia *nec tentavit Deum, quando & vita ſua, quantum petuit homo,*

con-

consuluit; & speravit in Deum, cui pudicitiam Conjugis commendavit. l. 22. contra Faust. c. 26. Ut inter sanctas Mulieres, quæ in Deum sperantes Maritis erant subjectæ, meritò palmam sibi vendicet Sara; *Dominum* suum *eum vocans*, Gen. 18. 12. & vicissim vocata Sarai ab ipso, Domina mea, cùm proprio nomine diceretur Jescha, Gen. 11. 30. Sic enim Uxores, quando Viros honorant, honorantur.

Casta ad Virum Matrona parenda imperat.

Hæc Corn. à Lap. ex Seneca h. l. *cujus estis filiæ, benefacientes*, ac ejus insistentes vestigiis, nam *sicut quis, faciens opus Abrahæ & habens ejus fidem, filius ejus fit; ita benefacientes fideles Fœminæ matrem habent Saram*: Didymus Alex. h. l. *& non pertimentes ullam πτόησιν, consternationem*; quomodo Sara, obediendo Viro suo Abrahæ, omnem ex animo pavorem expectorabat, sperans in Deum. Meticulosum enim genus sunt Fœminæ, ac sæpè ne Maritis obsequantur, vanas timoris causas comminiscuntur. Undè metus apud Poëtas *Fœmineus* audit. *Degeneres animos timor arguit. Fac illius hæc pectora metus, odium, ira corrumpunt*, ait de his ipsis Quintilian. Declam. 2. Quæ alii adferunt, interpretum longè petita videntur. Vide, si lubet, Corn. à Lap. *Bona Conjux non solùm vocat Virum Dominum suum, sed hoc sapit, hoc sonat, hoc gestat corde, hoc profitetur ore, tabulas matrimoniales, instrumenta emptionis suæ deputat*, [quæ verba Bened. Justin. frustrà refert ad nuptiarum ritum, quo convenie-

bant Vir & Uxor per coëmptionem, fiebant enim nuptiæ tribus modis, *usucapione*, *confarreatione*, *coëmptione*, vide Taubmann. in Amphitr. Plautinæ argum. at hujus coëmptionis finis erat, *ne Uxor videretur sicut ancilla*, Isidorus l. 5. Etymol. cap. 24. quod conclusioni & scopo Ambrosii prorsùs contrarium est, ut audiemus. Ergò de emptione servorum & ancillarum loquitur, in qua pacisci solebat emptor cum venditore super evictione, & aliis, uti meminit Chrysostom. de Sacerdot. & notum est. Hinc sequitur.] *Est ergò ancilla, dans opera ancillis.* In cap. 31. Proverb. cap. 3. Pertinet huc præceptum Paulini ad Celantiam: *Servetur inprimis Viro auctoritas sua, totaq́ꝫ à te discat domus, quantum illi honoris debeat: Tu Dominum illum obsequio tuo, tu magnum illum tuâ humilitate demonstra: tantò ipsa honoratior futura, quantò illum ampliùs honoraveris.* Atq; hæc de pulcherrimo Mulierum mundo dicta sunto.

Exhortationem Tertulliani adjicio, quâ ille librum de Cultu Fœmin. obsignavit: *Prodite vos jam medicamentis & ornamentis extructæ Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundiâ, & spiritus taciturnitate, inserentes in aures sermonem Dei, annectentes cervicibus jugum Christi. Caput maritis subjicite & satis ornatæ eritis. Manus lanis occupate, pedes domi figite, & plùs quàm in auro placebunt. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpurâ*

purâ pudicitiæ. Taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem!

Et quid enim prodest periturum comere vultum,
Putria vel variis onerari corpora gemmis,
Interior dum sordet homo, ac se crimine fœdat?

Alcimus Avitus ad Soror.

II. De Officio Maritorum.

TEXTUS indidem, ℣. 7. *Viri similiter cohabitent secundùm scientiam, velut infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam & cohæredes gratiæ vitæ, ne impediantur orationes vestræ.*

Habent hîc Viri Christiani 1. Monita. 2. Argumenta.

Monita I, *ut cohabitent suis Uxoribus*, propter hoc enim relinquet homo Patrem & Matrem. Cohabitatio finis & forma est conjugii, illud ineundi, hoc initi. Requirit ea 1. *arctissimam societatem*, quæ corporum, animorum, bonorum & malorum communione constat, corporum primò, reliquorum consequenter, undè mutua in corpus alterius potestas. 1. Cor. 7. 4. 2. *Ejus vinculi indissolubilitatem*, adeoq; huic Legi Apostolicæ contrariantur omnia adulteria, divortia, malitiosæ desertiones, & quæ eis æquipollent, de quibus D. Gerhard. §. 400. & seqq. Itaq; *nec Uxor duci potest temporalis, nec filius esse*. l. quæsitum. De Adopt. Mariti,

qui Uxoribus cohabitare nolunt, excommunicandi, decreto Synodi Constantinop. cùm Bertegunda à Marito aufugiens se in monasterium contulisset, dicens: *Non videbit regnum Dei conjugio copulatus*; Gregorius Turonensis Episc. Niceno canone prælecto: *Si quis Virum reliquerit, & thorum, in quo bene vixit, spreverit, anathema sit!* eam reduxit. l. 9. Hist. c. 3. refert ipse. Cohabitent ergò Conjuges, & sub eodem tecto, & in eodem lecto, nec alter altero inconsulto voveat continentiam, aut neget benevolentiam. *Periculosè promittitur, quod in alterius adhuc potestate est, & nescio, quàm sit grata donatio, si unus offerat rem duorum.* Hieron. ad Celantiam. *Tale est, ut velit quisq; corporis sui, quod est in Conjugis potestate, continentiam profiteri, quale si quis de alterius substantia aut eleemosynam facere, aut sacrificium conetur afferre*, ait Fulgent. Epist. 1. hoc vetitum addens Esai. 61. 8. Cæterùm cùm Apostolus ait: *Similiter*, Maritorum erga Uxores fidem vult esse mutuam. Apud Romanos, ut dixit Cato, *in adulterio Uxorem tuam si deprehendisses, sine judicio impunè necares: illa te, si adulterares, digito non auderet contingere, neque jus est.* Sed bene Hieronymus Epist. 30. *Aliæ sunt Leges Cæsarum, aliæ Christi; aliud Papinianus, aliud Deus nobis præcepit: apud illos Viris impudicitiæ frena laxantur, apud nos quod non licet Fœminis, æquè non licet Viris.* Prudentiâ opus est, ut cohabitent *secundùm scientiam* & in diligendo, & in dirigendo, hæc enim duo in maritali cohabitatione præ-

cipua sunt. Debet Maritus Uxori *Dilectionem*, ut carni suæ, quam nemo prudens odit. Inter Dona Dei temporalia primum est Bona Uxor, & omnibus anteferendum. *A Domino Mulier Viro aptatur*, ἁρμόζεται LXX. Prov. 19. 14. *Ergò ubi nuptiæ harmonia, ubi harmonia, Deus jungit: ubi harmonia non est, pugna atque dissensio est, quæ non est à Deo, quia Deus charitas est.* Ambrosius l.8. in Luc. c.16. Harmonia hæc omnem melodiam vincit, ipsam Sirenum concordiam. Si studerent ei Conjuges omnimodis, ut ait Greg. Naz. Carm. 2. de Virg.

- *Levius sulcarent æquora vitæ,*
Nimirum duplici Vento impellente carinam.

Sed adsit Prudentia; absit zelotypia, diligatur non forma Uxoris,

Exigue donum breve temporis!

non census, sed ipsa, & in illa Deus. *Amor formæ ut ignis in paleis aut leporum pilis facilè accenditur, faciliùs extinguitur.* Vide Plutarchi Connubialia Præcepta. *Amantium corda sunt volucria, & amoris irritamenta sæpè extinguuntur Pœnitentiâ*, Clem. Alex. l. 2. Pædag. c. 10. *In aliena omnis amor turpis, in sua nimius. Origo amoris honesta est; sed magnitudo deformis, &c.* Hieron. l. 1. adv. Jovinian. Ex insano amore zelotypia nascitur, ut docet Chrysostomus in 2. ad Cor. cap. 11. hom. 23. amoris nex & interitus. *Nam qui zelat*, ajunt, *non amat.* Multa multis suasit perperam, sæpè Tragœdiarum materies fuit. Inprimis cave technas & fallacias. *Samson captus est per Uxorem: nunquid tu fortior?*

Salomon captus est per Uxorem: nunquid tu sapientior? Ambros. in Psalm. 118. Sunt enim quædam, de quibus Mantuanus verè:

Est in eis pietas Crocodili, astutia hyænæ;
Cùm flet & appellat te blandiùs, insidiatur? in Eclog. 4.

Sed & *Directionem* debet Vir Uxori, quia ejus caput est.

Sexus uterq; potens, sed prævalet imperio mas.
Ausonius in Monosyllab. Et Menander:

γυναικὶ δ' ἄρχειν οὐ δίδωσιν ἡ φύσις,
Negavit imperium natura Fœminis.

Sunt tamen imperiosæ, ac præsertim, quæ dote aut genere aut alioqui præcellunt, undè Solon apud Auson. Ludo VII. Sap.

Par pari jugator Conjux, quicquid impar dissidet. *Pauper & Dives inimicum est matrimonium: Ne pecora quidem jugum nisi paria succedunt*, Calp. Flaccus Controv. 29. Ergò primò deligendæ, ac, ut magis diligantur, dirigendæ, id est, docendæ & ducendæ, idq;, si possit fieri, blandè, mansuetè, comiter. Viri & Uxoris regimen Aristocratiæ simile est. Aristot. Ethic. l. 8. c. 12. Nec dominari ille in hanc aliter debet, nisi quomodo animus corpori imperat, iisdem affectibus obnoxius & benevolentiâ devinctus, Plutarch. in Connub. Tunc pax in thoro esse poterit, cùm se Uxor Viri Ancillam, cùm se Vir Uxoris Socium, Patrem & Præceptorem cogitaverit. Infirmitates condonandæ sunt, quid enim?

Amici vitia noveris, non oderis!
Vetus verbum eſt, quantò magis Conjugis? *Vitium Uxoris vel tollendum eſt, vel ferendum: qui tollit vitium, Uxorem commodiorem præſtat; qui fert, ſeipſum meliorem facit*; Varro in Menipp. Abſint contumeliæ & verbera. Graviſſimè Chryſoſtomus hoc argumentum abſolvit, in 1. ad Corinth. hom. 26. multis rationibus demonſtrans, Uxores non eſſe verberibus tractandas, ſed comitate & lenitate: *Illud*; quia ſit inhoneſtum, quod probat 1. *à minori*: Turpe eſt verberare ancillam, quantò magis Uxorem? 2. *à dignitate conjugali.* Eſt enim extremæ iniquitatis, vitæ ſociam non alio modo tractare ac mancipium. 3. *à Lege humana*, quæ permittit, ut Uxor à Viro diſcedat causâ malæ tractationis, ob quam indignus ejus fiat conſortio. 4. *à Lege divina*, quæ uxorem Parentibus docet præferendam, & illius causâ hos relinquendos. *Quare ejusmodi Virum, ſi Vir eſt appellandus & non beſtia, inſtar Patricidæ & Matricidæ ego dixerim.* 5. *à ſenſu Populi communi*, qui ad ædes ejusmodi plagoſi hominis confluere, eumq; populo differre, & in publicum euntem publicâ notâ damnare ſolet. 6. *à tacito familiæ judicio*, in qua Uxor *Viri Vicarium* agit, ut fieri non poſſit, quin ſi quis eam, quæ poſt ſe imperat, probro affecerit, damnum quoque afferat honori ſui principatus. *Hoc*; propter 1. *Decentem honeſtatem*, quia Uxor Marito à Parentibus, quaſi aliquod depoſitum traditum, multaq; cum ſollicitudine commendatum, data veſperâ nuptiali

est: & quia post Deum per eam liberos Maritus accipit, undè non minore culturâ excolenda, quàm ager sativus. 2. *Vitæ suavitatem*: Est enim *Uxor portus & maximum medicamentum tranquillitatis animi*, hanc perturbare quid est nisi fluctus excitare in portu, & naufragium sibi procurare? *Etsi omnia amiseris, nihil est molestius, quàm Uxorem domi habitantem habere malevolentem.* 3. *Dilectionis necessitatem*, quia alter alterius onus portare debet, & quia Uxor Caro nostra est. 4. *Duræ tractationis inutilitatem*; *Audacia enim lenitate tollitur, non aliâ audaciâ*: & 5. *Mansuetudinis fructuositatem*, nam & *lucrum* parit, Uxorem; aut si non Uxorem, tamen Virum ipsum reddit meliorem; quod Apophthegmate Socratis confirmat, qui rogantibus; cur Uxorem malam & convitiatricem toleraret? *Ut habeam*, inquit, *Palæstram Philosophiæ domesticam*: & *præmium* Cœleste, Timentibus Legem Dei promissum: Hæc ille multis.

II. *Ut honorem impertiant*: Quemnam? cum quadam reverentia comiter persuadeant, ut à voluptate coitus abstinere velint: Oecumen. *Si abstinemus nos à coitu, honorem tribuimus Uxoribus; si non abstinemus, perspicuum est honori contrariam esse contumeliam.* Hieronymus 1. contra Jovinian. Confirmat suam explicationem, quia & Paulus eodem spiritu dicat impediri officio conjugali orationes. Videntur autem obscœniùs interpretati τὸ σκεῦος, ut *rude vasculum* apud Petronium, instrumentum actus conjugalis, sic enim & Estius - *veste*

quod

quod pudor tegit. Quicquid sit; Impium est τὴν κοίτην τὴν ἀμίαντον, Hebr. 13. vocare contumeliam. *Acerbius quidem dicitur, sed contra integritatis & continentiæ hostem utcunq; tolerandum videtur*, ait Ben. Justinian. Certè si sic absolutè dicas, nec excusandum, nec tolerandum, & planè Manichæum. Non usus Uxoris, sed abusus contumelia est. *Culpabilis usus autem non in conjugali concubitu, sed in concumbentium reperitur excessu.* Fulgent. Epist. 1. quæ tamen ipsa culpa *citiùs bene operanti atq; oranti remittitur, quia ipsi Conjugi servat maritalis charitas fidem, in qua non potest maritalis infirmitas custodire temperiem,* Ibid. Quid ergò? *Honor*, ut omnes rectè sentientium explicationes cõjungam, *requirit* 1. *Cordis affectum*, ut Vir de Uxore rectè sentiat, non pedisequam aut vile mancipium, sed vitæ sociam, thori consortem, familiæ Dominam, deniq; non voluptatis, sed dignitatis & honestatis nomen esse, 2. *Oris affatum*, ut comiter & blandè appellet, etiamsi aliter merita sit, ut David suam Michol 2. Sam. 6. 19. memor fidei olim exhibitæ 1. Sam. 19. 12. ut Tobias cap. 2. 23. & 3. 1. & Jobus inprimis Dinam suam, & volunt Hebræi aut Arabissam, ut LXX. cùm quasi *scala* esset *Diaboli*, per quam in hanc velut inexpugnabilem turrim subreperet, ut ait Gregor. M. c. 2. ℣. 20. 3. *Operis effectum*, nimirum; *in casto usu*, nec enim abnuam præcipere Apostolum, ut temperanter utamur Uxoribus, non ad superfluas, nedum ad infandas libidines, abutamur. Sic Oecumen. rectè, sic Augustinus, Hesselius &c.

apud

apud Estium. Vera enim Veri Imp. apud Spartian. sed non verè usurpata sententia est: Nam Uxori conquerenti de extraneis voluptatibus; *Patere*, inquit, *nec per alias exercere cupiditates meas: Uxor enim dignitatis nomen est, non voluptatis; in necessario victu*, nam quòd Faustina scripsit Imp. Marco Anton. *ut pietatem primùm circa suos servaret, sic circa alienos: Non enim pius est Imperator, qui non cogitat Uxorem & filios*: idem generali sententiâ de omnibus Maritis affirmavit Paulus 1. Tim. 5. 8. vide Vulcatl. Avidium Cass. *in decenti amictu*, qui tamen modum teneat, nam ut Paulinus ait:

Moribus ornatur, non opibus Probitas.

Præterea *in Protectione*, quomodo Tigranes apud Xenophontem dixit, se vel sanguinis & vitæ impensâ redempturum, ne Uxor servitutem apud Cyrum serviat: *in Directione*, nam & hæc honoris Uxori infirmiori vasculo debiti portio est, ut honore omni digna fiat. *Mariti hoc opus, qui ita imbuit, ita instituit: nam Uxori sufficit obsequii gloria.* Plinius in Panegyr. ad Tragan. Opus ad eam inprimis Viri exemplo. *Thalamus ipse* διδασκαλεῖον, *schola est vel modestiæ vel impudicitiæ.* Plutarch. in Connub. Denique *in rerum communione*, discretis tamen officiis, ne Vir agat, quod Mulieris, aut hæc, quod Viri est. *Virum foris exspectat labor, intùs Mulierem domestica cura constringit.* Chrysolog. serm. 99. Nam *sicut Vir publicis officiis, ita Mulier domesticis ministeriis habilior æstimatur.* Ambros. de Parad. c. 11. hæc Monita sunt.

Argu-

Argumenta Tria: 1. *à Mulierum infirmitate*, sunt enim vasculum infirmius, ut hominem Phædrus ait esse - *Vas fictile,*

Quod simul offendit, ad fortunam frangitur.

Mulieres ad omnia delicatæ ad vitiorum sarcinas Viris sunt fortiores, Cyprian. de Discip. & Bono Pudic. Nec solùm corpus respicit Petrus, quod aliàs *terrestre vasculum*, Salvian. *vas animæ rationalis*, Paulin. in obit. Celsi. Θυλάκιον Synes. Epist. 132. Tertullianus verò *afflatus divini vaginam* de resurr. carn. Ambrosius, *animæ vestimentum forense*, de Pœnit. vocârunt, sed & animam inprimis, ad mala proniorem, & procliviorem ad lapsus ac desperationem. Ergò ut vasa murrhina; sic Fœminæ sollicitiùs tractari cupiunt. *Considera Mulierem vas esse debile, tu autem Vir propterea princeps factus & capitis loco datus, ut subditæ feras imbecillitatem.* Chrysost. l. cit. in 1. ad Corinth. 2. *à Cœlesti hæreditate*, sunt enim cohæredes gratiæ vitæ, inferiores quidem sexu, sed in Christo, ubi neque Mas est neque Fœmina, æquales, ejusdem participet gratiæ vitalis, quæ futuræ gloriæ semen & radix est.

Communis Virtus igitur commune periclum,
Matribus atq; Viris: nulla est distantia cuiq;,
Si mens recta subest, si gratia constet utrisq;,
Vitaq; si justo insudat studiosa labori.

Avitus ad Soror. 3. *à precum necessitate*, ne interrumpantur irâ & dissidiis domesticis, & vel corrumpantur ipsæ, vel fructus earum, ad quem impetrandum mutuo oris & cordis consensu opus est.

Matth.

Matth. 18. 19. 1. Tim. 2. 8. Malach. 2. 13. 14. Sic nuptias à precibus auspicari mos etiam fuit apud gentes. Ita apud Valer. Flacc. l. 8. Argon.

- Sacrificas cum conjuge venit ad aras
Æsonides, unaq; adeunt, pariterq; precari
Incipiunt.

Sic orandum Conjugibus semper. Sed quod superest, quoque expediendum, paucissimis tamen

III. De Officio Conjugum Communi.

TEXTUS ubi suprà: ℣. 10. *Qui vult vitam diligere, & videre dies bonos, coërceat linguam suam à malo, & labia sua, ne loquantur dolum. v. 11. Declinet à malo, & faciat bonum; quærat pacem, & persequatur. v. 12. Quoniam oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum: vultus autem Domini super mala facientes.*

Regula Vitæ generalis est, ex Psalmo 34. ℣. 13. dignissima, quam pii Conjuges semper in animo circumferant. Continet ea I. Excitationem; *Quisnam est Vir cupiens Vitas?* felicitatem præsentem & futuram, Vita enim Hebræorum usu loquendi omne bonum complectitur, *& amans dies, quibus videat bonum?* At enim quis non cupiat? non amet?

amet? Resp. 1. *Vivere omnes beatè volunt, sed ad pervidendum, quid sit, quod beatam Vitam efficiat? caligant*. Seneca de Beat. Vit. cap. 1. 2. Omnes sanitatem optant, pauci rectè, nempè ut & habere curent; ita hîc. Quisquis ergò seriò & ex animo beatitudinem amat, Deum timeat. Timoris autem hæc, quæ sequuntur, sunt foris conspicua effecta: II. Exhortationem 1. *ad Linguæ continentiam*, γλῶσσα τύχη, γλῶσσα Δαίμων, ajebant Ægyptii, *Lingua Bona Fortuna, Lingua sua cuique Genius est*. Plutarch. de Isid. & Osyrid. 2. *ad Vitæ innocentiam*; Nam

Integer Vitæ scelerisq; purus
Non eget Mauri jaculis nec arcu.

Innocentia ubique tuta est, Seneca l. 7. Controv. 1. Quam *si quis obtulerit Deo, satis piè, satis religiosè Deo litavit*, Lactant. 6. cap. 1. 3. *ad Cordis benevolentiam*, & pacis studium, *non autem sufficit quærere pacem, nisi inventam fugientemq; omni studio prosequamur*. Hieronym. ad Rustic. Vis & canes venaticos nôsse, quibus fera tam nobilis, tam captu rara deprehendi possit? Præmisit Apostolus, cùm dixit: *In summa; omnes sitis unanimes, compatientes, fraternitatis amantes, misericordes, affabiles*. ℣. 8. III. Exstimulationem, per *promissionem* divinæ defensionis & exauditionis; & *comminationem* in antithesi vindictæ.

Clarus ubiq; Deus, nunquam mutabilis author,
Quem non obscurant quæcunq; ex parte tenebræ,

Nec

Nec celantur ei, quacunq; obscura geruntur.
Dracontius in Hexaëm. Sed ego hîc finio. Qui plura de his Conjugum Officiis volet, adeat D. Gerhard. de Conjugio §. 447. & seqq.

MEDITATIO UNDECIMA, DE VIDUIS.

TEXTUS. 1. Tim. 5. ℣ 3. *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt. v. 4. Quòd si qua vidua liberos aut nepotes habet, discant primùm propriam domum piè tractare, & vicem reddere majoribus: hoc enim honestum & acceptum est coram Deo. v. 5. At quæ verè vidua est & sola, speravit in Deo, & permanet in orationibus ac precibus die nocteq;: v. 6. quæ autem delicata, ea vivens mortua est. v. 7. Et hæc præcipe, ut sint irreprehensibiles. v. 8. Si quis verò suis & maximè domesticis non prospicit, fidem abnegavit, & infideli pejor est. v. 9. Vidua allegatur non minor sexaginta annis, quæ fuerit unius viri uxor. v. 10. Testimonium habens in bonis operibus, si liberos educavit, si hospites suscepit, si pedes sanctorum lavit, si affli-*

afflictis subministravit, si in omni opere bono fuit assidua. v. 11. Juniores autem viduas rejice. Quum enim lascivire cœperint contra Christum, nubere volunt: v. 12. Habentes damnationem, quòd primam fidem rejecerint. v. 13. Simul autem & otiosæ discunt circumire domos: Nec otiosæ modò, sed & garrulæ & curiosæ, loquentes, quæ non oportet. v. 14. Volo igitur juniores nubere, liberos gignere, domum administrare, nullam occasionem dare adversario maledicendi gratiâ. v. 15. Jam enim nonnullæ deflexerunt secutæ Satanam. v. 16. Quòd si quis fidelis, aut si qua fidelis vidua habet, suppeditet illis, nec oneretur Ecclesia, ut verè viduis sufficiat.

EXordium. Ut apud Poëtas,

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat;

Sic Ecclesiæ Episcopum undiq; oculeum esse oportet, & in omnes non modò crediti sibi gregis necessitates, sed etiam hostium machinas, semper intentùm; nam non *adversùs duos* tantùm, quod tamen *ne Hercules quidem* ausus Adagio dicitur, sed contra infinitos eum in pugnam descendere oportet, eundemq;, quod in militia inauditum, *& sagit-*

tarium & funditorem, centurionem & manipularem, ducem & militem, equitem & peditem, denique navali simul pugnæ & murorum oppugnationi aptum esse. ut ait Chrysostom. de Sacerdot. serm. 3. cap. 2. Inter alia verò incumbit ei quoque ἡ τῶν χηρῶν θεραπεία, *viduarum cura,* ut ait Idem serm. 3. c. 16. De qua h. l. Apostolus, prolixè, sed nobis propter antiquitatis ignorationem obscurè; ut faciliùs me expediam, dicam de cura viduarum I. *Ecclesiastica.* II. *Domestica,* usum addam præcipuum.

I. Cura viduarum Ecclesiastica.

duplicem honorem requirit 1. *Sustentationis,* 2. *Cooptationis* in numerum Diaconissarum. Undè necessariò nonnihil præfandum *de occasione h. l. & scopo.* Ac apud Interpretes quidem, quos habeo, hoc tantùm invenio, viduas pauperes de Ecclesiæ bonis sustentatas, vicissim in cura ægrotorum aliisq; rebus ei operam suam contulisse, non sine proposito, se continendi per reliquam vitam à nuptiis. Qui distinctiùs ac enucleatiùs scripserit de hac re, inter meos non apparet, nam Hesselium, quem Estius ait diligenter ex antiquitate collegisse, quæ ad hunc locum illustrandum faciunt, videre non licuit. Itaque, quæ collegi, conferam in medium, tu - *si quid novisti rectius istis Candidus imperti, &c.* Ac primò quidem Actor. cap. 6. ℣. 1. Legimus paulò post adscensum Christi in cœlum anno Ejus 34. ut Lucius Dexter tradidit in Chronico, exortum esse murmur Græcorum contra Hebræos,

bræos, *quòd viduæ eorum despicerentur in quotidiano ministerio*; ubi διακονίαν aliqui *activè* accipiunt, quasi viduæ ministrârint mensis, id est, curârint ea, quæ ad Eucharisticum epulum ac conjunctas Agapas erant necessaria. Notum enim Eucharistiam primitùs quotidiè celebratam, nec cibum sumptum communem, nisi prægustato sacro. Addita est cœna publica in Symbolum mutui amoris, undè ἀγάπη dicta, id est, *dilectio*, inopum, ut ait Tertull. in Apolog. c. 39. *refrigerium*, nam divites conferebant cibos, invitabant pauperes, & communiter discumbebant omnes, Chrysost. hom. 27. in 1. ad Cor. In hunc usum collata *oblationes* dicebantur, *dona*, *munera*, de quibus multa Mornæus l. 1. de Missa cap. 5. Hisq; curandis viduas fuisse præfectas, inq; earum locum postea Diaconos suffectos, etsi ex Actis l. c. non adeò clarum est, probabile tamen: Credo tamen potiùs de ministerio viduarum *passivo* dici, quo ex reliquiis collectarum aliquid iis ministrabatur ad sustentationem, ut & Oecumen. de ritu bene Estius: *Hic mos alendi viduas è fidelium oblationibus, ab Apostolis institutus, diu in Ecclesia perseveravit. Quando autem cessaverit, haud satis constat.* Sic multa Apostolica instituta celsârunt in Ecclesia Romana, sensim obrepente pejore consuetudine. Agit de eo more multis Chrysostomus de Sacerdotio l. c. ostendens multâ sollicitudine viduas ab Episcopo 1. fuisse *allegendas*, ne beneficia tribuerentur indignis, quo & Dei ira & hominum contemptus provocaretur, ac pigriores fierent bene-

facere aliàs prompti. 2. *curandas*, ut afflueret victus necessarius velut ex perenni fonte, ne querelis & calumniis locus esset. *Viduarum enim genus*, inquit, *& propter inopiam, & propter ætatem & propter naturam immoderatâ linguæ libertate uti solet.* Hinc oportere Episcopum esse æquum, patientem & inprimis οἰκονομικὸν bonum quasi patremfamiliâs &c. Quæ quoniam h. l. illustrando faciunt, breviter delibare visum. Hæc non multum habent difficultatis, de Diaconissis obscurior est tractatio. Honorem eum Tertullianus *viduatum* vocat, & ni fallor sedem in Ecclesiæ conventibus digniorem ei tribuit, quæ in eo honore collocata fuit. Undè queritur aliquam *virginem - viduam* nondum viginti annos natam illic *sedisse* alicubi, & quidem *intectam*, ut ex sede vidua, ex velaminis venia virgo appareret. *Ad quam sedem præter annos LX. non tantùm univiræ eligendæ, sed & matres & quidem educatrices filiorum; ut experimentis omnium affectuum structæ, facilè nôssent cæteras & consilio & solatio juvare, & ut nihilominùs ea decurrerint, per quæ fœmina probari potest*, de virginib. veland. c. 9. ubi & de officio nonnihil, de quo plura Centuriatores nostri Cent. 4. cap. 7. pag. 492. Nam 1. inserviebant Ecclesiæ in muliebribus negotiis, quæ Presbyteros curare indecens & inverecundum fuisset, ut in cura mulierum ægrotarum; in inspectione corporum, &c. teste Epiphan. de Compend. doctrina & Tom. 2. l. 3. hæres. 79. 2. ministrabant in baptismo, & in ministerio verbi privatim, Hie-

ronym.

ronym. in c. 16. ad Rom. undè Canon IV. Synodi Carthagin. *ut ita essent instructæ, quò rusticas & imperitas sano & perspicuo sermone possent instituere, de respondendis in baptismo & vitæ ratione post eum acceptum.* Verisimile ex hoc ordine natas esse *Beghinas*, de quibus Wolffius ad ann. 1252. Tom. I. Memorabil. Reliqua in textum reservo. Hinc colligi poterit occasio hujus Apostolicæ ordinationis. Cùm Ecclesiis Apostolus suum de virginitate & viduitate consilium proposuisset 1. Cor. 7. viduæ quædam juniores Ecclesiæ ministeriis operam suam addicebant, & in collegium illud Ecclesiasticum viduarum, cui professio cœlibatus vel expressa vel tacita annexa erat, sese recipi petebant, cùm nondum de dono continentiæ sese satis explorâssent. Sed postmodum à Satana propter incontinentiam tentatæ, ac metuentes, ne levitatis & inconstantiæ notam, apud Christianos, incurrerent, tandem penitùs à religione Christiana deficiebant &c. Hæc ex D. Gerhardo de Conjugio §. 537. Objectum ergò hujus loci sunt *viduæ Ecclesiæ*, ut vocat Ambrosius h. l. *viduæ seniores & Matricuriæ*, ita enim vetus quidam Interpres Concilii Laodiceni Canone II. ubi Græcè, *quòd non oporteat dictas* Πρεσβύτιδας ἤτοι Προκαθημένας, *Presbyteras aut Præsidentes in Ecclesia constitui.* Scopus, agere de earum Electione & Sustentatione.

I. De Sustentatione hoc, ut numerò dicam, præcipit, ut ne qua ab Ecclesia alatur, quæ aliundè sustentare se possit. Specta autem 1. *Regulam*,

2. *Regulæ explicationem & confirmationem.* Regula: Viduas honora, sustentando, sustentatio autem nomine honoris significatur, quia fiebat cum testimonio honoris & virtutis merito: Sic apud Athenienses in Prytaneo alebantur, qui bene de Repub. essent meriti, qui apud Græcos maximus honos erat, ut docet Suidas in Πρυτανεῖον & Cicero 1. de Orat. quo tamen quodammodo & mulam affecére, quòd cùm ætate fessa publico operi servire non posset, alias comitari & quasi extimulare soleret, vide Camerar. Medit. Hist. cent. 1. cap. 21. Sic Hieronym. ad Ageruchiam: *Honor impræsentiarum, vel pro eleemosyna, vel pro munere accipitur*; & sic ait, ex Domini explicatione Matth. 15. 6. IV. Præceptum; *Honora Patrem tuum & Matrem tuam; non in verborum sono, qui inopiam Parentum cassâ potest adulatione frustrari, sed in victus necessariis ministrandis debere intelligi.* Viduas, inquam, quæ verè viduæ sunt, *quæ omni suorum auxilio*, ut ait Hieronymus, *destitutæ sunt, quæ manibus suis laborare non possunt, quas paupertas debilitat, ætasq; conficit, quibus Deus spes est, & omne opus oratio.* Ibid. Sic & Theodoret. Oecumen. &c. Ambrosius verò: quæ *datâ operâ viduæ sunt: Quæ cùm possent nubere, ut meliores essent & dignæ Deo secundas nuptias respuerunt, scientes semel benedici conjugium: &c.* Sed professio viduatus, ut dicam cum Tertulliano, non simpliciter puto ad sustentationem ut ad ordinem Diaconissarum, necessaria fuit.

Ac

Ac non dubitant docti Interpretes alias esse viduas, de quibus hîc præcipitur, alias, de quibus postea ℣. 9. Albo Diaconissarum adscribebantur etiam divites, qualis fuit Olympias, S. Chrysostomi discipula & assecla, propter quem & auro multata, & Nicomediam deportata est Constantinopoli, apud Sozom. l. 8. c. 24. & Nicephor. l. 13. c. 24. nec ratio apparet, cur illæ ab hoc ministerio fuerint excludendæ? at alendæ non erant nisi egenæ, ne gravaretur Ecclesia. Excludebantur ex illo ordine omnes, quæ non essent univiræ, quæ juniores quàm sexagenariæ quæ familiam adhuc curandam haberent, ac alendos liberos; his autem omnibus denegare necessarium alimonium, quid esset aliud, quàm ad desperationem & ad incitas redigere? Scio querelam Ambrosii aut Ambrosiani Interpretis, inveniri in Ecclesiæ viduis *non tantùm duûm aut trium maritorum uxores, sed & quæ turpiùs vixerint, quod*, inquit, *aliquando per negligentiam fit, aliquando potentatu insinuantis*: h. l. & Hieronymi sententia, fateor, torsit me, cùm scripsit: *Nec Ecclesiasticis vidua sustentatur alimentis, nisi quæ sexaginta annorum est, & maturitatem habet morum pariter & ætatis.* In cap. 3. Esaiæ. Sed recreavit canon Concil. Carthag. IV. sic habens: *Viduæ adolescentes corpore debiles, sumptu Ecclesiæ, cujus viduæ sunt, sustententur.* Ergò, inquiebam, quædam etiam sustentandæ fuerunt, quæ ministeriis tamen Diaconissarum erant ineptæ, & si nonnullæ propter corporis debilitatem, cur non aliæ propter li-

berorum copiam, aut alias justas causas? Sed hæc doctioribus relinquo. Si quis de solis ordinatis viduis, de cooptatis puta in Ecclesiæ ministerium, totum hunc locum explicet, usque ad ℣. 16. & in hac Regula, honorem, quem iis tribuendum docet Apostolus, generatim accipiat, ut & Oecumen. ex Chrysostomo, qui tamen prioris expositionis quoque meminerunt; faciliùs se fortè extricabit. Sequor autem sententiam communiorem. Hæc Regula est, quam explicat Apostolus ostendens per thesin & antithesin, quæ verè sint viduæ, & quæ non sint? Verè vidua est, quæ & desolata, μεμονωμένη: ipsâ vi vocabuli, vidua non est, nisi quæ suorum ope & consortio orbata, de quo h. l. Erasmus in Annot. & deinceps in usu; quæq; vitæ modo & institutis se dignam præstat curâ hac Ecclesiasticâ, sperans in Deum, & ab eo solo pendens, ac perseverans in exercitiis pietatis æmula Sanctissimæ Annæ, quæ jejuniis ac obsecrationibus serviebat Deo noctu dieq;: Ambros. h. l. Sic in Concil. Carthag. l. cit. *Viduæ, quæ stipendio Ecclesiæ sustentantur, tam assiduæ in Dei opere esse debent, ut & meritis & orationibus suis Ecclesiam adjuvent.* Si qua autem vidua adhuc filios & nepotes habet, ea nondum omnimodis vidua est; Ergò nec Ecclesiæ honore digna, aut illi idonea. Quid ergò? Discant illi liberi & nepotes ejus, si pii esse volunt, primùm ac ante omnia

domum

domum suam, suos domesticos, maximè Parentes, piè tractare, sic enim Ambros. vertit εὐσεβεῖν, & vicem reddere, ἀντιπελαργεῖν, majoribus suis. Nihil honestius, nihil Deo gratius! de quo suo loco. Sic Hieronym. Theophylact. Estius, ex nostris Quistorpius & alii. Ratio explicationis ferè unica, quia de sustentandis viduis præcipiat Apostolus, easq; quibus liberi sunt aut nepotes, *suorum*, ut ait Hieronymus, *imponat cervitibus*, ne gravetur Ecclesia. Sed hoc ipsum fecit Apostolus postea ℣. 16. cui ταυτολογίαν impingere nolim. Deindè coactum videtur, *propriam domum piè curare*, explicare de cura filiali liberorum, quam debent Parentibus, & non de materna, quam vidua pia liberis; cùm illi Parentes nescio an vocabulo domus unquam, hi liberi sæpè comprehensi legantur. Sic 1. Tim. 3. 4. *propria domui præesse*, est liberos & familiam piè regere, aut colere. confer. Gen. 18. 19. c. 34. 30. Exod. 1. 1. 21. &c. Audiemus igitur & alteram expositionem: *Discant illæ viduæ primùm*, antequam se Ecclesiæ ministerio consecrent & devoveant, *propriam domum piè administrare*, quod & in Presbyteris & in Diaconis quoq; requisivit Apostolus 1. Tim. 3. 4. 12. *Præire enim debent merita, ut accedenti debitus honor tribui videatur: Quæ enim affectus suos piè tractavit, & domum bene gubernavit, Dei legem servabit, digna effecta remuneratione Ecclesia.* Ambros. & hoc modo *vicem reddant Parentibus*, beneficium educa-

 tionis,

tionis, quod ab illis acceperunt, in posteros refundendo: Ingratæ enim sunt in Parentes, quæ ne tædium educationis perferre cogantur, suos deserunt, & impietatem duplicem, quam & in majores & in minores exercent, titulo Pietatis in Deum specioso, vanè palliare conantur. *Hoc* ait Apostolus omninò *bonum, hoc Deo gratum!* Sensus profectò contra impia vota Pontificiorum quorundam utilissimus, & vel ex solo scopo Apostoli planissimus. Eo tempore multi ambibant viduatum, propter honorem, *gloriosum est enim hujus rei vocabulum*, ait Ambrosiùs, h.l. accedente inprimis emolumento multiplici quà privato quà publico; quin & jam tum opinio Sanctitatis non paucas ἐθελοθρησκείας producebat, & alicubi Montani Spiritus, clam, palàm, rem suam gerebat, vide Coloss. 2. 21, 23. 1. Tim. 4. 3. His de causis etiam juniores quædam, etiam Matresfamiliâs, in eum ordinem accipi cupiebant, quas ad vocationem divinam ordinariam revocat Apostolus, vanam persuasionem, quasi viduatus per se pulchrior Deoq; acceptior sit, à fibris quasi revellens & refellens. Deniq; hæc Regia Via, hæc tritior expositio est, probata Chrysostomo, Theodoreto, Ambrosio, Augustino, &, ne Pontificii repudient, Vulgato Interpreti, ut palàm est, quos Adamus à Sasbout sequitur, aliiq;. Nil tamen definire audeo. judicent pii & docti. Restat aliud adhuc viduarum genus ψευδώνυμον, honore omni prorsùs indignum, de quo sequitur: At quæ in deliciis versatur, σπαταλῶσα, prodige vivere est,

est, σπαθᾷν vocabulum ex textrina, prodigè densare licium, zu viel einweben / verzettlen / quanquam hoc propriè staminis est, tamen simili Metaphorâ usurpari solet à Germanis; Spatha dicitur instrumentum textoris, quo inculcat licium, Weberblat / σπαταλᾷν itaque propriè divitias luxu prodigere, proterviam facere, genioq; suo indulgere; juxta Ambros. *deliciis vacare & luxuriæ*, Talis illa S. Zenonis Episcopi Veronensis, qui claruit sub Imp. Galieno: *Ecce rursus ad lenocinia redis! colorem de pixide mutuaris paulò antè damnatum! Ecce indulgenter excolis crinem, odorato pulvere luctus pulverem mutas, in stibio fletus includis, ornamento ligas, quod suspendio voveras collum, ab speculo oracula inquiris, quàm commodè possis circumscribere petitorem: &c.* in serm. de Continent. Multæ autem etiam, quæ liberos habent, viduitate abutuntur, non ut extinguant voluptates, sed ut succendant, iisq; sese liberiùs tradant, ut notavit Chrysost. h. l. at quid ejusmodi vidua? Vivens mortua est! nomen habent viventis, ad rem intermortua, se & omnes fallit: *impostura enim genus est aliud agere, & aliud profiteri*: Ambros. h. l. vivens mortua, elegans ὀξύμωρον, quod Patres de morte spirituali & æterna explicant, ἡ γὰρ σπατάλη θανάτου πρόξενος, θανάτου τοῦ αἰωνίου, *deliciæ mortis*, ut ita dicam, *sunt Pronubæ & conciliatrices, & quidem æternæ.* Chrysost. h. l. ubi multa disertissimè, è quibus ista: *Viventes non in eo à mortuis tantùm differunt, quòd Solem intuentur & vescuntur aurâ æthereâ; sed quòd boni*

boni quid agunt: hoc si absit, nihilò mortuis præstabunt. Vivus mortem suam obiit, qui in deliciis agit: Quonam modo? Solo ventre vivit. cæteris verò sensibus nullo modo. Imò pejor est mortuo: *Ille enim bona & mala æquè non sentit; at hic mala sola sentit, quoad bona verò jacet defuncto similis, immobilis.* Addit & in sepulchro quasi conditum, jam putrescere & corrumpi animo & corpore, quin & ne hominem quidem esse, *hominem* enim, definiente Sacrâ Scripturâ; *esse justum, veracem, pium abstinentem ab omni opere malo*, reliquos non homines dici, sed canes, equos, vituperas &c. Concludit isto bracteato: *Non ergò quæramus hîc remissionem, ut illic inveniamus. Non deliciemur in terris, ut deliciis affluamus in cœlis, deliciis illis veris, deliciis nihil malorum parientibus, bona innumera continentibus.* Sic Ambros. *deliciæ sunt janua peccati.* Theodoret. *immodicæ*, inquit, *deliciæ rationem obruunt, & efficiunt, ut in corpore, tanquam in aliquo sepulchro jaceat:* h. l. Meminit hujus præcepti S. Ignatius ad Antioch. Epist. 9. *Viduæ ne deliciosæ sint, ne luxurientur contra Verbum,* Dei Filium, in quo solo vera vita. Hæc non damno, propriè tamen Proverbium est, quo usus est Apostolorum doctissimus, q. d. nulla est, inter mortuos viva obambulat, *licèt ad tubicines mittat*, ut ait illa apud Petron. in Satyr. *vivum cadaver, vivum sepulchrum est*, ut habent Græca Adagia,

similis sepulchris nil nisi nomen retinuit,

ut cum Laberio dicam. Seneca diceret: *mortem*

suam

suam antecessit: Hos, inquit, ventri servientes, animalium loco numeremus, non hominum, quosdam verò ne animalium quidem, sed mortuorum &c. Epist. 60. Habes explicationem Regulæ, quam confirmat à Loco Communi: Si quis autem, sive in Parentum sive in liberorum classe sit, nam utrosque respicit, ut rectè observat Theodoretus, non solas viduas, ut Erasmus, Adamus & alii, suorum consanguineorum maximè domesticorum & habitatione sibi conjunctorum curam non habet, de provisione rerum ad vitam necessariarum propriè sermonem fieri Estio concedo, sed non exclusivè: Curam tum eam appellat, quæ circa animam est, cùm illam, quæ circa corpus, ait Adamus à Sasbout, ex Chrysost. is fidem ipso facto abnegavit, apostata est probrum Christiani nominis. *Non enim fides sola est fidei confessio, sed & opera demonstrare bona.* Chrysost. Quid enim ab eo speres, qui & suos contempsit? *Non est idem domesticum negligere, & alienum. Gravius crimen est notum quàm ignotum, amicum quàm extraneum despicere.* Idem. & infideli deterior est, pravitate mentis, quia & Legem Dei, quam infidelis non novit, & dictatum naturæ, quem iste sequitur, susq; deq; habet; nam *& Dei Leges & naturæ violat, qui suos negligit,* Chrysost. *pejor habeatur, necesse est, qui sub Lege & Timore Dei agens contemptor est, quàm qui non subjectus est Legi.* Ambros. & gravitate supplicii, quia *melius est viam veritatis*

ritatis non cognoscere, quàm postea deviare: Remigius. Sat multa de primo. Attexit Paulus Exhortationem ad Timotheum: Hæc præcipe, & sedulò viduis inculca, ut sint irreprehensibiles, tantamq; diligentiam actuum ac morum viduam vult habere, ut reprehendi non possit, Ambros. *Et nos ergò*, cum Chrysostomo, *sequuti Paulum, denunciamus viduis, deliciosas viduas non esse in albo viduarum. Nam similes lavacris, theatris & negotiis aliis se dedens, ut λειποτάκτης, perduellis & desertor judicatur, quantò magis vidua?* Superest, ut dicamus

II. de Electione, ubi Apostoli Consilium & Præceptum I. de Senioribus *eligendis*, II. de Junioribus *rejiciendis*. *De Senioribus* sic ait: Vidua allegatur, Catalogo adjiciatur, Chrysost. Vulgatus eligatur; q. d. præficiatur cæteris; ut explicat Cajetanus, & probat ex eo, quòd tanta ætas requiratur. Refellit Estius, sed quicquid sit; non de iis h. l sermonem puto fieri, quæ eleemosynis Ecclesiasticis gaudebant, sed de Diaconissis; fuisse autem viduas quasdam ab Ecclesia alitas, non Diaconissas, suprà ostensum est. Requirit autem 1. Ætatem, 2. Probitatem. *De Ætate:* non minor annis sexaginta. Cur? Si de alimentis exhibendis sermo esset, non reperiretur conveniens ratio tantæ ætatis. Scio Theodoretum hujus definitæ ætatis hanc dare causam, quòd quæ adhuc florentiori sunt ætate laborare, & victum sibi possint quærere,

rere, quam & adferunt Hieronym. ad Salvinam, Ambrosius de viduis & alii. Sed hæc causa non est universalis, nam & quædam ante sexagesimum annum victum sibi quærere non possunt, has præterire, quæ esset crudelitas? & quædam post eum adhuc possunt, quas illis præponere, quæ iniquitas? Ergò alii referunt hoc Apostoli institutum ad propositum continentiæ, quòd profiteri viduas Ecclesiæ oportebat, nullæ autem sine periculo poterant nisi sexagenariæ. At primò in dubio est, an viduæ sustentandæ sumptibus Ecclesiasticis vovere aut profiteri cœlibatum necessariò debuerint? rationes dubitandi superiùs adduximus; nam verè vidua & prorsùs desolata potest esse, quæ tamen nec professione continentiæ sibi laqueum injicere audet, nec statim nubere potest, quid illa? exhæredabitur interim ab Ecclesia, usque dum legitimam ætatem adepta erit? Deindè si merita inspicimus viduitatis, *utique illa præclarior, quæ calorem adolescentiæ & junioris fervescentem edomat ardorem ætatis, nec mariti gratiam, nec uberiora liberorum oblectamenta desiderans, quàm quæ effœta jam corpore, frigida senectute, matura ævi, nec calere voluptatibus potest, nec sperare de partu*, ut ait Ambrosius de viduis. Talem cur excluderet Apostolus à stipendio, simpliciter definitâ ætate? & annon studium ille castæ viduitatis, præsertim apud egenas & sine Ecclesiæ ope se sustentare non valentes, quæ tantò minùs à lascivia sollicitantur, quantò minùs deliciarum noverunt, prorsùs sufflaminaret? Hæc me confirmant,

non

non simpliciter de sustentatione viduarum, sed de Diaconissis h. l. agi, quas ante sexagesimum annum ordinari non vult Apostolus, quòd eam ætatis maturitatem adeptæ magis Ecclesiæ ministerio idoneæ essent. Nam, ut ex Tertulliano audivimus, *consilio & auxilio* alias adjuvare fœminas ex officio tenebantur. Ad *illud* opus erat eis senili Prudentiâ; ad *hoc* Cœlibatu; quam & hinc apparet ordini huic Diaconissarum, necessitate quâdam, non ex opinione cultus aut meriti annexum fuisse. Plusculum de his in usu. *De probitate* pergit: Quæ fuerit unius viri uxor, & in legitimo conjugio vixerit, ubi una est unius. Quid Pontificiis hic reponendum sit, postea monebo. Voluerunt Apostoli quoquo modo obviam ire pravis consuetudinibus in repudiandis conjugibus, etiam levissima de causa, ac sensim retinere suos à varia Polygamia iis temporibus recepta, quodq; vi vix impetrare poterant, consilio efficere. De quo & suprà nonnihil Meditat. VII. In operibus bonis testimonium habens, quòd per multos antè annos *sulcum Pietatis* severit, *ubi neque aratrum figendum, neque Boves jungendi, neque tempus exspectandum, neque humus proscindenda, neque cum inclementiore cœlo luctandum, quia in cœlum seritur, ubi neque frigus neque hiems, nec aliud simile*, ut eleganter in Morali h. l. ait Chrysost. Requirit autem bonum testimonium, non quòd de eo benefacientem sollicitum esse deceat; *Nesciat, inquit Dominus, sinistra tua,*
quid

quid faciat dextra tua. Quid mille advocas testes? ne servus quidem adspiciat, si fieri possit, nec uxor. Idem infr. homil. 14. sed quòd benefacientes consequi soleat. *Bona enim vita & actus modesti abscondi non possunt*, ait in hoc cap. 5. ℣. 25. Ambros. Si filios educavit, ὡς δεῖ, ut piam Matrem decet, Chrysost. Si hospitio recepit, & pro vireculis peregrinis aut exulantibus se hospitalem exhibuit, ut illa 1. Reg. 17. 10. Si, quod novissimi ministerii genus est, Sanctorum, quales suo ævo Monachos fuisse deprædicat Chrysostomus, eorumq́ institutum & vitæ rationem ad unguem depingit, hom. 14. cit. h. l. addens tamen, *ut margaritarum, licèt omnes eodem nomine veniant, magna differentia est; ita & Sanctorum*; p. 1601. & *Sancti sunt omnes, qui fidem rectam cum vita habent, hi quamvis signa non faciant, Dæmonas non ejiciant, tamen Sancti sunt.* p. 1598. pedes lavit, pro more ejus gentis, Gen. 18. 4. & 19. 2. Luc. 7. 44. Si afflictis, ægrotis, orbitatem, captivitatem, exilia aliasq; tribulationes sustinentibus opem tulit, consilium aut auxilium præstitit; deniq; si omne bonum opus prosequuta fuit, nam

ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.

Chrysostomus hîc inter alia hoc scitè ait: *Si pauperi dederis, ne per teipsum dare dedignere! Non enim pauperi das, sed Christo. Quis verò adeò infelix, ut manum dedignetur porrigere Christo?*

Porrò de *junioribus* hæc habet: Juniores autem viduas, adoleſcentulas, Ambroſ. poſitivè juvenes, non comparativè juniores annis LX: ſic Comm. vide & Eſtium h. l. Ego diſcerno Præceptum à ratione; *Præceptum* eſt, rejice, ubi prohibet juniores ſuſcipi in hac profeſſione, ut ait Ambroſ. nempè comparatè, omnes minores LX. annis. *Ratio*, à lubricitate ætatis, maximè adoleſcentiores notat, locum tamen etiam in iis habet, quæ per ætatem adhuc conjugio & partui idoneæ ſunt. Non admittendas ait, neque juvenculas, neque provectioris ætatis ullas ante præfinitum annum ſexageſimum; quòd in illis *lubricæ ætati fides facilè haberi non debeat*, ut explicat Ambroſ. in his quoque non abſit omne periculum incontinentiæ. Quum enim cœperint καταστρηνιᾷν, laſcivire, ferocire, deductum putant à verbo στρεῖν ceu Metaphorâ ſumptâ à jumentis, quæ cùm pabulo ferociunt, avellunt habenas, & ſuopte feruntur arbitrio, Eraſmus in Annot. ubi alia: *cùm cœperint Accissare & deliciari, cùm contra Chriſtum ſuperbiâ intumuerint*, Oecumen. Acco mulier petulantiſſima fuit, undè Ἀκκίζειν Proverb. quo & Chryſoſt. utitur h. l. *quum* luxuriatæ, *fornicatæ* vertit Hieronymus, in Chriſtum, *in injuriam Viri ſui Chriſti*, cui deſponderunt ſe, Idem ut & Oecumen. *fuerint*, nubere volunt, nuptiis ſollicitantur, Ambroſ. nuptiis impiis, ex laſcivia ortis; cum Chriſti abnegatione conjunctis, ut ſequitur: Habentes damna-

mnationem, quòd primam fidem Christo in baptismò promissam, occasione nuptiarum, rejecerunt, ùt dè Marcione & Basilide ait Hieronym. in præf. Comm. Epist. ad Tit. fide non esse dignos, qui primam fidem rejecerunt. Ut rectè hinc demonstrat Vincent. Lirin. c.12. adv.Nov. *Magno metu nobis mutatæ fidei ac temeratæ religionis piaculum pertimescendum esse.* Sed de hoc mox plura in usu, sequor hîc communiorem nostrorum sententiam. Vin' & scire, quibus gradibus in hoc profundum perfidiæ se præcipitârint? audi: Simul otiosæ discunt circumire domos, otio autem dant vitia: πᾶσαν τὴν κακίαν ἐδίδαξεν ἡ ἀργία, Chrysost. h.l. nec otiosæ modò, sed & garrulæ, curiosæ, loquentes, quæ non decet. Quî enim non fierent otiosæ, loquaces, curiosæ decedente curâ viri, & non succedente curâ Dei? Idem. Nuptiarum enim erant proximæ, multorum secretorum participes, adulatrices, servorum querulæ, interim commendante professione acceptabiles domibus divitum &c. Ambros. Quid ergò? Contrarium præceptum addit: Volo igitur hujus gravissimi periculi intuitu, ejusmodi juniores, etiamsi se jam Ecclesiæ devoverint *præsumptione temeritatis*, ut dicam cum Ambrosio, nubere, nubant, cui volunt, tantùm in Domino, 1. Cor. 7. 39. hoc enim omninò præstat, quàm fornicari contra Dominum, ac *miscere se servis suis & aliis fornicatoribus*, ut illud luxuriari & lascivire Remigius

exposuit. Non tantùm suadentis verba sunt: *Consilium dat & præcipit ea fieri, quæ licita sunt. Melius est enim domus suæ curam gerere, quàm in aliena domo adulari: Et multum expedit nubere, quàm sub bona & pia professione notabiliter incedere. Plus autem est cum pudore manibus victum quærere, quàm inverecundè cum otio aliena utensilia exspectare*, Ambros. h. l. Volo liberos gignere, domum suam administrare, hæc enim piæ mulieris officia sunt, in quibus & salvari poterit, 1. Tim. 2. 15. hoc volo, quoniam volo nullam occasionem dare adversario, τῷ ἀντικειμένῳ, ὁ ἐξ ἐναντίας, Tit. 2. 8. qui religionis Christianæ hostis est, ad maledicendum, & calumniandum Doctrinam Evangelii, arripiunt enim hostes Verbi divini quamcunque ansam maledicendi, quantò magis si quam speciosam invénerint? Non quidem ex quorundam malis moribus de tota doctrina ferendum est judicium: Vel ut cum Proclo dicam in Platon. Polit. *Non ex abusu de rei virtute aut vitio judicandum; sed quæq; ex propria natura & intrinseca sua rectitudine æstimare convenit.* Accidit hostibus veritatis ferè quod *noctuæ, quæ vitium oculorum suorum imputat claris ac lucidis Solis fulgoribus*, Simocatta in Epist. Hermag. ad Sopatr. Væ tamen illis, qui in causa sunt, ut nomen Dei blasphemetur inter gentes! 2. Sam. 12. 14. Esai. 52. 5. Ezech. 36. 23. Rom. 2. 24. Confirmat hoc præceptum ejusq; causam experientiâ, Jam enim non-

nonnullæ ἐξετράπησαν, retroconversæ sunt post Satanam, & à Christo prorsùs defecerunt, rectè enim refertur *ad defectionem religionis, per hanc enim religio multùm infamatur*, Estius. De toto hoc loco, propter Pontificiorum abusum, difficili valdè, videatur Excell. noster Gerhard. de Conjugio §. 182. & 513.

II. Cura Viduarum domestica.

Quòd si quis fidelium, vir aut fœmina, habet viduas sibi sanguine junctas, aut alio vinculo obstrictos, ut hæc regula quoque Dominos & Dominas teneat, sæpè enim fit, ut viduis, *quia per senectutis causam desistunt ab opere lanificii & aliis, retrahant, & vestimentum & victum*, ut & Ambros. h. l. queritur; suppeditet illis necessaria, non enim requirit πολυτέλειάν τινα magnificos sumptus, ait Chrysost. & non gravetur Ecclesia, ut fit, cùm cogitur vestire multos, quæ deberet vestire paucos, Ambros. ut iis, quæ verò & omni ope destitutæ viduæ sunt, sufficiat, ne aut earum murmuri sit locus, *est enim paupertas involuntaria malum ἀκόρεστον, καὶ μεμψίμοιρον, καὶ ἀχάριστον, insatiabile, querulum, ingratum*, Chrysost. de Sacerd. l. 3. c. 16. de viduis agens, aut infirmior sexus gravioribus tentationibus succumbat, *Paupertas enim* δεινὴ καὶ τὴν γεννεωτάτην ψυχὴν καταβαλεῖν, *etiam generosissimas animas frangit & prosternit*. Ibid.

Usus, & Abusus.

Multi Loci Theologici ex hac Apostolica periocba explicari possunt, ut I. De Baptismo; contra Anabaptistas, etiam liberos infantes baptizandos, ex praxi Apostolorum, qui integras domos baptizâsse leguntur, quibus etiam liberos & nepotes comprehendi ℣. 4. h. l. patet. II. De Fide; non posse divelli à Charitate, quam quisque non ostendit, eo ipso fidem abnegavit, seq; nullam in corde retinere prodidit. ℣. 8. Excipit Estius 1. facto negat fidem, qui facit, ut alii à fide propter scandalum avertantur. Resp. eo scilicet ipso ostendens, quantum de fide in corde statuat. Quomodo enim credit Deo, qui, quod præcipit Deus, contemnit? *Licèt Deum quidem negâsse non videaris, tamen, legem illius prævaricans, Deum ipsum abnegas.* Oecum. *Quid enim præcepit Deus ille creditus? domesticos seminis non despiciendos.* Chrysost. ex Esai. 58. 2. non dixit Apostolus, fidem amisit, sed negavit. Resp. hoc plus est; etenim effectus est apostasias intrinsecæ, arguens suam causam. 3. contrarium sequitur: *Si est infideli deterior, non est infidelis.* Resp. eâdem formâ sequitur, adulterum non esse fornicatorem, sacrilegum non esse furem, parricidam non esse homicidam. Ut simulata æquitas duplex iniquitas; ita simulata fides, duplex perfidia, atque adeò omni infidelitate deterior est. Sed & fidem amitti posse

h. l.

h. l. ex ℣. 12. probatur. de his vide Mehlfürer. Disp. V. in h. l.

III. De Conjugio: Secundas nuptias non esse honestam fornicationem, sed legitimum & continere non valentibus necessarium conjugium: ex ℣. 14. D. Gerhard. de Conjug. §. 182. Licitum quoq; personis Ecclesiasticis: Idem de Minister. Eccles. §. 355. Objicitur: ex h. l. ℣. 9. de eligenda vidua, quæ fuerit *unius viri uxor*; explicandam esse Apostoli sententiam, de eligendo Episcopo, qui sit *unius uxoris vir*. 1. Tim. 3. 2. Atqui prius illud non potest intelligi de ea, quæ simul plures viros habuit, excludenda, sed de ea, quæ demortuo primo alii nupsit. Ratio; *quia nunquam & nusquam in usu fuit, ut una mulier plurium virorum simul esset uxor.* Bellarm. l. 1. de Cler. c. 23. *ut una mulier plures simul maritos habeat, nulla gentium consuetudo, nulla lex unquam permisit, aut permittit:* Estius h. l. Ergò & posterius ita intelligendum, ut Apostolus ad Episcopatum admitti noluerit, non tam eos, qui in Polygamia *simultanea*, quàm qui in *successiva* vixerint. Resp. I. *ad Majorem* 1. *per infitiationem*, quia non utrobique eadem prohibitionis ratio est; oportebat viduam Ecclesiæ, ut ministerio suo posset liberè defungi, cœlibem esse; Episcopum non oportet. *Major autem spes est non nupturam amplius, aut non luxuriaturam contra Christum, quæ uni viro fuit, & post prima ad secunda vota non transiit.* Sic D. Quistorp. h. l. Nam *ut probabile argumentum est; si quæ, cùm virgo fuit,*

continere non potuit; Ergò & post expertas nuptias continere non poterit, ut ait Estius h. l. in ℣. 14. Ita multò probabilius; quæ sæpè nupserit, continere non posse. 2. *per concessionem*, sed cum inversione minoris. Nam ut illud de Episcopo, ut sit unius uxoris vir, non opponi potest, nisi Polygamiæ *reprehensibili* & *cum crimine* conjunctæ, ut clarè ex contextu patet: Ita & hoc de vidua, unius viri uxore, quam Apostolus vult esse *sine crimine* ℣. 7. Polygamia autem *interpretativa*, non est cum crimine conjuncta. II. *ad Minorem*, in verbis illis: *unius viri uxor*, & *unius uxoris vir*, nihil aliud esse nisi *descriptionem veri & legitimi conjugii*, eamq; non opponi debere uni tantùm vitio, sed omnibus, legitimo conjugio contrariis. Ergò Apostoli Præceptum de omnibus vitiosis conjugiis divinæ institutioni contrariis excludendis intelligi debet: de *Polygamia* illa *successiva* verò, quæ inter vitiosa conjugia non apparet, nullo modo. Ad rationem additam Minori, Respondeo. 1. Posse *quasdam fœminas nec plurium virorum esse uxores, nec tamen etiam unius*, quas omninò à viduatu repellendas velit Apostolus, eò quòd non sint irreprehensibiles. Tales sunt *adulteræ*, & quæ in fornice omnes admittunt, ut Claudii Imp. Uxor Messalina, quæ *Lyciscæ* nomen mentita

Intravit calidum veteri centone Lupanar,
Et lassata viris necdum satiata recessit,

nobilissimam unam ex prostitutis ancillam die & nocte quinto & vicesimo coitu superâsse legitur.

Vide

Vide Plinium &c. 2. *Quasdam ſimul plurium virorum uxores fuiſſe, & eſſe poſſe*, & quidem multis, caſibus, non quidem Lege divinâ, ſed hominum opinione, Legibus & moribus Legi & ordinationi divinæ contrariis, atq; ideò ab Apoſtolo jure damnatis. Sic inter gentes paſſim reperiebantur *fœminæ* ſimul *multiviræ* 1. *ex ſuperinductione*, quæ vivente marito alium ſuperinducebant, ut Livia & Fabiola, de quibus D. Gerhard. §. 304. l. cit. 2. *ex uſurpatione*, quæ uni deſponſæ, alterius eſſent *uſurariæ*, ut Alcumena apud Comicum, quòd apud Spartanos in ſterili conjugio honeſtum habebatur. 3. *ex publica deſponſatione*. Britanni deni duodenique unam ducunt, fratres cum fratribus, parentes cum liberis, filii ejus ſunt, à quo primùm virgo ducta eſt: unam & Arabes conſanguinitate juncti, apud quos ex alieno genere adulter eſt: quinq; viris nubit fœmina apud Medos, qui montes incolunt, ait Sardus Ferrarienſ. de morib. Gent. lib. 1. cap. 1. deniq; 4. inprimis & receptiſſimâ conſuetudine, *ex frequenti repudio*. Pudorem *rei tollit multitudo peccantium, & deſinit eſſe probri loco commune maledictum! Nunquam jam ulla repudio erubeſcit, poſtquam illuſtres quædam ac nobiles fœminæ, non Conſulum numero, ſed maritorum, annos ſuos computant, & exeunt matrimonii causâ, nubunt repudii?* Seneca l. 3. de Benef. c. 16. *Adſpicimus matrimoniorum ſingula momenta rixantia; mutant quotidiè domos, & per amplexus lectulosq́; diſcurrunt: Placet etiam poſt liberos alius maritus, & undè*

deprehendas omnium ſcelerum facilitatem, poſſunt non amare viventem. Quintilian. Declam. 2. vide Martial. l. 6. epigr. 7. &c. Hæc eodem ferè tempore inter gentes publicè deplorabantur, quo Apoſtolus vetuit ad honorem viduatus admitti non-univiras, ut levitati iſti obicem poneret, quæ tamen adeò contumax & diſciplinæ Eccleſiaſticæ cedere neſcia fuit, ut *quadringentis pòſt annis* Auguſtino fuerit exclamandum ad Competentes: *Non vobis, viri, licet habere uxores, quarum priores mariti vivunt. Nec vobis, fœminæ, habere viros licet, quorum priores uxores vivunt. Adulterina ſunt iſta conjugia, non jure fori, ſed jure Cœli! Nec eam fœminam, quæ per repudium diſceſſit à viro, licet vobis ducere vivo marito, &c.* ſerm. 49. in L. Quinquag. Hæc præter inſtitutum pluribus, à nemine, quod ſciam, hoc modo explicata; ne nobis fungos putent eſſe pro cerebro, qui nullis legibus, nullis moribus permiſſum clamant, ut una uxor ſimul plures viros habeat.

IV. De Votis; pugnant Pontificia cum norma Apoſtolica multis modis; Ratione I. *Cauſæ efficientis*; dum ad Vota admittunt non liberos, ſed divinâ obligatione præventos, contra præſcriptum ℣. 4. & 8. *Hodiè ſumma habetur pietas, ſi quis domi relictis liberis & uxore, aut etiam grandævis parentibus, vel Hieroſolymas abeat, vel in monaſterium ſeſe abdat, ſibi victurus, aut fortaſſis etiam ventri:* Eraſmus in Annotat. h. l. Imprudentes quoq; & temerè onus ſupra vires ſuſcipientes, cum periculo

culo animæ: Contra ℣. 9. & 11. præcepta, & experientiam. ℣. 12. 15. undè Estius adducit Cajetani verba: *Utinam hodiè disceremus ab hujusmodi experientiis; an prosint juvenilis ætatis utriusq; sexus solennia Vota, tum sacrorum ordinum, tum religionum!* & inter ipsos Pontificios censent quidam, *juvenes differendos usq; in annum ætatis 24. aut 25.* Sed hoc, ait Lessius, *insipiens consilium est.* Quòd multò magis sibi responsum habeat Paulus, differendas censens juniores viduas usque in annum 60. At de viduis loquitur, non de virginibus continentiam voventibus. *Resp.* nec potuit de talibus loqui, *quia nullæ tum erant.* Chrysostom. hom. 13. h. l. & deindè ratio ab Apostolo adducta, & experientia generalia sunt, & similium eadem ratio est. At viduæ difficiliùs continent. Resp. Scio & Tertullian. statuere, *viduas habere aliquid operosius: Quia facile est, non appetere, quod nescias; & aversari, quod desideraveris nunquam.* l. 1. ad Uxor. cap. 8. Sed hoc non semper usuvenit. Vehementiùs ferè sollicitamur incognitis, & ut habent trochæi illi:

Ampliùs quàm est, suspicamur res priùs non cognitas.
Ante conatum admiramur, quæ ridemus cognita.

De viduis verò, quæ, post fastidia & labores partus, tandem velut veteranæ *conjugii arma* deposuerunt, quas tamen ante definitum annum non admittit Apostolus, ne laqueum injiciat, manifestè falsum. Non *prohibet tamen*, ajunt, *omnes vovere Apostolus,*

lus, sed pleræsq; juniores, præsertim eo tempore, qui monasteria nondum instituta erant, in quibus clausæ continerentur: Sic Estius, & de monasteriis, quod bis ait, notandum. Resp. 1. Non prohibet quasdam adolescentulas esse viduas, sed μοιχαλίδας esse prohibet, adulteras &c. hac causâ sublatâ, non prohibet, ait Chrysost. 2. *Profiteri* autem *continentiam* ante definitum annum, proposito periculo, omninò *prohibet: ne facilè audeant, quod implere difficile est: aut si animus est huic devotioni deditus, apud se interim teneat, quia dicit, temerarium esse profiteri, quod adhuc juvenili ætati credi non debet:* Ambros. h.l. 3. Monasteria, si Spiritus Apostolicus novisset ad faciliùs servandam perennem continentiam proficua, & ideò divino consilio instituenda, cur non hîc instituit? aut institui olim jussit? nempe quia humanum inventum sunt &c. Monasteria monialium experientiâ Magistrâ quidam conquesti sunt *in fornices mutata, & præparatum bestiæ thalamum, in quo à tenera ætate impudicitia discatur.* Honorius & Picus Mirand. aliiq; apud Sutliv. de Monach. præfat. II. *Materiæ;* dum continentiam perpetuam vovent, quæ est donum peculiare, non in medio positum: Contra præceptum ℣. 14. *Volo juniores nubere:* ubi id se velle ait, *quod absolutè consideratis omnibus circumstantiis expedire videbat istis junioribus viduis*, ut ait Estius. Nec obstat illud: *Volo omnes esse sicut meipsum*, 1. Cor. 7. 7. & de viduis: beatior erit, si sic permanserit. ℣. 40. priore loco enim tantùm *deside-*

desiderium suum exponit, *quod tamen videt non posse impleri: addit enim; sed unusquisque donum suum habet à Deo. Posteriore autem, declarat quidem in genere, quid sit melius? non tamen omnes viduas ad id hortatur; sciens, non omnes capere posse, &c.* Estius h. l. verè & orthodoxé. III. *Formæ*; dum vovent cum perpetua abjuratione conjugii, & cum obligatione ad æternam damnationem, nullâ interpositâ conditione, sive quis continere possit, sive non possit. At *viduis etiam post professionem licebat nubere*, non tamen *sine crimine* & scandalo, si continere non possent. Undè illud: *Volo juniores nubere!* ℣. 14. Easdem puta, *quæ post fornicationem & luxuriam nubere & ipsæ volebant*, interpr. Chrysostom. h. l. *quas alioqui illicita perducerent ad mortem*: Ambros. h. l. *ne Diabolus illis illudat, indulgens & concedens eorum votis volo & ego*, Theophylactus h. l. *sermonem ad eas dirigit, quales suprà denotat, juvenculas viduas, &c.* Tertull. de Monogam. c. 13. Sic quoq; Epiphan. hæres. 61. Hieron. ad Salvin. & Ageruch. &c. Quod & invictissimis argumentis probatur 1. *ex contextu*. 2. ex ipsa *illatione*. 3. ex addita *ratione*, ℣. 14. 4. ex testimonio *experientiæ*, ℣. 12. & 15. &c. Nec obstat ℣. 12. habentes *condemnationem*, quòd *primam fidem* irritam fecerunt. Nam vel 1. *Prima fides* significat fidem Christo datam, quâ se ei desponderunt, non in voto, de qua desponsatione altum in Scriptura silentium, sed in professione Christianismi, Oseæ 2. 19. quam lasciviendo & habenas abrumpendo

pendo contra Christum, irritam fecerant, deflectentes à fide &c. quæ Prima dicitur vel *absolutè*, quia fundamentum est Christianismi; vel *relatè*, quia prior fide conjugali, de qua dixerat: nubere volunt: ut admittam Hebraismum, quo Estius putat *Superlativum, Primam*; *poni pro Comparativo*, priorem: de quo vide Flacium in *Fides*, & *Primum*, ut & Excell. D. Glassium in Gramm. S. Tract. 1. can. 18. Confer D. Gerhard. l. c. §. 514. ubi hæc explicatio primæ fidei firmissimè demonstratur: Vel 2. *Si Patres & Concilia quædam* audimus, per Primam fidem intelligentes eam, *quam dederunt Ecclesiæ in professione viduitatis*, abstinendi à conjugio; distinguendum est cum Epiphanio inter κρῖμα καὶ κατάκριμα: habet *peccatum & judicium, quæ Dei virginitatem rejecit & certamen pudefecit: Sed melius est judicium, quàm condemnatio*. Ita ille l. cit. Sic enim ferè se Patres ipsi explicârunt; & quidem ex ipso textu: Nam quod ait Apostolus ℣. 13. statim sequente, ἅμα δὲ *simul etiam otiosæ &c.* id Chrysostomus explicat: Neq; huic modò τῷ κρίματι, *reprehensioni, aut crimini*, se fecére obnoxias, sed & aliis peccatis. Sic κρῖμα explicat Apostolus per ὀνειδισμὸν, 1. Tim. 3. 6. 7. uti h. l. per λοιδορίαν, ℣. 12. 14. Quam explicationem adversarii rejicere nullâ specie poterunt. Denique IV. *Finis*; dum fiunt opinione cultus, meritorum & satisfactionis, ac quasi Cœlibatus per se Deo gratior sit &c. contra enunciatum ℣. 4. & 14. vide D. Gerhard. §. 504. & de reliquis, 517. & seqq.

V. *De*

V. *De Bonis Ecclesiasticis*, eorumq; usu & abusu, vide h. l. D. Quistorp. pag. 121. & Mehlfürer. thes. 31. Estius notat ✝. 16. ibi: ne gravetur Ecclesia: *Locum notandum contra eos, qui cùm de suo satis habeant, undè vivant, Ecclesiasticis beneficiis impinguantur, aut qui uno beneficio, quod ad honestam sustentationem valeat, non contenti plura accumulant, sic enim gravari Ecclesiam, ne plures ministros alere queat: &c.* Ingenuê.

VI. Tandem *ad VIDUAS* redeo, nam è difficillimis salebris me breviùs expedire non potui. Porrò delibanda ex hoc loco paucis I. Viduarum miseria. Indicat ipsum nomen; nam χήραν Græcè dictam à χηρῶ, quod est *desolo, destituo, orbo*; indicat Apostolus, explicans μεμονωμένην, *solam factam:* Sic Erasm. in Annot. alii παρὰ τὸ χαίρειν dictam putant, *à gaudio*, per Antiphrasin. Hebræis *Almana* dicitur, *ab Alàm abscondidit, ligavit, obmutuit,* quia mortuæ similis est, cadaveri, quod colligatum in sepulchro latet, & inter *silentes* umbras; undè silentium & solitudinem colere debet, non evagari; garrulæ autem & lascivæ, quæ delicatæ sunt, viventes sunt mortuæ. *Mutæ sunt viduæ*, non audent mutire, & quamlibet vociferentur, non magis audiuntur, ac si mutæ essent. *Viduæ* ab *iduo*, quasi à *Viro*, aut veriùs à *ve & iduæ*, per mortem à marito separatæ, Becman. in Origin. in *Idus:* ut nomen significet miserabilem illam *dichotomiam*, quâ, ut ait ille, *Non dolor est major, &c.* Wittwen ab eodem Latino vocabulo, aut ut eleganter alii, von ihrem weiten Wehe! quòd mi-

ſerias ſuas ex altiſſima ſpecula ſatis contemplari nequeant. Deindè in ſpecie quædam viduitatis mala enumerat Apoſtolus, orbitatem, ℣. 3. 4. difficultates rei familiaris, onus educationis liberorum, ℣. 4. tentationes Diabolicas, ℣. 5. 11. 15. denique deſolationem, omnis ſuffragii ex omni parte inopiam, Ambroſ. h. l. Ipſa per ſe viduitas, ſi nihil accedat, grave & lugubre malum, ſeparari à carnis ſuæ portione, amittere dimidium ſui &c. Qualis rubus eſt delapſis roſæ foliis; qualis truncus iners ſine capite; talis vidua verè vulgò dicitur. Et *per ſe imbecilla res eſt fœmina, & affert infirmitati naturali non leve pondus, quod vidua eſt.* Quintil. Declam. 338. Quid? ſi liberos quoq;, ſi nepotes amiſerit? ut *ferè plagæ recentes ad viduvii vulnus adduntur*, ut loquar cum Sidonio l. 6. Epiſt. 2. Si ſpectet *ſupra ſe*, ira Dei oculis ſemper obverſatur: Si *circa ſe*, *domi* videt corrumpi familiam, liberos, fortunas; *foris*, ſe ſuosq; contemni, vilipendi, omnium injuriis exponi: Si *infra ſe*, Diaboli inſidiis ſollicitatur in luctu, ad deſperandum; in lætitia, ad luxuriandum. In tot malis poſſimum eſt, quòd Viduæ nullos ferè habent opitulatores ſinceros: Non *Judices*; nam pleriq; ſimiles ſunt illi, Luc. 18. ℣. 2. 3. non *Cognatos*; nam inter alia viduitatis incommoda συγγενῶν ἐπιβουλὰς meritò recenſet Chryſoſtomus de Sacerd. l. 1. cap. 2. *non vicinos*; quia

> Δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται,
> *Cadente quercu ligna quivis colligit:*

Non *procos*; nam ſi pauperes ſunt, vix inveniunt:

Nemo

Nemo cibum poscit, quem prohibaverat alter,
Pomaq; de nitida sumere lance juvat.

Vinc. Fabric. l. 2. eleg. 13. si divites, opes quæruntur non ipsæ. Martia, Catonis filia minor, cùm quæreretur ab ea, *cur, post amissum maritum, denuò non nuberet?* respondit, *non se invenire virum, qui se magis vellet quàm sua.* Quo dicto ostendit, *divitias magis in uxoribus eligi solere, quàm pudicitiam, & multos non oculis, sed digitis uxores ducere*, Hieron. adv. Jovinian. l. 1. Ex quibus & aliis etiam Quintus Smyrnæus l. 7. rectè conclusit:

Nil miserabilius viduâ, aut infirmius usquam!

Quæ & conjugibus dicenda, ut pro se orent; & viduis, ut in Deo sperent; & omnibus, ne afflictis addant afflictionem.

II. Viduitatis solatia; inter quæ præcipuum, *honor* à Deo habitus isti ordini, cujus particula, cura hæc ab ipsius Spiritu præscripta Ecclesiastica & Domestica, de qua diximus. Sed & Magistratui Politico commendatæ sunt. Exod. 22. 22. & sæpè aliàs. Quid ergò? *Virum amisisti! Ne diligas maritum plus quàm Deum, & nunquam senties viduitatem.* Chrysost. in 1. ad Thessal. hom. 6. ubi pluribus hoc solatium exequitur. *Maritus, qui tibi datus fuerat ad tempus, discessit in tempore; datus enim tibi fuerat non ad patriæ beatitudinem; sed ad itineris consolationem.* Fulgent. ad Gallam Epist. 2. Sed & liberis ac nepotibus orbata es! Jam verè vidua es! *Hoc enim est verè viduam esse, quando aliqua & viri solatio destituta est & liberorum;*

Deum habens vice omnium. Chrysost. h. l. hom. 13. At habes forsan liberos, deq; eorum recta educatione sollicita es! *Quàm multos tibi ostendam à viduis educatos, qui fuerunt viri probi & bonæ existimationis? quàm multos autem a Patribus, qui perierunt?* Idem l. c. in 1. ad Thessal. & mox: *Indite liberis Dei timorem ab ineunte ætate, & is eos magis custodiet, quàm quivis Pater. Hic erit murus infractus! Quando enim intus fuerit residens custos, nihil nobis externis opus est munitionibus. Si autem non sit, temerè fiunt, quæcunq; externa. Hoc erit eis & divitiæ, & gloria, & ornamentum! hoc eos faciet illustres & claros, non in terra, sed etiam in Cœlis.* Ibid. Sed contemneris, pedibus traheris; contemne hunc contemptum, cogita te honorari à Deo. *Nam de viduitatum honoribus apud Dominum, uno dicto ejus expeditum per Prophetam. Justè facite viduæ & pupillo, & venite, disputemus, dicit Dominus* [Esai. 1. ℣. 18.] *Duo ista nomina, in quantum despectui humano, in tantum divinæ misericordiæ exposita, suscepit tueri Pater omnium: vide, quàm ex æquo habetur, qui viduæ benefecerit! Quanti est vidua ipsa, cujus assertor Dominus disputabit?* Tertullian. l. 1. ad Uxor. c. 8. &c.

III. Viduarum Officia; Ubi *Apostolus uno eodemq; præcepto duas viduitatis formas expressit: unam vitæ, alteram mortis.* Salvian. l. 2. contra Avarit. *Vidua vitæ* est, quæ mortua mundo, vivit Deo! *vidua mortis,* quæ viva mundo, mortua est Deo. Vivat, quæ vult esse vitæ, Deo piè. Speret,

ret, ſpei & *fidei fomenta de Scripturarum interlecti-one*, ut ait Tertull. l. 2. ad Uxor. c. 6. *ſubminiſtret*, oret. *Oratio tibi ſit in poſtulatione crebra! in ſancta verò cogitatione atque operatione continua.* Fulgent. ad Gallam. Cumq; Deus delectatur inprimis humilitate cordis, caveat in omni boni operis effectu jactantiam, & laudis aucupium. *Fruſtrà contemnis facultates tuas; ſi noxias jactantiæ teneas in corde divitias.* Ibid. *Laudari in bonis operibus debes; ſed in eo, quod operaris, hominum laudes exſpectare non debes.* Ibid. Talis *Anna fuit, cui diverſorium in Templo, colloquium in prece, vita in jejunio.* Ambroſ. de viduis. *Parùm enim eſſe docet Apoſtolus h. l. ſi non ſit vidua delicioſa, non dives, niſi fuerit Deo adhærens, niſi orationi dedita, niſi à cunctis mundi illecebris deſolata & per hæc omnia verè vidua.* Salvian. l. cit. Sibi caſtè & ſobriè. Non ſæpè nubat; conſilium do, non præceptum!

Non placet multis, quæ multis copulatur fœmina! Incredibilem ſed, ut ait, multorum teſtimoniis approbatam rem dicit Hieron. ad Ageruch. *ſe vidiſſe duo viliſſimorum hominum inter ſe paria comparata; unum, qui viginti ſepeliſſet uxores; alteram, quæ viceſimum ſecundum habuiſſet maritum; extremo ſibi matrimonio copulatos. Summa omnium exſpectatio, virorum pariter ac fœminarũ, poſt tantas rudes, quis quem prius efferret? vicit maritus, & totius Urbis populo confluente coronatus & palmam tenens, adoreamq;, per ſingulos ſibi acclamantes Uxoris feretrum præcedebat.* Ut caſtitatem corporis & cordis reti-

neat, fugiat delicias. *Non tenearis nexibus humanæ delectationis & de Diabolo prosperè triumphabis.* Fulgent. l. c. circa fin. Vivat modico victu contenta. *Quid enim necesse est, nos jactare pudicitiam, quæ sine comitibus & appendiciis suis, continentiâ & parcitate fidem sui facere non potest.* Hieron. ad Furiam. *Mihi crede, non habet concupiscentia locum, ubi patientia dominatur; ubi vivitur sobriè: ubi mors timetur.* Zeno Veronens. de Continent. *Viduæ non sint vagæ, non gulosæ, non περιτροχάδες, circumcursitantes, sed similes Juditha honestissimæ & Annæ pudicissimæ*, S. Ignatius Martyr. ad Philadelph. Epist. 6. Confer Fulgent. l. c. p. 653. *Stude ad Virtutem continentiæ, modestiæ; quæ pudori procurat: sedulitati; quæ nugas non facit: frugalitati; quæ seculum spernit: & mox: Loquaces, otiosæ, vinosæ, curiosæ contubernales, vel maximè proposito viduitatis officiunt: &c.* vide Tertull. l. 1. ad Uxor. extremo. Pertinet huc cura amictus, de quo Fulgent. *Sicut antea corporaliter ornabaris viro, qui delectaretur specie corporis; ita nunc spiritualiter ornanda es Christo, qui solam in te quærit pulchritudinem mentis.* l.c. vide plura pag. Oper. 646. & seq. Deniq; si qua juniorum continere non possit, nubat. Etenim *vicina est lapsibus adolescentia, quia variarum æstus cupiditatum fervorem calentis inflammat ætatis, boniq; Doctoris est materiam arcere peccati. Prima enim institutionis disciplina est, culpam avertere; secunda, virtutem infundere:* Ambrosius de vid. explicans Apostolicum illud h. l. viduas juniores re-

jice.

jice. ℣. 11. Nec curet Comicos sales, & quidem atros illos, quibus jam olim secundæ nuptiæ defricantur:

Κακὸς κακῶς γένοιθ', ὁ γήμας δεύτερον!

Malè sit malo, qui ducit uxorem alteram!

Vide apud Athenæum l. 13. Dipnosoph. &c. Potior nobis Apostoli authoritas: *Volo juniores nubere!* Vivat inter homines ita, ut suas superstites fideliter curet, educet. *Vidua velut emeritis veterana stipendiis castitatis, etsi conjugii arma deponat, domus tamen totius pacem gubernat.* Ambros. de vid. & antè: *utrumq; ait affectum inesse debere, ut filios diligat, Parentibus deferat.* Defunctis *fidem servet*, lugendo; *ut non doleas, vix audeo exigere: etsi esse melius scio. Sed cui ista firmitas animi continget, nisi jam multùm supra fortunam elato? illum quoque ista res vellicabit, sed tantùm vellicabit.* Seneca Epist. 63. Servetur autem modestia. *Modestiæ enim laus est, ablatum non desiderare, & ablatum à Deo Domino; sine cujus voluntate nec folium de arbore labitur, nec passer assis unius ad terram* cadit. Tertull. in Exhortat. Castit. cap. 1. à Conjugio abstinendo, juxta exemplum Turturis, de quo Hieron. 1. adv. Jovin. Ambros. l. 5. Hexaëm. Cassiodor. l. 5. Var. Epist. 33.

- *Turtur viduata marito*
Extincto, gemit assiduè, luctuq; requirit,
O verè sapiens volucris!

Greg. Nazianz. ad virgin. Exempla Ethnicarum vidua-

viduarum multa leges apud Hieron. l. cit. Certè apud Romanos, quæ uno contentæ matrimonio fuerant, *coronâ pudicitiæ* honorabantur. Valer. Max. l. 2. cap. 1. Denique, quoniam repetitæ nuptiæ sæpè necessitatis sunt, non voluntatis, tempus luctus legitimum observando. Leves *profectò, quæ nec dum elato funere prioris viri memoriter digamiæ præcepta decantant*, ut illæ ævo Hieronymi l. cit. Leves, *quæ de rogo mariti prioris tædas nuptiales accendunt, & de cineribus nondum sopitis novos ignes suscitant.* Nota est Ephesinæ viduæ fabula ex Petronii Satyrico, hîc non recitanda. *Annum fœminis ad lugendum constituère majores*, ait de Romanis Seneca l. c. *non ut tam diu lugerent, sed ne diutiùs: Viris nullum legitimum tempus est, quia nullum honestum.* Videndum tamen, quid cujusq; loci leges ferant aut mores. *Post luctum*, si necessitas aliqua urgeat, consilium Senecæ non improbandum: *Si quis despoliatus, unicâ tunicâ amissâ, complorare se malit, quàm circumspicere, quomodo frigus effugiat, & aliquid inveniat, quo tegat scapulas, nonne tibi videatur stultissimus? Quem amabas, extulisti; quære, quem ames.* l. cit. *Superiores* revereatur humiliter, nec pristinæ gloriæ suæ aut dignitatis meminerint. *Nobilitatem carnis, quæ superbiæ fomes est, abjice; & nobilitatem spiritus, perfectâ cordis humilitate, sectare:* ait Fulgent. ad Gallam. Loquacibus, importunis, jactabundis rectè dixeris illud ex Senecæ Agamemn.

Ut vidua loquere! vir caret vitâ tuus!

Miſe-

Miseris beneficam se exhibeat. *Orationibus operam da; jejuniis insta, & quicquid tuis apparatibus subtrahis, esurientibus tribue; voluntarium jejunium tuum, esuriem sublevet jejunantium.* Fulgent. l. c. Nec dicas te non habere, undè possis. *Liberalitas non cumulo patrimonii, sed largitatis definitur affectu:* Ambros. de vid. Benefac, quâ potes;

Nec metuas sperni; quoniam non vilia Christo
Pauperis obsequii libamina, qui duo lætus
Æra, piæ censum viduæ; laudata recepit.

Paulin. in VI. Natal. Felic. ex Marc. 12. ℣. 42. Denique *omnibus* se proponat *exemplar Virtutum, speculum morum, in quo nemo quidpiam justè criminari possit. Si autem nobis diligenter atque sollicitè omnia ad honestatem providentibus, cunctisq; actibus nostris Dei timorem præferentibus, mali nihilominùs insaniant; consoletur nos conscientia nostra: quæ tunc maximè tuta, tunc optimè secura est, cùm ne occasionem quidem malè de se sentiendi dedit.* Paulin. ad Celantiam.

Superessent IV. debita vicissim *viduis beneficia* & officia nostra, sed verbo absolvam: *Fides exhibenda omnibus, sed major est viduarum causa & pupillorum!* nam quod de fide depositi dixit Ambros. de Offic. l. 2. in fine, cur non in universum rectè affirmem, de fide, quam iis debet Ecclesia, Magistratus, familia, vicinitas, omnes. Hæc verè munda Religio est! Jac. 1. 27. Ego hîc abrumpo!

MEDITATIO DUODECIMA,

DE

PARENTIBUS & LIBERIS.

TEXTUS. Ephes. 6. ℣. 1. *Filii, obedite Parentibus vestris in Domino: nam id est justum. v. 2. Honora Patrem tuum & Matrem: quod est præceptum primum in promissione: v. 3. ut bene tibi sit, & sis longævus in terra. v. 4. Et Patres, ne provocetis ad iram liberos vestros, sed educetis eos per eruditionem & correptionem Domini.* Confer Coloss. 3. 20.

EXordium. Domum piorum Conjugum *Paradiso* comparat David aut *Vineæ* pulcherrimæ, ubi *Vitis* racemifera Uxor, Liberi *oleagini termites.* Psalm. 128. 3. Scio, quosdam hoc eximium status conjugalis encomium allegoriis suis infuscâsse. Nam quidam, de *Sponsa Christi* deq; ejus Filiis locutum Davidem, censebant, qui mensam Dominicam, Sacramentorum & doctrinæ, cum unanimitate circumdant: Alii de *Sapientiæ*, cujus filii sint *actus bonorum operum, in circuitu doctrinæ cœlestis adsistentes &c.* Prosper & Hieronymus, si tamen is author, in expos. parva h. l. in Psalm. Sed de Conjugio felici canit Propheta Regius. Opponit suum judicium judicio impuri vulgi. Multi uxorem & libe-

liberos *rubo & spinis* assimilant, quibus Sapiens manum abstineat;

ῥᾷον βίον ζῇς ἂν γυναῖκα μὴ τρέφῃς.

ait ille, nostri scurræ in vernacula alludunt:

Guter Mut ist halber Leib/

Hüt dich Narr/ und nimm kein Weib.

At frugiferâ vite quid fœcundius? Novellis olivarum termitibus quid amœnius? Oleæ novellæ *Palladi* sacræ fuerunt, creditumq; fuit castis manibus plantandas esse. *Græci jubent olivam, cùm plantatur & legitur, à mundis pueris atque virginibus operandum: credo recordati arbori huic Præsulem esse castitatem.* Pallad. l. 1. de re Rust. tit. 6. Sic Liberi ante omnia casto in conjugio serendi sunt. Sap. 3. 16. Edunt illæ mox futuræ fertilitatis præsagia & specimina. *Agricola quum florem oleæ videt, baccam quoq; se visurum putat.* Cicero 2. de Divin. Ita *apparet neminem unquam pervenisse ad Virtutem summam jam maturum, nisi qui puer seminario Virtutum generosiore concretus, aliquid inclytum designásset.* Vopiscus in Probo. Oleam *si lambendo capra linguâ contigerit, depaveritq; primo germinatu, sterilescere* author est Marcus Varro: Quantò magis sterilescere oportebit Liberos, nequam Ludimagistris traditos? *Magnum est*, ut Ariston scribit, *in primordio puerili quemadmodum quis incipiat?* Varro Idem in Catone. Ergò ut olivarum tenellæ plantulæ, sic & Liberorum curâ egent diligenti. Καθυλομανεῖ μὴ κλαδευομένη ἡ ἄμπελος: οὕτω δὲ καὶ ὁ ἄνθρωπος: *Nisi putetur lignis inutilibus, luxuriat*

xuriat vitis; sic & homo. Clem. Alex. l. 1. Pædag. c. 8. Sed de his dicendum prolixiùs; agemus verò 1. de *Officio Liberorum.* 2. *Parentum*; explicatoq; textu Apostolico, Siracidæ adtexemus Auream Bullam Liberis appendendam, ut de collo semper in pectus pendeat; quomodo Romanorum ingenuis pueris *bulla in figuram cordis* annectabatur, *quam inspicientes, ita demum se homines cogitarent, si corde præstarent.* Macrob. l. 1. Saturn. c. 6. De his ordine, sed paucis.

I. De Officio Liberorum.

Exhortatio; ubi specta: Quinam? quid? quibus debeant? Quinam? τὰ τέκνα. Facit Apostolus *ut bonus Plastes, qui corpus effícturus, primò caput, deindè collum, denique pedes effingit: Sic ille ad Virtutis exemplar primò Viros efformavit, deindè Uxores; nunc tandem ad Liberos progreditur.* Chrysost. h. l. Cæterùm quàm latè patet hîc Parentum nomen, tam & Liberorum, de quo mox. Quid? *Obedite!* obedientia autem ista includit Honorem, Amorem, Timorem. Sic S. Ignatius ad Philadelph. *Liberi obedite Parentibus vestris, & diligite eos, ut* Θεȣ̃ συνεργȣ̀ς, *Dei cooperarios in vestra generatione.* Sed adspergitur granum salis: *In Domino!* Hebraismus, quo & mandati hujus author indicatur & modus obedientiæ statuitur. In Domino, id est, κατὰ κύριον, *juxta Dominum*, sic enim præce-

pit

pit ille; *Quid verò si absurda præceperint? Primò vix Pater Liberis absurda mandat, quamlibet ipse absurdus sit. Deinde sic quoq; cavit Apostolus, cùm dixit: in Domino; id est, in quibus non offendas Dominum.* Chrysost. h. l *Parentibus nostris, de quibus secundùm carnem nati sumus obtemperemus in Domino, implentes ea, quæ non sunt Domini contraria voluntati.* Hieronym. h. l. Non vult tamen obedientiam esse *scrupulosam*, quasi adeò exactè sit ad calculos revocandum, quicquid superiores jusserint. Nota est regula: *Tenendum esse certum, relinquendum incertum.* Certum est, obedientiam deberi; an hoc aut illud contra Dominum sit, incertum. Sic accipio illud Ravennatis Chrysologi: *Matris dicta discutere non licet; Patris monita retractare non convenit: Sit licèt paterni mandati species tristior, res tamen ipsa salutifera & vitalis, &c.* Sed & illud salubre consilium; *ea etiam, quæ obsequi non oportet, leniter & verecundè ac sine detestatione nimia, sineq; opprobratione acerba reprehensionis declinanda potiùs sensim & relinquenda esse, quàm respuenda.* A. Gellius l. 2. Noct. cap. 7. ut servetur & ab inobedientibus obedientiæ honor. Quibus? *Parentibus*; quidam de iis exponebant, *qui nos genuêre in Domino,* referentes illa: in Domino non ad, *obedite*, sed ad, *Parentibus.* vide Hieron h. l. & sanè continentur utiq; & illi hoc nomine, verùm de naturalibus præcipuè agitur, quibus proximè accedunt nutritores, Tutores & alii, nam ut Ovicula philosophatur in fabulis apud Phædrum;

Facit

Facit Parentes bonitas, non necessitas!

Confirmatio 1. à Præcepto; hoc *enim justum* est! Lege non modò ἀγράφῳ, *justum est enim, ut reverentiam exhibeant eis, per quos sunt*: Ambrosius. Atq; hoc, ait Chrysostomus h. l. *admirandum viæ Virtutis fundamentum est, positum ab Apostolo, Honor Parentum, qui post Deum vitæ authores sunt, ut meritò bonorum nostrorum primi fructibus gaudere debeant, & postea alii*: Sed & ἐγγράφῳ, *Honora Patrem tuum & Matrem tuam*; quod Ambros. & Hieron. h. l. in ordine *quintum* numerant, secundæ tabulæ verò *primum* præceptum est, & quidem *in repromissione*: Quærunt enim veteres, quonam modo *primum* dicatur præceptum, *de honorandis Parentibus*? Respondent, κατὰ τι dici: Vel quia primum sit inter affirmativa; vel quia primum secundæ tabulæ; vel quia primum habens προσθήκην ἐπαγγελτικὴν & quidem *specialem*, nam promissio, addita præcepto de sculptilibus, misericordiæ, generalis est, *nec tam promissio quàm sententia in Dei laudes finita*. Sic Hieronym. Oecumen. &c. 2. à Promisso: *ut bene sit tibi & longævus sis super terram*. Græca Scholia ex Chrysostomo notant, *longævitatem præmium esse puerile*, miranturq; Dei Sapientiam, & συγκατάβασιν, quâ pueros puerili puerisq; grato præmio proposito excitârit ad Obedientiam. Hieronymus verò promissionem hanc *spiritualiter* accipiendam putavit, de æterna beatitudine in terra viventium. 1. Quia

Mul-

Multos fuisse credendum, qui & Parentibus obsequentes citò mortui sint, & in Parentes impii usq; ad extremam venerint senectutem. 2. Quia *diu in corpore permanere*, attestantibus Jobo, Davide, Salomone, Jeremiâ, *nulla felicitas sit*. 3 Quia juxta quosdam, qui, antequam in corpora ista descendant, animas in cœlestibus degere arbitrantur, *Melior esse dicitur duobus, qui necdum natus est.* Sed responsio facilis est: ad 1. Includi isti promissioni corporali, ut similibus, exceptionem crucis & conditionem, si expediat ad salutem: ad 2. Longam Vitam inter Dei dona computandam, sed cum æterna non comparandam. Τὰ ἐνταῦθα ἄνθεσιν ἔοικεν ἐαρινοῖς· ἐκεῖνα δὲ πέτραις ἀκινήτοις. Chrysostom. ad eos, qui scandal. *Bona hujus vitæ vernis floribus; illius immotis rupibus similia sunt.* Omnia, *quæ in præsenti habemus, licèt magna videantur & plurima; tamen comparatione futurorum parva & pauca sunt.* Hieron. in c. 25. Matth. ad 3. Origenis manifestus error est. Reliqua de hoc loco dicendo, repete ex D. Gerhardo de Lege Dei in explicatione IV. Præcepti.

II. De Officio Parentum.

In educatione liberorum *vitanda* est ἀστοργία, *Vos quoque Patres, ne provocetis ad iram liberos vestros*: Cur Patres alloquitur? an quia Matrum major in liberos indulgentia est? *Matres*, ait Aristoteles, φιλοτεκνότεραι, *ardentiùs amant liberos*, primò *quia laboriosiùs genuerunt*; deindè *quia suos esse* *cer-*

certiùs noverunt. l. 9. Ethic. c. 7. Matres ferè nimis amando liberos simiarum more exanimant, ut amor earum freno potiùs egere visus fuerit, quàm calcaribus. At *severi Patres juvenum filiorum non tam cogitant vota, quàm commoda.* Sidonius in Conc. l. 7. Epist. 9. Idq́ prudenter, & ad exemplum ejus, à quo omnis paternitas! Nam *suos, quos amat, Parens ille magnificus Virtutum non lenis exactor, sicut severi Patres, duriùs educat.* Seneca de Provid. cap. 1. nec putandum, justam Patrum severitatem ab Apostolo reprehendi aut blandam quorundam indulgentiam, quæ non segnes modò, sed & omninò Virtutis steriles natos facit, approbari. Modum tantùm præscribit; *μὴ παροργίζετε, ne ad iram & odium provocetis*, omnesq́; filialis amoris, qui uti flammula miro more non tam adscendit, quàm descendit, scintillas sævitiâ vestrâ extinguatis. *Sicut filiis obsequium & subjectionis merces est demonstrata; ita Parentibus moderatum jubetur imperium, ut non quasi servis, sed quasi filiis præesse noverint:* Hieronym. *Parentes ad iram provocantes liberos cogere eos videntur, ut prævaricatores inveniantur: In ira enim nemo agnoscit, quid sit utile. Meminisse debent Patres, quia & ipsi fuerunt filii, & noluerunt utiq; exacerbari à Patribus. Filii quoque cognoscere debent, quòd futuri sunt Patres, & nolunt inhonorari à suis:* Ambros. Non dixit, *diligite, id enim vel ab invitis natura exigit, sed ne irritetis, ne exhæredetis, ne abdicetis, ne gravia illis ac magis servis competentia imperetis, ne semper erga*

illos

illos difficiles sitis: Oecum. ex Chrysost. Ad unguem quadrat præceptum Plinii Junioris. *Ne filium tuum acerbiùs duriusq; tractes: Cogita & illum puerum esse, & te fuisse; atque ita hoc, quòd Pater es, utere, ut memineris & te hominem esse, & hominis Patrem.* l. 9. Epist. 12. Faciunt contra hoc Apostoli monitum Parentes *plagosi*, qui liberorum caput diris devovent, qui servilia onera imponunt, qui nunquam blando oculo intuentur, aut ore alloquuntur, qui familiæ permittunt, ut quoquo modo liberos exagitent, territent &c. vide h. l. D. Quistorp. Sic vulgò tractabant Romani Græci. Notum est *jus Patriæ potestatis*, & *Manliana Imperia*, Spartanorum μαςίγωσις ad aram Dianæ Tauricæ, Erisichthon filiam vendens, de quo jure Ambrosius de Tobia: *Vendit plerunq; & Pater liberos, authoritate generationis, sed non voce pietatis &c.* hæc & alia nemo, puto, ignorat, reprehensa meritò ab Apostolo. Hæc vitanda:

Præstanda verò 1. τροφὴ, *nutritio*, ἐκτρέφετε, ait, educate, curam corporis necessariam impendite. Nam & Lamiæ, in Hebr. *Thannin* pro *Thanninim* Dracones, serpentes vastitatis stupendæ, quales credebantur Lamiæ in desertis Africæ, *Lamia,* ait Hieron. in Thren. *faciem humanam habet, sed corpus bestiale,* nudantes mammam lactaverunt catulos suos, Thren. 4. 4. pertinet autem huc 1. ut Parentes liberis *prospiciant*, 2. Cor 12. 14. Sic Ericius in cavum suum congerit poma, monetq; intuentes se ceu gradientem uvam,

Fru-

Frugi sis, & opes tu quoq; linque tuis!

Camerar. in Emblem. 2. ut eos artem βιωφέλιμον *doceant.* Itaq; Alexis ait, *Athenienses ideò oportere laudari, quòd omnium Græcorum leges cogunt Parentes ali à liberis, Atheniensium verò non omnes, nisi eos, qui liberos artibus erudiissent.* Omnia *enim munera fortunæ cùm dantur ab ea, facilè adimuntur: disciplinæ verò conjunctæ cum animis nullo tempore deficiunt, sed permanent stabiliter ad summum exitum vitæ:* Vitruv. l. 5. Archit. præf. 3. ut vitam *defendant,* quomodo

- - Delphin, Rex Æquoreorum,
In sobolem si quos immani corpore pisces
Conspiciat ferri, sua pignora protinùs ipse
Devorat, ac pulso mox egerit illa periclo.

Nazianz. ad Patr. Nicobul. adde *conjugia* liberis à Parentibus procuranda, de quibus vide D. Gerh. de Conjug. &c. Sed de cura corporis verba meritò compendifecit Apostolus, nam & feræ catulis eam impendunt. Farraginem exemplorum affert Philostratus l. 2. Vitæ Apollonii cap. 7. *Elephanti pullos aquas transituri dentibus impositos ferunt, promuscide quasi vinculo quodam circumplexi. Ursi pro catulis omnia faciunt: Lupi etiam; fœminæ domum quasi & pignora chara defendunt, masculi prædam congerunt, & de victu solliciti sunt. Pantheræ, cùm præ caliditate matres fieri gestiunt, maribus imperitant, totamq; quasi domum regere volunt, illi propter catulos omnia sustinent. Leones etiam, quod & Homerus animadvertit, pro catulis torvè intuentur &*

vires

vires ad pugnandum colligunt. Tigris orbata suis catulis venatores usque ad naves persequitur, in litore horrendum exululat, sæpè etiam ex desiderio animam exhalat. Aquila & Ciconia nidum non extruunt, ubi gemmam pullis salutarem non imponant; illa aëtiten, hæc lychniten, ut & ova fœtum producant, & serpentes non noceant. Phoca à piscatoribus capta, cùm filium quasi in carcere enixa esset, mortuum ita luxit, ut triduò se cibo abstinuerit, belluarum voracissima. Balæna faucibus abscondit suos, ubi periculum prospicit. Quid multa? etiam viperæ visæ sunt viperulas suas lambere, quas pepererant: &c. Potior ergò sit cura Mentis, ubi debetur liberis 2. *παιδεία καὶ νουθεσία*, illa complectitur *studium Pietatis*, Bonas artes, Bonos mores; hæc accedere debet *loco stimuli*, ne obtorpescant. Ac de priore quidem bene S. Ignatius Epist. 6. ad Philippens. nam allegato hoc Apostoli loco annectit ista quasi ἐπεξηγητικῶς: *& docete eos sacras literas, & artes, ne otio se dedant.* Μηδεὶς ἐν ὑμῖν ἀργὸς ἔςω. Μητὴρ γὰρ τῆς ἐνδείας ἡ ἀργία, ait Idem ad Tarsens. *Nemo vestrûm otiosus sit! Mater enim inopiæ otium est.* Pædia continet institutionem Domesticam, Scholasticam, Paternam, Maternam, quæq; fit per Tutores, artium aut opificiorum magistros, &c. De ea pauca hæc annoto: 1. Nutriantur filii, secundùm Apostoli præceptum, *in disciplina & correptione Domini; ne permittantur impudicè aut luxuriosè vivere: cùm non lasciviæ, sed castitati, ac temperantiæ, proles*

Christiana debeat servire. Fulgent. Epist. 1. de Conjug. & Voto Contin. 2. Incipiat liberos formare cura domestica ab ipsis teneris unguiculis. Imbuat bonis omnibus ψυχὴν ἔτι νέαν τε καὶ ἁπλῆν, *animum adhuc recentem & simplicem*, ut ait Themistius Orat. 1. in Explorat. Sic enim, inquit, ὁ τύπος, *forma illa* rectè vivendi *& imprimi fortiùs, & penetrare profundiùs queat, ne in superficio tantùm adhærescat.*

Ægrè reprendas, quod sinis consuescere,

ut est apud Hieron. in Epist. ad Gaudent. Ac *frangas citiùs, quàm corrigas, quæ in pravum induruerunt.* Quintil. 1. Instit. &c. 3. Matrum quantò damnosior indulgentia est, tantò laudabilior hîc diligentia. Notum est, quantum debuerit Samuel Hannæ suæ, 1. Sam. 1. & 2. quantum Tubâ Evangelii attestante Timotheus Loidi & Eunicæ, 2. Tim. 1. ℣. 5. Aristippus cognomen indè meruit μητροδίδακτος, Themist. l. cit. Et *Gracchorum eloquentiæ Corneliam Matrem multum contulisse accepimus*, ait Quintilian. l. cit. 4. Cavenda inprimis prava sodalitia, & omnia offendicula.

Nil dictu fœdum visuve hæc limina tangat,
Intra quæ puer est. Procul hinc, procul indè puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti.

Juvenalis in aurea illa pædia Satyr. XIV. quam totam [cum Themistii Orat. Explorator inscripta, cum Plutarchi libellis de Pueror. Instit. & Amore Prolis, & ne nostrorum obliviscare, cum Hieronymi Epistolis ad Lætam de Instit. filiæ, ac ad Gau-

dentium

dentium de Pacatulæ educatione, Gregorii Naz. carminibus ad Vitalian. ut & ad Nicobulum Patrem &c. vide ejus carm. XLIX. L. LI. Alcimi Aviti ad Sororem Fuſcin.] huc referre liberet. *Fumus*, ajunt, *pulchriores perſequitur.* Itaque *Samuel nutritur in Templo. Johannes in ſolitudine præparatur*, Hieron. l. c. 5. Sed & illud maturè ſequendum conſilium eſt: *Habemus liberos parvos: incertum eſt, quàm longa noſtrûm cujusq; vita futura ſit: conſulere vivi ac proſpicere debemus, ut illorum ſolitudo & pueritia quàm firmiſſimo præſidio munita ſit*, Cicero l. 1. in Verrem circa fin. Eligamus illis vitæ formatores, moderatores juventæ, quàm optimos, qui & nobiscum, & ſi quid humanitùs nobis evenerit, ſine nobis clavum in hac gubernatione quaſi rectum teneant. Sunt enim Tutores, Pædagogi, Magiſtri, *quaſi gubernatores, qui ſolo ſecundo veritatis ſpiritu in altum provecti, clavum puerorum, aures, inquam, fortiter tenent, donec inoffenſos in portum cœlorum perduxerint*, Clemens Alex. 1. Pædag. cap. VII. Qua de re plura in Scholarcha dixi. 6. Poſt Pietatem, cujus & primum & commune ſtudium eſſe par eſt, ut ſoboles *Nihil aliud diſcat audire, nihil loqui, niſi quod ad timorem Dei pertinet*, Hieron. l. c. ad Lætam: Vulgatiſſimum præceptum eſt Dionyſii illius Catonis;

Si tibi ſint nati, nec opes, tunc artibus illos
Inſtrue, quò poſſint inopem tolerare ſenectam.

Qua in re prudenter monetur; ſemina naturæ ſequenda eſſe, ne quid ſuſcipiatur invitâ Minervâ

ac non ducente tæniâ. *Unusquisque suum ingenium noverit, & ad idse applicet, quod sibi aptum elegerit. Quò enim unumquemq; suum ducit ingenium, aut quod officium decet, id majore implet gratiâ,* Ambros. 1. Officior. cap. 44. *Omnis enim scientia & ars, quasi fundamento aut basi, Naturæ suam συντέλειαν ἐποικοδομεῖ, perfectionem superædificat,* Nicephor. Gregor. l. 1. Hist. Undè illud Proverbium apud Gregor. Nazianz. in Epist. ad Eudox. Μὴ βιάζεσθαι ῥοῦν ποταμοῦ, καὶ ἱπποσύνην δεδαῶτα, μὴ ᾄδειν, *non esse cohibendum fluminis cursum, & si quis equitare didicerit, abstinendum cantu:* ubi & de Lege Atheniensium, *quâ puberes in publicum producti, ut ex propositis omnium artium instrumentis, quæ vellent, eligerent. Quòd, quæ Naturâ Duce fiunt, bene pleraq; cadant; quæ contrà, infeliciter.* Accedat νουθεσία; Vulgatus correptionem vertit; corrigit Hieronymus in Comm. quia illa *Græcè admonitionem magis & eruditionem, quàm austeritatem sonet:* & quidem ejusmodi admonitionem, quâ alicui velut in animum ponas atque ingeras, quid facto sit opus, Hemming. in Comm. h. l. Fitq; verbo, exemplo, castigatione. *Verbo:* exhortando, increpando, instando; ut gutta cavat lapidem non vi, sed sæpè cadendo. Alioqui facilè reditur ad insitam pravitatem.

Validis quondam viribus acta
Pronum flectit virga cacumen;
Hanc si curvans dextra remisit,
Recto spectat vertice cœlum,

Boëthius

Boëthius l. 3. Metro 2. In *exemplo* vis maxima eſt. *Amat unusquisq; ſequi vitam Parentum.* Ambroſ. de Offic. l. c. Ergò *Parentis vitium, filiorum exitium,* P. Chryſologus ſerm. 111.

Si damnoſa ſenem juvat alea, ludit & hæres.

Juvenal. Præbenda ergò teneræ ætati bona exempla, mollíq; huic ceræ imago optima, expreſſa è Parentum forma, inprimenda eſt, *Proſapiam mores annuncient, & quo quis auctore in lucem venerit, ejus facta ſectetur,* Ennodius dict. 28. Mala cavenda tantò ſtudioſiùs, quantò hærent faciliús.

- Quoniam dociles imitandis

Turpibus ac pravis omnes ſumus. Juvenal. l. cit. *Proclivis eſt malorum æmulatio: & quorum virtutes aſſequi nequeas, citò imiteris vitia.* Hieron. ad Læt. l. c. Et *hinc eſt, quòd pænè omnes Parentibus ſuis filii non magis in patrimonia, quàm in vitia ſuccedunt. Priusquam in dominio ſuo habere incipiant res paternas, habent in animis ipſos Patres,* Salvian. 1. contra Avarit. Adde *præmia, & pœnas*, quibus & publica res nititur, & domeſtica. Δύο παιδεύοντα τοὺς νέους: ἥτε τῶν ἀδικούντων τιμωρία, καὶ ἡ τοῖς ἀγαθοῖς διδομένη δωρεά, ait Lycurgus in Orat. Contra Leocrat. De Præmiis Hieronymi monitum eſt: *Syllabas jungat ad præmium, & quibus illa ætas deliniri poteſt, munuſculis invitetur.* Ita Parens, ut in Rempubl. Magiſtratus, *bonorum præmiis bonos faciat,* Plin. in Panegyr. Trajani cap. 70. Ita enim fit!

Deſit corona, nulla erit victoria!

De pœnis Sacri Scriptores crebrò Proverb. 3, 12.

cap. 22. 15. cap. 23. 13. Sirac. 30. 1. &c. in quibus cavenda hinc indulgentia, illinc sævitia. *Indulgentia nervos omines & mentis & corporis frangit &c.* vide aureum Quintiliani locum 1. Instit. cap. 2. Sævitiæ modum præscribit, quòd adjecit Apostolus, ἐκτρέφετε &c. ἐν νουθεσίᾳ Κυρίου, admonendo & corripiendo *in Domino:* Modum, inquam, insinuat hoc epitheton, sed & organum ac finem: *Modum;* nam τῇ παροργίσει opponitur: absint sævitiæ argumenta & instrumenta; non te Tyrannum puta, imò ne quidem Dominum, sed Patrem, vide Proverb. 19. 19. *Jus Patriæ potestatis*, quod *apud Persas & Romanos* receptum fuit, non immeritò visum prudentibus *Tyrannicum*, docet Grotius de Jure Belli & Pacis l. 2. cap. V. Quæ apud Lacedæmonios maxima solennitas fuerit διαμαστίγωσις, non latet, Tertull. ad Martyr. Ad aram Orthiæ Dianæ nobilium adolescentum experiebantur indolem flagellis admotis. Ipsi Parentes laceros etiam & semianimes rogabant, perseverarent vulnera præbere vulneribus, Seneca de Provid. Servile hoc! itaq; & servi postea ingenuis immixti, ut queritur Themistius l c. quanquam id fortè, inquit, non ἀπὸ τρόπου: *μαστίγων γὰρ τὸ ἀγώνισμα καὶ ὁ στέφανος, nam verberum certamen & corona est.* Quò & *diræ* pertinent, sæpè non irritæ, & in Parentum serò reversæ jugulum, de quibus mox ad Siracid. *Organum* sit Verbum Κυρίου, Lex, Evangelium; hæc quasi serperastra induenda sunt primæ ætati, ut discat recto talo incedere. *Discat primò Psalterium, his se*

avocet

avocet canticis. In Proverbiis Salomonis erudiatur ad vitam. In Ecclesiaste consuescat, quæ mundi sunt, calcare &c. Hieron. ad Læt. Qui in Comm. h. l. in Episcopos illos invehitur & Presbyteros, qui filios suos *secularibus literis erudiunt*, ut *quod in corbonam virgo vel vidua obtulit, in calendariam strenam, Saturnalitiam sportulam & Minervale acceptum Mimus, Grammaticus, Orator, fortè in sordida scorta convertat &c.* Denique *finis* quoque sit ὁ Κύριος, hic scopus figendus est istis sagittis, Psalm. 27. Ad hunc Solem convertendi sunt pulli isti, ut fiant aquilæ in nubibus, Matth. 24. juxta Proverb. Sic enim aquila pullorum - *luce magistrâ*

Naturam, vires, ingeniumq́; probat,

Claudian. Præfat. Panegyr. de III. Conf. HonorI. Sic Themistius laudat Patrem, quòd, ut *pullos aquila, sic ejus indolem ipse exploraverit, sustinere an posset* τὴν αὐγὴν τῆς ἀληθείας, Orat. 2. in fin. Rheni veteres accolæ - *natos ad flumina primùm* Deferebant: sic & explorandos, an essent legitimi, & gelu ac undis durandos: undè Proverbium; Κελτικοῦ ῥήνου δικαστικώτερος, *justior Rheno Celtarum*, ejusq; epitheton, ἐλεγχεγάμος, *conjugii vindex*, apud Nonn. in Dionysiac. Meminit Lipsius ad Taciti German. Not. 62. & præter ibi citatos Julianus in Paneg. 3. ad Constant. [Elegans est illud Simocattæ Epist. 10. Hermagoræ ad Sopatrum: *Virtutis & vitiis habena auro sunt credita, animi cupiditatis eo examinantur & Celtico fluvio simile est &c.*] Christiani habent fontem vivum, eò deferant suos, ut nomina

corum ſcribantur in cœlis, & ad omnes vitæ ſecuturæ ærumnas durentur gratiâ cœleſti. *Niſi fortè exiſtimas Chriſtianorum filios, ſi baptiſma non receperint, ipſos tantùm reos eſſe peccati, & non etiam ſcelus referri ad eos, qui dare noluerint, maximè eo tempore, quo contradicere non poterant, qui accepturi erant: Sicut è regione ſalus infantium majorum lucrum eſt,* Hieron. ad Lætam. Hæc de h. l. ex infinitis, quæ dici potuiſſent, ſeligere viſum erat. Supereſt, ut calcaria admoveam Parentibus, &, quantum poſſum, cohorter, ad officium ſtrenuè ſubeundum.

I. A neceſſario: Faciant id *ſuâ* causâ; urgente ipsâ Naturâ, quâ fit, ut *Parentes, neque, ſi hæc res ex ſententia cedat, ex alia ulla re tantum voluptatis; neque ſi contrà eveniat, tantum mœroris capere poſſint*, Macrob Saturn. 1. præfat. Nota ſunt exempla quantâ aut lætitiâ perfuderit recta & felix educatio; aut triſtitiâ obruerit, prava & eventu pari, Parentes, vide Sirac. 30. 1. &c. *Nimis è natura dictum eſt, neſcio quem, filios inveniſſe tortores*, Boëthius l 3. Conſol. proſ. VII. addit; Euripidem eo caſu rectè affirmâſſe *carentem liberis infortunio eſſe felicem.* Quàm ſæpè deploranda Parentibus eſt illa Nucis arboribus querimonia?

Δυσδαίμων, ἐπ' ἐμὴν ὕβριν ἐκαρποφόρουν,

Infelix! fructus in mea probra tuli!

Certè ego, ſi nunquam peperiſſem, tutior eſſem, Ovid. Quàm ſæpè accidit illis, quod araneæ in Proverbio, apud Suidam in ἀγνοεῖ.

Aranea haud ſcit, liberos ut educet:
Namq́; educans immortua eſt chariſſimis.

Vide Prov. 10. 1. & 19. 26. Faciant & *Liberorum*; eget iſtâ diſciplinâ juventus; *Nulla*, ait Plato VII. de Legib. *puero intractabilior fera eſt.*

- *Ætas prima, ceu brutum pecus,*
Ut educetur, mentis alienæ indiget,

Æſchyli verbum eſt, vertente Grotio l. cit. Exponere Liberos - *avibus feriſq́; pabulum*; barbaricum facinus eſſe omnium ſenſus eſt: Molocho cum Ammonitis; Saturno immolare cum Carthaginienſibus, Sacrilegium eſt: at negligere eorum animos, nec ad ſalutem excolere, quid? Parricidium & pejus parricidio eſt. Verè enim Chryſoſtomus hactenus, l. 3. adv. vituper. vitæ Monaſt. *Ejusmodi Parentes parricidis ipſis immaniores eſſe: illi enim corpus ab anima ſeparant; iſti corpus & animam in æternos ignes præcipitant.* Faciant *Reipubl.* cujus plurimum intereſt, ut Liberi rectè educentur, cives olim futuri. *Quid non adultus concupiſcet, qui in purpuris repit?* Quintil. l. cit. Quid ab eo exſpectes, qui Parentum contemptum, qui Numinis ſummi deſpectum cum nutricio imbibit lacte? qui ſuperioribus recalcitrare, domeſticos naſo ſuſpendere, fratres ſororesq́; fraudibus circumvenire, de tenero meditantur ungue? Ὅϛις περὶ τὰς ἑαυτῦ ἀναγκαίους τοιαῦτα ἁμαρτήματα, τί ἄν; περίγε τὰς ἀλλοτρίους ποιήσειεν; *Qui in neceſſarios ſuos hujusmodi peccat peccata, quid ille? qualem ſe alienis exhibebit?* Lyſias Orat. XXX. contra Philon.

2. Ab honesto: Quò & præcepta, & exempla pertinent, vide Hanapum Patriarch. Hierosol. p. 77. Sabellicum l. 3. cap. 2. 3. 4. Camposulgos. l. 5. cap. 6. &c. *Hoc natura docet absq; Præceptore, ut nati curæ sint Genitoribus, ipsorum saluti diuturnitatiq; prospicientibus*, Philo de Temulent. Itaq & bruta faciunt, quod homines negligunt. Venari docent Leunculos suos Leones; fugere & saltus edere Cervulos Cervi; canere Lusciniolas Lusciniæ; colligere Formiculas Formicæ &c. *Ursa partus suos ad sui effingit similitudinem; & tu filios tuos instituere similes tui non potes?* ut ait Ambrosius l. VI. Hexaëm. c. 4. *Fertur enim informes utero partus edere, sed natos linguâ fingere, atque in speciem sui similitudinemq; formare. Non miraris in fera tam pii oris officia; cujus naturam pietas exprimit?* Idem, confer Plutarch. de Amore Prolis.

3. Ab utili; nam liberalibus doctrinis bonisq; artibus quid utilius? Pietate quid tutius, melius? Sapientiâ quid majus, præstantius?

Homo doctus in se semper divitias tenet,

ait Phædrus Fab. LXXVIII. & S. Althelmo teste in Monostich.

Omnibus est mundi melior Sapientia Gazis.

Hinc Aristippus comitibus naufragio in litus Rhodium secum ejectis, *cùm in patriam reverti voluissent, interrogarentq; eum, quidnam vellet domum renunciari, mandavit dicere: Ejusmodi possessiones & viatica liberis oportere parari, quæ etiam è nau-*

fragio

fragio unà possent enatare, vide hunc locum elegan. ter tractatum à Vitruvio præf. l. VI. de Architect.

- Nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis ingeniiq; bonis,

Ovid. 3. Trist. Eleg. VII. Hic deniq; unicus verus stabilisq; thesaurus est, quem Parentes liberis relinquere decebat. De illo verò opum sapienter Phocion; qui cùm Regis Philippi *munera magna pecuniæ repudiâsset, Legatis admonentibus Liberis suis prospiceret, quibus difficile esset, in summa paupertate, tantam paternam tueri gloriam; Si mei, inquit, similes erunt, idem hic agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem produxit: Sin dissimiles sunt futuri, nolo meis impensis illarum ali augeriq; luxuriam.* Corn. Nepos in ejus Vita.

4. A facili: *Ut enim aqua in areola digitum sequitur præcedentem; Ita ætas mollis & tenera in utramq; partem flexibilis est, & quocunq; duxeris, trahitur.* Hieron. ad Gaudent. *Nec tantùm celeriùs, sed etiam perfectiùs imbibuntur, quæ discuntur à pueris,* Vegetius l. 1. de Re Milit. cap. 4. Imitare ergò vinitores & arborum putatores, qui inutilia sarmenta primo statim vere resecant.

- Luxuriam primò fœtusq; nocentes
Detrahe; frondosas gravat indulgentia silvas,

Gratius de Venat. Imitare armentorum custodes & bulcquas,

Jam vitulos hortare, viamq; insiste domandi,
Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas,

Virgil 3. Georg.

5. A da-

5. A damnoso: *Difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchilia quis in pristinum candorem revocet? Recens testa diu & saporem retinet, & odorem, quo primùm est imbuta,* Hieron. ad Lætam. Ita *plerique se, incuriâ bellæ disciplinæ, adeò omnibus erroribus depravârunt, ac piacularibus incubuerunt, & propè exesâ mansuetudine generis sui immanè efferârunt, ut possit videri nullum animal in terris homine postremius,* Apulejus de Deo Socrat. Hinc tot strumæ & vomicæ, pestes Rerumpubl. & faces incendiariæ. Hinc pernicies certa & malè educatis, & malis educatoribus. Nec ea modò in præsens, cum tempore desinens, sed & olim nunquam finienda. *Neque enim de malis operibus filiorum, non erit, in illa terribili examinatione, Parentum negligentia judicanda: cùm & in hoc seculo propterea Heli Sacerdos à Domino reprobatus fuerit & abjectus: non quia filiis in iniquitate consensit; sed quia peccantes, mansueto quamvis sermone, monuerit, prohibere tamen competenti severitate cessavit,* Fulgent. Epist. 1.

EPITHECA,
AUREA SIRACIDÆ BULLA.
Cap. III. ℣. 1. 18.

Apostolorum Alpha & Paulus IV. Decalogi præceptum egregiè commendat; *Primum esse in promissione,* Ephes. 6. 2. Etenim tametsi obedientibus in aliis præceptis lautissimæ promissiones passim

sim in Dei Verbo propositæ reperiantur; soli tamen huic specialis quædam annexa fuit. Quod indubiè factum 1. ad accusandam *Naturæ pravitatem*, 2. ad indicandam *obedientiæ necessitatem*, 3. ad amplificandam *Parentum dignitatem*, vide Dn. D. Gerhard. de Lege Dei num. 144. Hinc & Sirach, cùm capp præcedentibus primum primæ Tabulæ præceptum explanâsset, ad primum secundæ Tabulæ progreditur, indicans post Deum proximos honores Parentibus deberi. *Sunt enim effigies & simulachra divini numinis, qui liberos ad vitam de nihilo produxerunt*, Philo de Leg. special. ad II. præcept. Ita Triptolemi Leges fuerunt in Templo Eleusinio: COLE DEUM, HONORA PARENTES, CARNIBUS ABSTINE! Ita Phocylides:

Πρῶτα Θεὸν τίμα, μετέπειτα δὲ σεῖο γονῆας,

Principiò reverere Deum, pòst deindè Parentes.

Constat autem Siraci de Officio Liberorum tractatio tribus membris, 1. *Exhortatione*, 2. *Confirmatione*, 3. *Declaratione*.

DE MEMBRO I.

Vers. I. ex Vers. Lutheri: Liebe Kinder / gehorchet mir eurem Vatter / und lebet also / auf daß es euch wol gehe.

Vulgatus integrum versiculum præmisit: *Filii Sapientiæ, Ecclesia justorum, & natio illorum obedientia & dilectio*. Qui neque in Græco, neque in

Syriaco, neq; in Arabico extat, ut obſervavit Cornel. à Lap. Et ex gloſſa cum textu coaluiſſe videtur. Habes autem hîc

I. Blandam compellationem: *Filii*; ſolet alioqui Sirach diſcipulum & Lectorem ſuum ita affari, τέκνον, mein Kind/ jure & veteri more. Nam & Doctor verè alius Pater eſt, ac plus quàm Pater, à quo eſt, ut bene ſit: & iidem olim docere ſolebant, qui genuiſſent, habitusque ex literis aliquando is honos, ut eas *priſci ſolis liberis, cognatis, amicis traderent*, Plutarch. in Quæſt. 59. Rom. Sic Salomon ergò diſcipulos compellat, ſic Dominus, ſic diſcipulus ejus chariſſimus S. Johannes, quin & aliquando S. Paulus, vide Johan. 13. 33. 1. Johan. 1. ℣. 1. &c. Gal. 4. 19. Sed hîc propriè utitur Sirach iſtâ appellatione, & alloquitur per Proſopopœiam, indutus omnium quaſi Parentum perſonam, omnes ubiq; Liberos. Monet autem ſuo exemplo, ita non rarò faciendum eſſe Parentibus, ut ſuos convocent, blandè invitent, & ad iſtum modum ad obedientiam exſuſcitent, quod & Deus præcepit, Deut. 6. 7. & Sancti Patres ſedulò exſequuti ſunt, Abraham, Gen. 18. 19. David, Pſalm. 34. 12. Tobias, cap. 4. 2. &c. *Admonitio* talis eſt *quædam quaſi diæta ægrotantis animæ; quæ ſumenda ſint, conſulit, quæ non ſint, prohibet*, ait Clemens Alex. 1. Pædag. cap. 8.

Neglectis urenda filix innaſcitur agris.

Etiamſi bonum hortulanus *aliquis pangat ſurculum, niſi ſemper tamen irrigaverit & aſſiduum rorem inſtillaverit, facilè marceſcet, & niſi palus affigatur*

gatur, mox incurvabitur & distortus fiet, vide Chrysost. hom. 9. ad Hebr. & hom. 8. de educat. Samuel. Pueritia *velut madidum gypsum* statim tractanda est; nam *celerrimè coit ac siccatur*; quanquam in eo adhuc tractabilius sit gypsum, quod se *rursus tundi & in farinam resolvi patitur*; at pueritiæ indoles aut jam nunc fingenda & acri urgenda sine fine rotâ, aut operam postea omnem luseris, vide Plin. l. 36. cap. 24. Was Hänsgen nicht lernet / das lernet Hans nimmermehr / Prov. 22. 6. Sir. 31. 10. Hærent ejusmodi Parentum monelæ liberis per omnem vitam. Αἱ ἐκ παίδων μαθήσεις συναυξάνουσαι τῇ ψυχῇ ἑνοῦνται αὐτῇ, *Doctrinæ à pueris inditæ animo, unà cum eo concrescunt, & intimè uniuntur*, Irenæi sententia est in Epist. ad Florin. apud Euseb. l. V. Hist. Eccl. cap. 20. Undè Euripideum illud in Supplicib. ℣. 914.

- - puer docendus est
Audire & effari priùs non cognita:
Tunc si quid hausit, in senectam usq; ultimam
Durat. Probè igitur educate liberos!

Sed & illud obiter repeto; blandè ut fiant ejusmodi admonitiones. Absit Orbilii plagosi, πλῆκτος ἀγήματα. Nullum vas aureum ajunt solis mallei tunsionibus effici. *Vidistis, quæso, unquam artificem ex lamina auri vel argenti solis percussionibus imaginem speciosam efformâsse?* quærit Anshelmus in similitudin. vide Coloss. 3. 21.

II. Ipsam Exhortationem: ἀκούσατε; quod & audire est & obedire; hîc tamen *audire* attento

attento animo, nam de obedientia ſequitur, *& ſic facite:* Duo ergò generalia Liberorum officia ſunt: 1. *audire:* non obmurmurare, non tergum obvertere, non naſo ſuſpendere. Audire, inquam, non vetulas Lenas, non graſſatores nocturnos, Prov. 1. 10. & 7. 1. 3. &c. Hæ Sirenes ſunt aure obturatâ præternavigandæ. Hîc aures ſepibus muniendæ ſunt & amphotidibus, Sir. 28. 28. At Pater audiendus eſt: Quia Pater ille, cujus præcepta pro Lege habenda, qui quaſi *Domi ſuæ Rex eſt*, ut ajebat ille ad Auguſtum apud Macrob. & Legislator domeſticus, divinitùs conſtitutus; audire ergò oportet *judicium*, Legem & præſcriptum Patris, ac dicere: *Pater adſum; Impera quidvis: neq; ero tibi in mora, neque latebroſè me abs tuo conſpectu occultabo*, ut ille Plautinus filius dixit in Trinum. Ita faciunt *filii Sapientiæ*, ut Vulgatus præmiſit. Qui contrà; *filii ſunt Belial*, 1. Sam. 2. 27. Alterum eſt 2. *obſequi:* Sic facite: nempè ea, quæ animis veſtris inſtillabo, altè ſinite deſcendere, ne facilè effluant, & velut regulam officii veſtri ac amuſſim habete, à qua ne latum unguem diſcedatis. Quà in re laudatiſſimum eſt Rechabitarum exemplum Jerem. 35. ℣. 2. Juventus & obliviosa eſt, facilè elabuntur ei, quæ ſemel accepit, dolio ſimilis Danaidum; & refractaria, pullus velut indomitus, ſpernere ſolet bene monita, dencken wie des Goldſchmieds Jung / non patitur ſe arctiore gyro claudi, frenos reſpuit, die Jugend läſſt ſich in kein Bockshorn treiben. Danda ergò opera, ut & obedire diſcat, & id ex dilectione;

quo

quo Siracidæ verba ex Vulgata Versione prælibata respicere possunt. Amor obedientiæ veræ mater est. *Nec durâ necessitate ibi servitur, ubi diligitur, quod jubetur,* Leonis Rom. vox est serm. IV. de Jejun. VII. Mensis. Odio habenti nihil leve, amanti nihil grave est. *Nunquam se metitur, quem stimulat charitatis imperium,* ait Ennod. l. 3. Epist. 17. superest, ut expendamus quoque exhortationi additam

III. Suasoriam rationem; *ut salvi sitis,* ex promissione Ephes. VI. 3. ubi promissa morigeris Liberis longæva prosperitas, & prospera longævitas, sed & ipsa deniq; æterna felicitas. Ergò *filii audite Patres vestros, & facite, ut vivatis vitam seculi seculorum,* ut habet Syrus h. l. vel ut Arabicus: *ô Ecclesia filiorum obedite Patribus vestris, ut hæreditetis vitam perennem!*

Abusus dicti notandus venit. Disputat Paulus de Palatio h. l. 1. *Parentes posse Liberis legem ferre, quàm necesse sit ab iis servari, si velint salvi fieri.* 2. Id *multò magis posse Laicos superiores.* Et 3. *si Genitor carnis, quantò magis Prælati Ecclesiæ.* Sic Cornel. à Lap. *Hinc,* ait, *patet, Patrem & pari modo Prælatum quemlibet posse filio & subdito præcipere sub pœna peccati, etiam mortalis.* Resp. An Parentes & Magistratus Leges ferre possint obligantes conscientiam, ex Rom. 13. ℣. 5. suo loco breviter expeditum, qua de re videndus ibid. in Comment. Pareus, & D. Gerhard. de Magist. Polit. num. 268. Adhibitis necessariis distinctionibus,

inter obligationem *Generalem & Specialem*, *Absolutam & Hypotheticam*, *Directam & Indirectam*, non negamus, vide D. Meisn. P. 3. Phil. Sobr. c. 4. Sect. 2. Quæst. 12. Prælatorum dispar ratio est. Nam aut juxta *Apostolorum* formam incedunt, sic Prælati sibi non videntur, sed Ministri, & dictum est iis: Vos autem non sic! aut juxta formam *Apostatarum*, & sic *Pilati* potiùs quàm *Prælati* sunt. Quid multa? Ut Parentum leges calcare aliquando fas est; ita multò magis istiusmodi Prælatorum. Calcare, inquam: Nam semper illud in ore Pontificiis: *Licèt sparso crine, & scissis vestibus, ubera, quibus te nutrierat, Mater ostendat; licèt in limine Pater jaceat; per calcatum perge Patrem: Siccis oculis ad vexillum crucis evola: solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem*, Hieronym. ad Heliodor. *Melius est contristare Parentes, quàm contristare Dominum Jesum: hic enim nos creavit & salvavit; illi sæpè suos amando perdiderunt. Amor Dei extinguit in animo carnalem Parentum amorem. Qui autem utrosq; amores in uno corde claudi posse putat, is seipsum decipit, &c.* Joh. Climacus gradu 3. *Sola causa, quâ non licet obedire Parentibus, Deus est. Ipse enim dicit: Qui amat Patrem aut Matrem plus quàm me, non est me dignus*, Bernhard. Epist. 111. Quæ & alia congerit Lessius in Disputat. de Statu Vitæ Elig. Quæst. IV.

DE

DE MEMBRO II.

Vers. II. Dann der HErr will den Vatter von den Kindern geehret haben/ und was eine Mutter die Kinder heisst/ will Er gehalten haben.

Argumentum confirmationis primum, à Dei Præcipientis Authoritate: Honoravit ille utrumque Parentem. 1. *Patrem* ἐδόξασε, exaltavit honore & dignitate, *glorificavit* eum *in filiis*, ait, & id variis modis. 1. *Paternitatem suam ei communicando*, Ephes. 3. 15. quâ fit, ut *Parentes quasi in naturæ mortalis & immortalis confinio sint: Mortalis propter cognationem cum hominibus & cæteris animantibus, & propter corpus corruptibile; immortalis verò, quia gignendo referunt Deum Genitorem omnium*, Philo de Decalogo p. 640. 2. *Patris nomen donando*, quod Dei proprium, quod nomen omninò honoris summi insigne est. Sic Pharao vocat Josephum Patrem Regis, *Abrech*, interprete Onkeloso, de quo Dietericus in Antiq. Bibl. P. 2. Loco 2. p. 19. Sic Aman Esther, 13. 6. Ulpianus L. ex Divi. C. Locat. Theodorus §. ult. in Auth. de Legit. &c. à Regibus & Impp. Patres dicti. 3. *Locum*, inter omnes mundi dignitates *primum, assignando*; Nam quia *Parentes post Deum vitæ authores sunt, meritò primi ante omnes bonorum nostrorum fructum perceperint*, ut docet Chrysost. hom. 21. ad Ephes. Nam

Cunctorum veluti genitor rectorq; supremus
Est Deus, immensum nutu qui temperat orbem,
Sic etiam Natis Pater est Deus!

Gregor. Naz. ad Vitalian. 4. *Honorem seriò imperando*, Lege & scriptâ & non scriptâ, cujus in transgressores severa semper exercuit judicia. Pertinet ad hunc locum *Ciconiarum Lex* apud Aristophanem in Avibus & nota Proverbio ἀντιπελαργεῖν. *Ciconia redeuntis anni jugiter nunciatrix, ejiciens tristitiam hiemis, lætitiam verni temporis introducens, magnum tradit exemplum pietatis. Nam cùm parentes pennas senio coquente laxaverint, nec ad proprios cibos quærendos idonei potuerint inveniri, plumis suis genitorum membra frigida refoventes, escis corpora lassa reficiunt: & donec in pristinum vigorem alis grandæva redierit, piâ vicissitudine juvenes reddunt, quod à parentibus parvuli acceperunt*, Cassiodor. l. 2. Var. Epist. 14. undè à P. Syro Mimo *avis Pietaticultrix* dicta est. *Putamus ad hos usus prolem cujuspiam magisterio pervenire? sufficit germini institutio naturæ*, ait Ennodius Dict. XVII. Probat exemplo *Aquilarum, quas fœtuũ ministerio pasci legamus &c. Transeo*, inquit, *multiplicibus exemplis Luporum rapacitates; jejuno ore parentibus escas deferunt, & impasta visceribus fera ad creatores suos currit ore locupleti.* Sic *Cucupham* avem ab Ægyptiis pingi, cùm *animum gratum* volunt indicare, eamq; *divinorum sceptrorum esse insigne*, prodidit Horus l. 1. Hierogl. cap. 52. Venio 2. ad Matrem: Cujus judicium ἐστερέωσεν super filios, *dans illi authoritatem*, Vatabl. & Jansen. *jus & imperium in liberos*, Paul. de Palat. Quia aliàs liberi contemptiùs habere Matres solent, cùm quia fami-

familiaritas parit contemptum, tum quia Matres plerunq; suos indulgentiùs tractant. Addunt caussam naturalem nonnulli, quòd *solus Pater generis auctor sit, Mater tantùm nutrimentum & locum præbeat infanti*, undè Lex Ægyptiorum, *quâ nullus spurius habebatur, etiamsi ex serva esset genitus*, ut ex Diodoro Siculo l. 2. annotat h. l. Octavian. de Tufo Neapolit. Denique Jure Civili liberi non sunt in potestate Matris, ex iis caussis, quas allegat P. Gregor. Tholosan. l. XLII. Syntagm. cap. 22. ex quibus neque earum in nuptiis liberorum consensum, nisi honestatis nomine, requiri disputant, refutavit Dn. D. Gerhardus de Conjugio, num. 86. Certè divina Lex Patri Matrem æquat, Exod. 20. 12. Deut. 5. 16. Matth. 15. 4. Prov. 1. 8. Exod. 21. 15. Deut. 21. 18. & 27. 16. Prov. 19. 26. & 20. 20. & 23. 22. & 30. 11. &c. Natura etiam videtur præferre. *Galenus affirmat fœtum à Matre quàm à Patre suscipere: Sicut fructus ampliùs ab ubertate soli quàm à coloni industria & labore habet*, Gregor. Tholos. lib. XI. cap. 7. cit. Certè, ut ait Ambrosius, Matri *in absolutione plus periculi, in dilatione plus tædii est*, in Psalm. 118. Octon. 14. *Utrumne ex Patris tantùm semine partus nascatur, ut Diogenes & Hippon, & Stoici scripserunt? an etiam ex Matris, quod Anaxagoræ, & Alcmæoni, nec non Parmenidi, Empedoclique, & Epicuro visum est?* ut Censorinus habet de Die Nat. cap. 5. de eo disputent Medicorum pueri. Aristotelis non constans opinio est, confer 1. de Generat. Anim. cap. 19. & 20. & 4. ibid. cap. 1.

Itaq; ille & Varro apud Lactantium ajunt, *non tantùm Maribus inesse semen, verùm etiam Fœminis, & indè plerunq; Matribus similes procreari*, de Opif. Dei cap. 12. *Quæ differens non definitè se scire Alcmæon confessus est, ratus neminem posse perspicere*, ut Censorinus addidit. Apud JCtos partus ventrem sequitur. Nec Vestalis Romæ capi poterat, cujus Mater in sordidis negotiis esset versata, Fenestella de Magist. Rom. cap. 7. & A. Gellius l. 1. cap. 17. Itaq; apud Xanthios Lyciosq; omnes, ut & apud Locros non à Patribus, sed à Matribus generis nomen liberi sortiebantur, Herodot. l. 1 Polybius l. 12. Plutarch. de Clar. Mulier. Mater enim semper certa, Pater sæpè incertus est. Hinc

Mater teneriùs liberos adamat Patre;
Quia Mater esse scit suos, Pater autumat.

Menandri sententiâ, de qua Grotius de Jure Belli ac Pac. l. 2. cap. 7. num. 8. Athenis sub Cecrope desiit mos, quo liberi materno cognomine appellari solebant, quòd Matrum suffragio vicisset Minerva Neptunum, cùm de nomine & tutela urbis contentio esset, fabellam ex Varrone recitat Augustin. l. 18. de Civ. Dei cap. 9. Ergò *Matris dicta discutere non licet, Patris monita retractare non convenit. Sit licèt mandati paterni species tristior, res tamen ipsa salutifera & vitalis*, P. Chrysolog. Ravennas serm. 55.

Vers. III. Wer seinen Vatter ehret / dessen Sünde wird GOtt nicht straffen; Vers. IV. Und wer seine Mutter ehret/der samlet einē guten Schatz.

Argu-

Argumentum II. ab obedientiæ multiplici utilitate; tum respectu Dei, obedientibus Peccata condonantis, Bona omnia accumulantis, ipsorum preces exaudientis, vitamq; prolongantis; cùm respectu Liberorum & Parentum ipsorummet, de his ordine ℣.3 & seqq. usq; ad 8.

Est igitur primum obedientiæ præmium, Peccatorum condonatio. In Græco est: *Qui timet Patrem, expiatur à peccato.* Complut. & Ambros. *veniam impetrat*, scilicet præteritorum; à futuris *continebit se*, quin *& in oratione dierum*, id est, quotidiana, quæ per dies singulos funditur, *exaudietur*, interprete Corn. à Lap. Vulgatus habet: *Qui diligit Deum*, honorando Parentes, *exorabit pro peccatis*, faciliùs flectet Deum, ut quotidianis lapsibus ignoscat, & pœnas promeritas vel mitiget vel auferat. Multa hîc dura dicta apud Interpp. ut quòd ex obedientia sacrificium faciunt ἱλαστικὸν; *nam si sacrificium, quo mactabatur caro animalis, expiabat peccatum, ut patet Levit. 4. multò magis expiabit illud obedientia filiorum, quo voluntas eorum quasi mactatur*, ait Corn. à Lap. ex Gregor. M. l.35. Moral. cap. 10. ubi ait: *meliorem esse obedientiam quàm victimas; quia per victimas aliena caro; per obedientiam verò propria voluntas mactetur*, ex 1. Sam. 15. 22. *Hinc*, ait Tuso, *David* Psalmo IV. ℣. 6. *Sacrificate sacrificium justitiæ, de medio tollendo, ait Remigius, taurum superbiæ, hœdum lasciviæ. Vertit autem Chaldæus ad rem nostram: Domate concu-*

piſcentias veſtras, & reputabitur vobis ſicut ſacrificium juſtitiæ : Ita ille. Sed neq; ulla Vet. Teſtam. ſacrificia ex opere operato expiabant peccata, ut alibi docetur: neq; ulla obedientiæ opera ſacrificia *ἱλαστικὰ* ſunt. Honos hic unius eſt ſacrificii, quod nunquam reiterabile eſt. Unius obedientia ſola & unicè unica expiat omnem omnium inobedientiam. Nos, cùm totos nos immolamus, *Soteria* tantùm ſolvimus, & *Euchariſtica* ſacrificia facimus, ac *Latreutica*. Melior ergò obedientia victimis, non quantum ad expiationis effectum; verè enim ex inſtituto Dei, ut futurorum umbræ, expiabant victimæ, non obedientia: Quia nulla eſt ante expiationem Deo accepta, nec antegreditur reconciliationem, ſed ſequitur; ſed variis de cauſis aliis: Quia victimæ per ſe ſolæ nec Deo gratæ, nec à Deo præceptæ, nec ad colendum Deum aptæ, hypocritarum denique æquè ſunt ac piorum externi actus eſſe poſſunt. Ut mirandum non ſit, ſi obedientiæ præmia ſint ampliſſima, victimarum iſtiusmodi nulla. Reliquæ rationes, quas Cornel. à Lap. affert, cur obedientes filii veniam faciliùs impetrent? tolerabiliores ſunt: 1. Quia honor Parentum Dei honor eſt, qui honorantes ſe honorat: *non enim patitur ſe ſumma illa bonitas à creatura beneficentiâ vinci.* 2. Quia, qui colunt Parentes propter Deum, Deum ipſum colentes, ex dilectione contriti reconciliationem cum Deo quærunt, & ex promiſſo inveniunt. 3. Quia pro morigeris liberis orant & intercedunt pii Parentes, iisq; veniam, præ-
miſsâ

missâ pœnitentiæ gratiâ, impetrant. Hæc & alia ille, quanquam verbis non adeò sanis. P. de Palatio in aliam omninò deflexit sententiam: *Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis Patris: ut sol oravit pro peccatis filiorum: Ita filii orent pro peccatis Parentum.* Nec displicet Tusoni, qui pietatem Æneæ affert in exemplum, quâ optione sibi factâ à Græcis, ut de rebus suis, quicquid vellet, asportaret, primò Deos Penates, deindè senem Parentem petiit. Quâ illi pietate moti omnia ei sua concesserunt, ex Ælian. 3. Var. cap. 22. Quicquid sit, & Græca ipsa exemplaria, ut ex Complut. vidimus, & Vulgatus duriusculam Siracidæ sententiam molliverunt. D. Lutherus optimè exposuit de pœnarum temporalium sive castigationum remissione, quas Deus ex gratia reconciliatis aliquando aufert, cum novæ obedientiæ ex animo student, neque enim aliud quid illis quærit.

2. Præmium est: Bonorum Thesaurizatio, liceat ita loqui: *Qui Matrem honorat,* ὡς ἀποθησαυρίζων, sic est, ut qui thesaurum colligit. Quid non facimus, ut thesauros struamus nobis aut nostris? soliti, ut cum Lucillio dicam, *mordicus petere aurum è flamma & è cœno cibum.* Quâ causâ

Impiger extremos currit mercator ad Indos.

Vis compendium scire? Cole Parentes. Optimus Parentum thesaurus est, quem liberis parare possunt, si eos faciant *thesaurum Dei*; ut ait Salvianus de Avarit. l. 1. p. 24. Optimus vicissim liberorum, si Deum timeant & colant Parentes.

Thesaurus est, beneficium datum probo
ait P. Syrus, quantò magis
Thesaurus est beneficium datum patri?
Hic est thesaurus repositus in sinu Dei, ubi furibus nullis adire licet. Reges Persarum ingentes thesauros annuatim colligebant ex Asia & Africæ parte, Talenta Euboica 14560. Aurum argentumq; liquefactum fictiles in fidelias infundebant, expletas frangebant, cum thesauris collectis, uti vellent, Herodot. l. 3. Nos quoque thesauros pietatis *in fictili isto vase* colligamus, 2. Cor. 4. 7. quibus olim isto confracto frui æternùm liceat.

Vers. V. Wer seinen Vatter ehret/ der wird auch Freude an seinen Kindern haben/ und wann er betet/ so wird er erhöret.

Sequitur Præmium 3. par ex liberis olim jucundatio. *Qui honorat Patrem, jucundabitur in filiis.* 1. donabitur semine, Jansenius h. l. *multiplicati sunt filii ejus*, Arabicus. 2. illi animo & corpore erunt valentes & sani, P. de Palat. 3. quodq; caput est, parem rependent honorem, ut Tobias junior similes vidit filios & nepotes, Tob. 14. 5. 14. At Chamus Noachi, *pejor avis, tulit* Chusum adhuc *nequiorem, mox daturum progeniem vitiosiorem*. Sic enim *mali corvi, malum ovum*. Quod tamen hîc non tam ex traduce fit naturæ, aut imitatione vitæ, quàm ex justa Dei compensatione. Ita enim *si in Parentes ingratus eris, æquilibrem tibi lancem appendet providentia, liberosq; habebis, qui*
veras

veras imagines ac simulachra paternæ malitiæ referant. Sic enim viperæ quoq; maternam sceleratissimè lacerant matricem, & nutricem ventrem disrumpunt, Simocatta Epist. 72. Verissimè igitur apud Laërtium Thales: *Quæ tu Parentibus persolveris nutricia, eadem à liberis olim exspecta:* Habet autem hæc promissio, ut similes omnes, solitam crucis exceptionem. Undè Proverbium: *Heroum filii Noxæ.* Nec semper gavisus est de Isaaco Abraham, de Jacobo Isaac, de juniore Tobia senior: sed tandem tamen verè & solido gaudio. *Non est eo ingenio hæc vita, ut cuiquam purum lætitiæ calicem porrigat bibendum; sed eo est ingenio Deus, ut post epotam tristitiam piis lætitiam bibendam largiatur*, ait P. de Palatio.

4. Est Certa precum exauditio: Piis enim & Deum timentibus patent semper Dei aures, quas impiis & sceleratis claudit justitia: Psalm. 145. 19. Prov. 28. 9.

Implent fata, viri quæ voluêre boni.

Nuspiam citiùs exaudit Deus, quàm ubi habitat. Habitat autem in pio corde. Verè enim S. Prosper in Epigramm.

Non igitur terrarum orbis, non invia Ponti
Æquora circuitu sunt obeunda vago,
Ut possit rerum dominator & author adiri,
Quem Templo in cordis Mens pia semper habet.

Vers. VI. & VII. Wer seinen Vatter ehret/ der wird desto länger leben/und wer um deß HErrn willen

willen gehorsam ist / an dem hat die Mutter einen Trost.

Habes hîc præmium 5. Vitæ prolongationem, quam speciali promissione obsignavit Deus Legislator, de qua suprà ad Ephes. VI. quæ quasi per traducem omnium insedit animis, undè trita illa:

Ἔλπιζε, τιμῶν τοὺς γονεῖς, πράξειν καλῶς,
Colens Parentes læta speres omnia,
Ἱκανῶς βιώσεις γηροβοσκῶν τοὺς γονεῖς
Senes Parentes nutriens vives diu, &c.

Ratio æquissima: Dignus est ingratus, ut perdat, quod in eo periit beneficium. *Quicunq; autem commodatam pecuniam ultrò reddiderit, sibi reponit. Non difficilè enim homo, cùm opus fuerit, quodlibet impetrat, si fœneratori suo celeri satisfactione respondit. Ille verò, quem perfidia arguit, semper creditoris sui januam clausam invenit, ac quamvis frequenter pulset & supplicet, tristis & vacuus cum increpatione recedit*, ait S. Valerian. hom. IV. de Promiss. non redd. Beneficium ergò, quod Deus per Parentes dedit liberis, æquum est, ut servent, qui grato animo rependunt; justum ut perdant, ingrati, *Viri dolosi*, rimarum pleni, Psalm. 55. 24. quales Ger & Onan, Hophni & Pinehas, Ammon & Absalom, &c. Memorabile exemplum habet Bernardinus Dom. Quadrages. serm. XVII. de adolescente suo ævo in Hispaniæ citerioris urbe, *cui nomen Sui, non procul Valentia*, propter furta & latrocinia ætatis suæ anno XVIII. ad suspendium damnato, cui jam pendenti repen-

repentè barba proruperit, mox cum omni capitis coma incanescens, ut nonagenario similis videretur, admonente quasi Numine, quod hic ipse suspēdiosus de summa vitæ suæ tot annos sibi detraxisset, quot jam in senili facie præferret. Quòd verò obedientes quoque nonnunquam citiùs ex hac vita discunt, id bene explicat Lyra in cap. 20. Exod. *Bona temporalia ordinari ad spiritualia & æterna: Ideò si quando contingat ex divina ordinatione nobis occulta, ut honorantes Parentes parùm vivant, & dehonorantes diu, totum tamen hoc ordinari à Deo ad augmentationem præmii bonorum & pœnæ malorum.* Habes exemplum Henochi Gen. 5, 24. & testimonium Sapientiæ cap. 4. ℣. 7.

Superest 6. Parentum ipsorummet oblectatio, de qua Græcè: *Qui obedit Domino*, id est, propter Dominum, colit Parentes, ut bene D. Lutherus, *Matrem recreabit*, Vulgat. *refrigerabit.* Nam ut nulla res majori cordolio esse potest Parentibus, quàm si liberos inobedientes videant præcipites ferri in omne nefas, & in ipsum deniq; æternum exitium; argumento esse potest Absalom Davidis, de quo 1. Sam. 18. & Augustin. l. 2. contra Gaudent. cap. 14. *Plus impius Absalom Patrem suum David extinctus quàm rebellis afflixit:* Sic mirificè recreat & obedientia per se ipsa, & bona ex ea spes concepta. Hi quasi educationis optatissimi fructus sunt. *Timidi Matres*, ajunt, *non flebit:* Veriùs; Pii.

Gloria namq; Patri natorum est fama decusq;.

Ut

Ut rursus natis est gloria fama Parentum,
Gregor. Naz. ad Nicob. Patrem carm. 49. Itaq;
Μακάριον ἐστιν υἱὸν εὐτακτον τρέφειν,
Felicis est probos habere liberos.

Vers. VIII. Wer den HErrn fürchtet / der ehret auch den Vatter / und dienet seinen Eltern / und hält sie vor seine Herren.

Hoc III. argumentum est & ultimum à Dei timentium proprietate. Ubi 1. effectus; 2. causa, quam arguit. Monet enim 1. *Quidnam faciendum sit?* serviendum Parentibus ὡς δεσπόταις: Quonam modo? an servili animo? absit. Non ea mens Siracidæ, quòd vel Parentes liberis abuti debeant tanquam servis, de quo jure Patriæ potestatis suprà dictum, Tyrannicum videri sapientibus, Barbaris usitatum fuisse, quanquam apud Romanos mirè laudet Dionysius Halicarn. l. 2. Antiq. Rom. cap. IV. vel quòd liberi animo servire debeant alio quàm filiali suis Parentibus, de quo Malach. 1. ℣. 6. sed quòd & propter dignitatem illos revereri & ad omnia servitia illis prompti esse teneantur, ut Isaac ligna bajulans, Gen. 22. Scitè Salvianus Epist. IV. *Osculare pedes Parentum tuorum quasi ancilla, manus quasi alumna, ora quasi filia.* Ratio: Quia jure naturæ Parentes, dignitate Domini, beneficio nutricii sunt: debetur ergò iis & amor ut Parentibus, & timor ut Dominis, & gratitudo ut Nutriciis. Sed 2. *Quinam hoc faciunt?* Qui Deum timent. *Non enim fieri potest, ut pius sit erga illum invisibilem Deum, qui erga conspicuos Parentes est impius,*

Philo

Philo de Decal. Sic S. Johannes concludit 1. Epist. c. 4. ℣. 20.

DE MEMBRO III.

Amor, ajunt, ut flamma est, adscendit, non descendit. *Ut humor de radicibus adscendit in herbam, de herba autem non revertitur ad radices, sed sursum transmittitur in semen; sic & charitas de Parentibus adscendit in liberos, de his verò non revertitur ad Parentes*, ait Chrysost. in c. 19. Matth. hom. 32. Itaq; non tam opus est monere Parentes, ut ament liberos, quàm ut modum teneant, ne simiis sint similes, quæ ex gemellis, quos pariunt, alterum, quem amant, statim complectendo necant, quem odére, vitalis est, Oppian. Cyneget. l. 2. At liberos ex adverso ad modum amoris exhortari non opus est, potiùs ad ipsum, adeò plerunq; friget. Fecit id huc usque Sirach accuratè, nunc ad *Declarationem* pergendum est: Quid præstandum sit Parentibus, cùm omni tempore, tum in senio præcipué?

I. Quid omni tempore? thesi indicatur & antithesi. Thesis est:

Vers. IX. X. XI. Ehre Vatter und Mutter mit That / mit Worten / mit Gedult: auf daß ihr Segen über dich komme. Dann deß Vatters Segen bauet den Kindern Häuser; aber der Mutter Fluch reisset sie nider.

Specta 1. Quis? Absolutè dicitur *τίμα, honora*.

nora, ſine determinatione certæ perſonæ. Itaq; ad omnes ſpectat, quicunque liberi ſunt, quicunque Parentes habent. Nec excipiendi à Lege Naturæ, quos in altiorem ſuggeſtum evexit ratio fortunæ. Vide, quomodo Joſephus, Ægypti Pro-Rex, Patrem coluerit, Gen. 46. 29. quomodo Rex Salomon Matrem, 1 Reg. 2. 19. Certè *ex hac Lege Viri illuſtres, conciones pro raſtris habentes, Senatui quidem adverſarias, plebi vero gratas & propterea valdè celebres, è ſuggeſto detracti à Patribus abducti ſunt, pœnas eorum arbitratu daturi: quos, cùm per medium forum abducerentur, nullus eorum, qui aderant, poterat eripere, non Conſul, non Tribunus Plebis, non ipſa turba, cui aſſentabantur, licèt aliam omnem poteſtatem ſuâ minorem exiſtimaret*, ait de Romanorum jure Patriæ Poteſt. Dionyſ. Halicarn. l. 2. Hiſt. cit. Qua de re memorabilis eſt Tauri Philoſophi Diſputatio apud A. Gell. l. 2. Noct. Attic. cap. 2. cujus ſumma fuit: *In publicis locis, muneribus, actionibus, Patrum jura cum Filiorum poteſtatibus collata interquieſcere paululùm & connivere: In domeſtica re atq; vita publicos honores ceſſare, naturales & genuinos exoriri.*

2. Quid? *Honora:* Verbum IV. Præcepti, ubi eſt vocabulum כַּבֵּד *Kabbed*, quod eſt augere honore, magni facere, grave pondus tribuere. In magno itaq; pretio habendi ſunt Parentes, ut *Dei ſimulachra, quibus honoratis honoratur Deus ipſe Pater omnium*, ut dixit Plato de Legib. Undè illa vulgata:

Θεοὶ

Θεοὶ μέγιστοι τοῖς φρονοῦσιν οἱ γονεῖς.
Νόμιζε σαυτῷ τοὺς γονεῖς εἶναι Θεούς.
Prudentibus magni Parentes sunt Dii,
Habe Parentes Numinis loco tuos.

3. Quomodo? ἐν ἔργῳ, obediendo, benefaciendo. *Obedientia* exigit, & ut omnia faciant, quæ non contra Deum, & ut nihil præter, nihil contra præceptum. *An ergò iis inconsultis, imò & renitentibus licet inire conjugia? intrare monasteria?* de priore vide D. Gerhard. suprà citat. de Conjug. num. 50. de posteriore facilis est responsio, si, quid Monasteria sint, explicatum fuerit. Lessius de statu vitæ eligendo, Busæus in Viridario Virtut. de Pietate erga Patent. cap. V. post Bellarm. de Monach. l. 2. cap. 36. multa pro affirmativa adferunt. Sutlivius de Monach. Morib. & Instit. cap. 27. & alii responderunt. Omnia argumenta & testimonia vel μέγα λίαν αἴτημα habent, quòd Christum sequi sit Monachorum sequi claustra an lustra? *Hîc Rhodus, hîc saltandum est:* vel manifestum absurditatem aut impietatem: Stultum esse *cum viro irreligioso tractare de sanctitate*, Ecclesiast. XXXVII. 12. Ergò Parentum ne quidem adhibendum esse consilium. *Inimici enim homini domestici ejus.* Matth. 10. 36. Mich. 7. 6. *Licet filiis Parentibus invitis matrimonium contrahere, cur non etiam religionem profiteri?* quærit Bellarm. *Denique magis*, inquit, *obediendum est Deo quàm hominibus. Deus autem consulit vitam perfectam:* Actor. 5. Matth. 19. Quid ad hæc & talia dicemus? Id ipsum, quod Dominus in hac ipsa causa; *Quare vos transgredimini mandatum Dei*

propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora Patrem & Matrem! Matth. 15. 3. Rectè interim Hieronymus: *Honora Patrem tuum, sed si te à vero Patre non separat. Tamdiu scito sanguinis copulam, quamdiu ille suum noverit creatorem,* ad Furiam de Virgin. servanda. Sed colores isti, cùm ad id, quod quæritur, applicantur, verè, quod de Rhetorum istiusmodi sententiis dixit ille, *vitrea fracta, somniorum interpretamenta* sunt. Et fateri coacti sunt, qui ad conscientiæ suæ tribunal retulerunt, se *Rhetoricatos* fuisse. De *Beneficentia* quod addidi, bene Ambrosius: *Est honor non solùm honorificentiæ, sed etiam largitatis. Pasce Patrem tuum, pasce Matrem tuam; & si paveris Matrem, adhuc non reddidisti dolores; non reddidisti cruciatus, quos pro te passa est; non reddidisti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris tuis ubera; non reddidisti famem, quam pro te illa toleravit, ne quid, quod tibi noxium esset, ederet, ne quid, quod lacti noceret, hauriret: Tibi illa jejunavit, tibi manducavit; tibi illa, quem voluit, cibum non accepit, tibi, quem noluit, cibum sumpsit; tibi vigilavit, tibi flevit, & tu illam egere pateris. O fili quantum tibi sumis judicium, si non pascas Parentem, illi debes, quod habes, cui debes, quod es,* in cap. XVIII. Lucæ. Sic ergò honorandi ἐν ἔργῳ: Sequitur ἐν λόγῳ, ut ad Deum pro iis orent; ad proximum de iis bene loquantur; ipsi humiliter & decenter cum illis conversentur. *Quia etiam in bona causa humilis esse, in quantum res sinit, filii apud Parentes debet oratio,* Salvian. Epist. 4. Tuso bene monet, esse hanc liberorum mode-

modestiam, & linguam placabilem, senibus Parentibus *pro arbore vitæ*, ex Proverb. 15. 4. *Paterna pietas etiam vultu frequenter læditur*, ait Egesipp. l. 1. Excid. Hieros. cap. 38. Itaque non sermonis modò, sed & gestuum habenda ratio est. Addit Vulgat. *& in patientia*: Vatabl. *per summam patientiam*: si difficiles, si morosi, si graves sint; si severiùs educent, acriùs increpent, inclementiùs fortè tractent. *Ut filii patientia vincat senum difficultatem; sicut Patrum patientia sustinuit filiorum parvulorum importunitatem*, Palatius h. l. Tufo bene observat, pleraq; hæc Platonem quoq; liberis præcepisse. Locus ex Dial. IV. de Legibus ex interpr. Ficini sic habet integer: *Parentibus fas est prima & maxima debita, omnium antiquissima debitorum persolvere. Putare enim quisq; debet, omnia, quæ possidet, eorum esse, qui genuerunt & educârunt, ita ut illis hæc omnia pro viribus ministrare debeat: primùm quidem externa bona, deindè etiam corporis, postremò quæ ad animum pertinent: hæc omnia velut mutuò data persolvere, & pro curis doloribusq; priscis Parentum, in senecta recentes reddens, quando maximè indigent. In verbis quin etiam per totam vitam Parentes venerari maximè decet. Levium enim volatiliumque verborum gravissimo imminet pœna. Nam omnibus præposita est Nemesis judicii angelus, hujusmodi omnium consideratrix. Oportet itaq; iratis animumq; explentibus cedere, seu verbis, seu rebus id faciant, non ignorantes, Patrem jure admodum filio valdè succensere, siquando ab eo injuriam*

ſibi fieri arbitretur, hæc ille: Tufoni hanc ſententiam Eccleſiaſtici mutuatus videtur, cùm Eccleſiaſticum Platonis hos floſculos delibâſſe verius omninò ſit, quia ab obitu Platonis usq; ad hunc ſcribentem centum integri anni effluxére.

4. Quare? calcar addat, ſperata benedictio: *ut ſuperveniat tibi benedictio*, εὐλογία, *ab hominibus*, Græcè: Vulg. *à Deo:* Græca Exemplaria Romana; *ab Eo*; ut & Syrus: *ut veniant ſuper te benedictiones ejus*. Addit Vulgat. *& benedictio illius in noviſſimo maneat*. Nempè Liberi morigeri benedicuntur, laudibus celebrantur, precibus Deo commendantur, in exemplum omnibus proponuntur ab omnibus: auferunt vota Parentum, quæ Deus ipſe ſubſignat & in ratiocinaria aut calendaria ſua refert. Benedictiones iſtæ non intra verba nuda conſiſtunt, in rem eunt, bona omnia ſecum trahunt, deniq; in mortem, in æternitatem usque hærent. Quo facit, quod ex Euripide refert Camerarius h. l.

Ὅστις δὲ τοὺς τεκόντας ἐν βίῳ σέβει,
Ὅδ' ἐστὶ καὶ ζῶν καὶ θανὼν Θεοῦ φίλος,
Quisquis Parentes ſemper in vita colit,
Vivusq; mortuusq; amicus eſt Dei.

Itaq; *Benedictio Patris* στηρίζει, *ſtabilit domos*, ut & longâ ac numeroſâ ſtirpe floreant, & divitiis, gloriâ, honoribus: at ex adverſo *Matris*, Parentum in commune, *maledictio eradicat etiam ipſa fundamenta*. Exempla innumera ſunt, ſacra, vide Gen. 9. & 27. & 49. Deut. 27. 16. Proverb. 30. 17. 2. Reg. 2. 24. &c.

24. &c. profana, de quibus Plato: *Oedipus contemptus à filiis ea illis imprecatus est, quæ exaudita effectaq; à Diis apud omnes feruntur. Amyntora quoq; Phœnici filio iratum, illi maledixisse ferunt, & Hippolyto Thesea; plurimosq; alios aliis. Quibus apertissimum factum est, à Diis preces Parentum adversùs filios exaudiri. Nihil enim imprecatione Parentis, non injuriâ, perniciosius. Nemo verò, cùm Pater aut Mater ab eo contemnitur, tunc solùm putet à Deo orationes eorum secundùm naturam exaudiri, sed etiam, cùm honorantur: ac ideò etiam, cùm lætiores bona à DIs liberis petunt, exaudiri eos similiter existimare debemus.* Et mox: *Omnes igitur non insani verentur coluntq; Parentum orationes, non ignorantes, multis profuisse, obfuisseq;*, de Legib. Dial. XI. Ecclesiastica collegit Horndorffius in IV. Præcept. *Apud nostrates celebre est exemplum Dæmoniacæ Laudemensis in Gallia, Anno 1566. & alia duo, quæ reperiuntur in vita Zenobii, Episcopi Florentini, apud Surium XXV. Maji. Omnium autem celeberrimum illud, quod Augustinus refert l. 22. de Civ. Dei cap. 8.* hæc Tufo h. l. Hactenus *de Thesi*: nunc & expendenda Antithesis:

Vers. XII. XIII. Spotte deines Vatters Gebrechen nicht; dann es ist dir keine Ehre: dann den Vatter ehren/ ist dein eigen Ehre/ und deine Mutter verachten/ ist dein eigen Schande.

Ne glorieris, μὴ δοξάζε, *ne laudem & honorem quæras, in Patris tui ignominia.* Es ist ein wüster Vogel/ der in sein eigen Nest thut. Quod Chamus

 fecit

fecit ille naso suspendens adunco Patrem ebrium, & pipulo differens. Nec hilo melior Absalom. Gen. 9. 2. Sam. 15. 4. Insani: nam ut Parentum gloria ornamento est liberis, quibus

Honestus rumor alterum est patrimonium.

P. Syrus, Proverb. 22. 1. Tob. 7. ℣. 7.

Nec præmium ullum est liberis honestius,

Quàm si probo nascantur & honesto Patre:

Quod ex Euripide citat Tufo h. l. confer Plutarch. de Pueror. Educat. post princ. Undè plerunque Sancti in S. literis à Parentibus inprimis laudantur, & seipsos commendant isto elogio Prophetæ: Ita ignominia illorum, horum est probrum & dedecus.

Gloria communis, labes communis utrisq; est,

ait Gregor. Nazianz. ad Nicobul. ubi suprà. Nota sunt Proverbia: τῦ πατρός ἐςὶ τὸ παιδίον, *Patris est filius. Sicut Mater, ita & filia ejus*, Ezech 16. 44. Sed ad finem festinat calamus: Audiendum ergò, quid præstare teneantur liberi Parentibus

II. In senio? ubi 1. *Exhortatio*, 2. *Confirmatio.* Illa sic habet;

Vers. XIV. XV. Liebes Kind / pflege deines Vatters im Alter / und betrübe ihn ja nicht / so lang er lebet; und halt ihm zu gut / ob er kindisch würde / und verachte ihn ja nicht / darum / daß du geschickter bist.

Senectus *mala ætas* dicta fuit Romanis, vide Nonium Marcell. in *mala ætas & senium.* Est enim quasi *malorum portus*, ut ait Bias apud Laërt. l. 4. Cæteris malis in cumulum accedit, quòd juniori-

bus

bus gravis, onerosa ac molesta incumbit senum cura, qua de causa *apud Coos* lex fuit, ut senes sexagenarii aconito hausto vitam finirent, ne desides & ignavi virornm fortium absumerent cibaria; *apud Sardos* fustibus interimebantur; *apud Caspios* siti fameq́;, in intimas solitudines expositi, &c. Alex. ab Alex. l. 3. c. 2. *Tibareni quos dilexerint senes, suspendunt in patibulis. Bactri canibus ad hoc ipsum nutritis objiciunt. Massageta & Derbices miserrimos putant, qui agrotatione moriantur, & Parentes, cognatos, propinquos, cùm ad senectam venerint, jugulatos devorant, rectiùs esse dicentes, ut à se potiùs, quàm à vermibus comedantur*, hæc & alia Hieronym. 2. adv. Jovinian. cap. 36. Meritò igitur extimulat liberos Sirach, ut senes parentes ne deserant, nutricia illis persolvant, malaq́; illa, quæ senectus secum fert, remediis convenientibus mitigent ac minuant. Fert autem illa

1. Corpus infirmum; *Quæ putantur senectutis mala, ista sunt: crebra infirmitates, pituita molestissima, caligantes oculi, acescentes cibi, tremens interdum manus, nudi gingivis dentes, & inter cibos cadentes. Adhac torminibus & aculeis stomachi podagraq́; & chiragra doloribus sapè torquetur: ita ut ne stylum quidem aut calamum tenere queat, ut suis pedibus non possit incedere, magnaq́; parte vita videatur esse truncata, & multis membris pramortua*, ait Hieron. ad Pammach. Itaq; morbi quasi agmine facto irrumpunt, quando - *jam felicior atas*

Terga dedit, tremuloq́; gradu venit agra senectus.

Ipsa, ajunt, *senectus per se morbus est*, & quidem incurabilis, Alexis lentè incedens, quid ageret, roganti, *pedetentim*, inquit, *morior*. Hîc tu cave, deseras inopem ætatem. Ne annos computes in digitis & articulis, ne mendicare sinas, aut in Nosocomio mori, ne *ad Deum ducas* barbaro illo more, apud Vandalos quoque olim recepto, cujus memorabile exemplum habet, nostrorum majorum tempore visitatum, Manlius in Loc. Comm. de Sacrificiis. Quid ergò? *ἀντιλάβου, suscipe, adjuva*: Cogita, Parentem esse; quantum debes Parenti? omnia. Neque enim reddes æquipollens pretium. Quicquid Seneca contradicat; *Patris beneficia vinci à filii beneficiis non possunt*, l. 3. de Benef. cap. 35. vide Sirac. 7. 30. *Non vicit Æneas Patrem, gravem senio per media hostium agmina, & per cadentis circa se urbis ruinas ferens. Non vicére Siculi juvenes* illi, sive Amphinomus & Anapius nomina fuére, ut Conon apud Photium Narrat. XLIII. sive Damon & Pythias, ut Hyginus prodidit, qui senes Parentes per medios Æthnæ ignes extulerunt flammis cadentibus, & viam facientibus,

Ipse redundantem frenavit Mulciber Æthnam,
Læderet exempli ne monumenta pii,

Claudian. in Epigramm. Addit Hyginus fab. 254. alia, ut quòd *Xantippe Myconi Patri in carcere incluso, lacte suo alimentum vitæ præstitit. Carcer deindè suo Numini dicatus, Pietatis sacellum fuit*, vide Solinum cap. VII. Non, inquam, isti vicerunt Parentes; reddiderunt debitum, quod Plato verissimè

ſimè maximum appellavit, proximum ei, quo Deo obſtringimur. Beneficia Parentum vinci fortè poſſint, ſi rem & animum rependentis examinemus; obligatio verò non poteſt tolli, nec ullum tantum beneficium eſſe filii poteſt in Patrem, ut non debeat, quod ſolverit, etiamſi ſolvat, quod debuerit. Denique uno beneficio Pater filium fecit debitorem æternum, at filius, etſi omnia fecerit, Patrem tamen nullo ſibi obligaverit nomine. Cogita adhæc, ſenem & egenum eſſe opis: quod tali negas, Chriſto negas, animæ tuæ negas, quam magno exſpolias theſauro. Veriſſimè enim Plato *Parentes ſenes quaſi theſaurum eſſe domi ſitum.*

2. Cor mœſtum; ſenes tædio vitæ capiuntur, diſplicent, quæ omnibus placent, ut Barſillai indicat, 2. Sam. 19. 35.

Ædepol ſenectus, ſi nil quicquam aliud vitI
Adportet, cùm advenerit, unicum id ſat eſt,
Quod diu vivendo multa, quæ non vult, videt,

ait Cæcilius Comicus. Deniq; *- mille querelas Adfert,* Calphurn. Eclog. V. & cum obſtipo capite incedens terram baculo ferit,

Talia rugato creditur ore loqui:
Suſcipe me genitrix, nati miſerere laborum,
Membra velis gremio feſſa fovere tuo,

Maximian. in Eleg. Taceo inſidias Diaboli; ſerpens enim ille etiam noſter inprimis *calcaneo inſidiatur*, Gen. 3. 15. Ne igitur contriſtes. *Ne adflicto addas adflictionem*, Sirac. 4. 3. Habeat ſenex Pater hoc inter alia ſolatium efficax, quòd te talem genuerit,

nuerit, in quo, moriturus ipse, sibi videatur superstes, Sirac. 30. 4. 5. - *Tunc ille senecta Sera mea requies?* Ita

Omnis in Ascanio cari stat cura Parentis.

3. Animum imbecillum: *Bis pueri senes.* Vita nostra vino similis est, cùm parùm in fundo dolii resedit, acescit.

Ut hedera serpens vires arboreas necat;
Ita me vetustas amplexu annorum necat;
Sepulchris similis nil nisi nomen retineo,

ait Laberius apud Macrob. 2. Saturn. cap. VII. Solon senectutem dixit τῦ ζῆν χειμῶνα, *vitæ hiemem,* vide Stobæi serm. Ac quamvis animo pollere dicantur senes, *callet senium in arte vivendi,* ait Serenus apud Nonium; *Omnes penè virtutes corporis mutantur in senibus; & crescente solâ sapientiâ, decrescunt cæteræ virtutes*, Hieron. ad Nepotian. Μόνος ὁ νοῦς παλαιούμενος ἀνηβᾷ, *solus animus senescens reflorescit, & tempus omnia cætera auferens senectuti adponit scientiam*, ait Plutarch. de Pueror. Educat. Tamen experientia docet tamen quoque, ut ait Sirach, deficere σύνεσιν. - *Homini nam cana senescunt Ingenia*, ut canit Prudent. Apotheos. ✠. 630. & Lucret. l. 3.

Claudicat ingenium, delirat linguaq; mensq;.
Sic Sol in occasu suo radios minùs claro & igneo splendore jaculatur: Sic declinante jam cursu exoletis cornibus Luna tenuatur; & arbor, quæ fuerat antè viridis & fertilis, arescentibus ramis fit postmodum sterili senectute deformis: & fons, qui exundantibus

priùs venis largiter profluebat, senectute deficiens vix modico sudore destillat, Cyprian. contra Demetrian. Eo in statu tu veniam da ætati, & cave, spernas aut irrideas. Cogita, quod Leo Byzantius oculorum vitium exprobranti gibboso acutè respondit: Humanum mihi convitium facis, cùm *Nemesin ipse in dorso feras*. Quâ mensurâ mensus fueris, eâdem tibi reddetur.

Tandem impellant 1. Præmium, 2. Pœna.

Præmium;

Vers. XVI. Dann der Wolthat dem Vatter erzeiget/ wird nimmermehr vergessen werden/ Vers. XVII. und wird dir Gutes geschehen/ ob du auch wol ein Sünder bist/ und dein wird gedacht werden in der Noht/ und deine Sünden werden vergehen/ wie das Eis von der Sonnen.

Eleemosyna Pátris tui non erit in oblivione: Pars est honoris debiti Parentibus benefacere. *Honor non tantùm in salutationibus & officiis deferendis, quantum in eleemosyna & munerum oblatione sentitur*, Hieronym. in cap. XV. Matth. Is honor vivet in Dei memoria. Scribet enim Deus in memoriali suo, Malach. 3. 6. & cùm Diphtheram inspiciet, memor erit, bonaq; rependet, ut solet. Proderit ista beneficentia 1. adversùs Peccata; *pro peccatis προσανοικοδομηθήσεταί σοι, iterum readificabitur tibi*: Vulgatus habet: *Pro peccato Matris restituetur tibi bonum, & in justitia ædificabitur tibi*. Vatablus: *Adversùs peccatum extruetur tibi propugnaculum.*

culum. Eôdem ſpectat, quod ſequitur: *Et ſicut in ſereno glacies, ſolventur peccata tua.* Duriter dicta, & non dubium, quin ex Rabbinicis, aut Phariſaicis Scholis, quarum opinionibus imbutum fuiſſe hunc Authorem, ſi quis nullo affectu præventus legat, intelliget. Colligunt ex iis duo Pontificii quidam, 1. Eleemoſynas & ſacrificia pro defunctis Parentibus oblata, & illis proficere ad refrigerium in flammis purgatorii, & liberis ad gratiæ & gloriæ augmẽtum. Abſurdam hanc ſententiam peperit vocabulum *Matris* à mala manu inculcatum, cùm non de peccatis Matris, ſed de peccatis filii obedientis & benefacientis ſermo ſit. *Libenter,* inquit Tufo, *eorum explicationem amplecterer, quos refert Dionyſius, nec improbat Hugo Cardinalis, qui dicunt, loqui Eccleſiaſticum de Eleemoſyna, quæ fit mortuis Parentibus, ut flammis purgatricibus liberentur, &c. attamen cauſalis illa, enim, aliò me trahit.* Tandem: *ſenſus igitur eſt; cùm in peccati locum ſuccedere deberet pœna, eaq; maxima, cùm in Parentes commiſſum ſit, vide, quanti Deus faciat hanc beneficentiam, ut ejus loco tibi reddat bonum.* Corn. à Lap. purgatorii non meminit, & dictum ſic explicat, ut per *peccata Matris, ſenilia ejus vitia à filio tolerata,* putet *intelligenda.* Nec apud Palatium aut Janſenium quicquam pro purgatorio eſt. 2. Illud: *reædificabitur,* ſic exponit Cornel. à Lap. *ex juſta quadam retributione & compenſatione fiet tibi reædificatio, & reſtauratio jacturæ per peccatum factæ:* Ratio: *Præpoſitio enim ἀνὰ notat ἀναλογίαν juſtitiæ & mercedis.* Quod

ad

ad verum hujus loci sensum ἀπροσδιόνυσον, lectoremq; non expedit, sed majoribus tricis implicat. Si juxta fidei ἀναλογίαν explicamus hæc dicta, sensus erit: Peccata similia esse *hosti publico*, qui benedictionem divinam destruat, domumq;, quam obedientibus Deus extruit Exod. I. 21. subruat & evertat. Pœnitentia vera, cujus fructus illa erga Parentes beneficentia est, ruinas instaurat, novumq; quasi ædificium, divinarum benedictionum molitur, Deut. 30. I. 2. Ezech. 18. 21. Itaq; Parentibus benefac, quà potes: nec dubita, Deum fore memorem: nam quamvis peccator sis, & subindè offendens Deum nihil nisi gravia merearis supplicia, tamen ex mera gratia sua, juxta promissionem, obedientibus & pœnitentibus factam, non mala tibi restituet, quæ meritus es, sed bona largo sinu, quæ meritus non es. Deniq; quasi *glacies* sunt peccata, rigido *gelu cordis*, cùm fides & charitas refrixére, concreta, Matth. 24. 12. iis *quasi vinculis* stant aquæ cogitationum omnium actionumq; humanarum ligatæ; ipsum cor riget, Diabolo & Mundo calcabile, radiis divinæ gratiæ etiamsi obviis non perviũ:

In silicis morem vel strata marmore terræ,

ut de glacie dixit Corippus l. 3. de Laudib. Justini. At si Sol ille justitiæ tandem pervadat, ut corde liquefacto calidæ ex oculis fluant lacrymæ, evanescunt illa *instar nivis nubisve*, Esai. 44. 22. Mich. 7. ℣. 18. Confer promissionem illam Esaiæ cap. I. ℣. 18. Demum quasi *propugnaculum* tibi erit Dei gratia & misericordia, cumq; vel præterita ingruent peccata

cum

cum exercitu pœnarum, vel futura oppugnabunt te cum copiis pravorum desideriorum, utraque repellet, atque ad istum modum miserante Deo proderit quoq; ista tibi beneficentia 2. adversùs omnia adversa: *In die tribulationis commemorabitur tui*, orietur in tenebris lux tua, Esai. 58. 10. ac glacie peccatorum tuorum solutâ atq; evanescente hiems tua ibit in ver, & nubilum in serenum, Tob. 3. ℣. 22. Psalm. 97. 11. Quòd si præmia ista excitare te nequeant, *pœnæ* tamen etiam semimortuum stimulare poterant; Etenim

Vers. XVIII. Wer seinen Vatter verlässt/ der wird geschändet/ und wer seine Mutter betrübet/ der ist verflucht vom HErrn.

Ut blasphemus est, qui deserit Patrem suum, dignus, qui vulgò lapidetur, Levit. 24. 16. Deut. 21. 21. *& maledictus est à Deo; qui exasperat Matrem suam*, Deut. 27. 16. Levit. 20. 9. Matth. 15. 4. Proverb. 20. 20. Non deerit vindex Justitia, quæ & tandem apud inferos pœnas exiget inobedientiæ ab iis,

- - - - *quicunq; Parentes*
In senio linquunt, neq; præmia digna rependunt
Pro nutricatu, vel qui parere recusant,
Aspera vel contra dixerunt verba Parentes &c.
Hos immortalis incorruptiq; columnæ
Ira Dei affiget, quam circuit undiq; flumen
Igni perpetuo manans, &c.

Sibylla l. 2. Interp. Castalione. Tantum de Siracidæ Aureola Pædia, cui lubet addere

AUCTARIUM ALIUD DE

PUERPERIS.

Ex 1. Tim. 2. 12. 15. *Docere mulieri non permitto, neque dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio: Adam enim primùm formatus eſt, deindè Heva: & Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit: Salvabitur autem per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate.*

GRaviſſimi Tres labores feruntur, *Militantiū*, Joël. 2. 6. Nahum. 2. ℣. 10. *Docentium*, Eccleſ. 1. 18. & 12. 12. *Parturientium*, quem mulier in nixibus ſuſtinet, *quando venit hora ejus*, quam Nonnus vocat βαρυώδινον Johan. 16. 21. Eum maximum eſſe Scriptura ſæpè teſtatur Eſai. 26. 17. Jerem. 4. 33. cui acerrimi comparantur alii Jerem. 30. 6. Galat. 4. 19. quiq; multis fuit peremptorius, ut Raheli, Gen. 35. 6. Uxori Phinees, 1. Sam. 4. 20. & aliis, de quibus Raviſius in Officina Auctiore l. 2. c. 73. In eo ne animum deſpondeant piæ mulieres, proponi ſolet hoc celebre dictum, in quod quæ aliquando obiter & ferè extemporaneo ſtudio annotavi, paucis conſigno: Continet illud

I. Duplex

I. Duplex Præceptum: 1. Ecclesiasticum; *Mulieri docere non permitto.* Quonam modo? cùm quasdam velit noster Apostolus esse καλοδιδασκάλους, Tit. 2. 3. Resp. de publico docendi munere sermo est. Sustinebant id olim V. Test. quædam etiam Prophetissæ, non sine Judaicæ Gentis nota. Nam *sicut reprehensio fuit populi Israël, quando in Judicum libro in manu mulieris Debboræ fecit salutem Dominus; ita & tempore vicinæ captivitatis tacentibus viris Holda mulier prophetavit*, Hieron. in Esai. 27. 12. Sic apud Ethnicos *Sibyllæ*, nonnullæq; Græcorum Philosophæ celebres fuerunt, qualis illa *Alexandrina Hypatïa*, quam Synesius Epist. 137. vocat *optimam τῶν φιλοσοφίας ὀργίων Ducem.* In primitiva illa Ecclesia quædam etiam donis Prophetiæ & aliis exornabantur, juxta vaticinium Joël. 2. 29. quales Philippi Diaconi filiæ, Priscilla, aliæq;, quarum meminit Apostolus Rom. 16. ℣. 1. 3. 12, Actor. 18. 26. &c. Itaq; cùm donis iis nonnullæ immodestiùs uterentur, in ordinem redigendæ fuére, ut, 1. Cor. 14. 34. 35. permissâ interim disciplinâ domesticâ, propter quam laudatæ Bathseba mater Salomonis, Proverb. 31. 1. Eunica & Lois, 2. Tim. 1. 15. &c. Quod observandum contra Pepuzianos, *qui mulieribus tantum dabant principatum, ut & sacerdotio honorarent*, Augustin. de Hæres. ad Quodvult D. & contra pravum illum morem, de quo conquestus olim Hieronymus: *Caveamus, ne juxta impium Porphyrium mulie-*

mulieres & matronæ sint noster senatus, quæ dominantur in Ecclesiis, & de sacerdotali gradu favor judicat fœminarum. Esai. 3. Comm. lib. 2.

2. Oeconomicum; *ne viris dominentur.* Consulere & monere non prohibet. *Sicut enim persuasione malæ conjugis damnosa nascuntur pericula; ita prudentis uxoris consilio multa proveniunt utilia*, ait Sedulius de Rectorib. Christian. cap. 5. 1. Cor. 7. 16. Itaq; magnos quoque viros non puduit aliquando fœminarum sequi consilia, ut Xerxem Artemisiæ apud Herodot. vide Alex. ab Alex. l. 4. cap. 11. Nec imperium aufert in familiam, quod Abrahamus *Saræ* suæ ipso cum nomine concessit, nam *Dominam* significat. Hinc Lex Romuli: *Mulier viro legitimè juncta fortunarum sacrorumq; socia esto: Ut enim ille domus Dominus, sic hæc Domina*, apud Dionys. Halicarn. lib. 2. Undè & mos vetus, ut Sponsa ad Sponsum introducta diceret: *Ubi tu Cajus, ego Caja*: quæ verba id significant: Ὅπου σὺ κύριος καὶ οἰκοδεσπότης, καὶ ἐγὼ κυρία καὶ οἰκοδέσποινα, *ubi tu Dominus & Paterfamiliâs, ibi ego quoque Domina & Materfamiliâs*, Plutarchus in Quæst. Rom. *Quam paritatem conjugii duobus semicirculis signârunt antiquitùs, uti dexter maritum, sinister uxorem repræsentet; qui conjugii copulâ connexi circulum absolvunt. Hinc, ni fallor, ortum est, ut antiqui prænomen Cajus, C. & Caja, literâ eâdem inversâ, sic Ↄ, notârint: quæ circulum junctæ constituunt, eodemq; mundus, conjugium, generatio & æternitas hieroglyphicè significabatur*, hæc Ste-

 phan.

phan. Pighius in annotat. ad Epitomen Probi de Nomin. Rat. Sit itaq; maritus domi suæ quasi Sol, uxor - *velut inter ignes Luna minores*, familia & liberi sint quasi sidera & stellæ, Gen. 37. 9. Non imperet uxor viro ut Dalila Simsoni, Xantippe Socrati, Omphale Herculi. *Uxori dominare!* Pittaci Mitylenæi sententia fuit. *Extemplò simulac pares esse cœperint, superiores erunt:* proindè *date frenos impotenti naturæ, indomito animali*, ait Cato apud Livium Dec. IV. l. 4. *In silentio* contineantur, discant discere &, quod necessarium discenti, tacere. *Primum Sapientiæ rudimentum meditari condiscere, loquitari dediscere*, juxta Pythagoram apud Apul. in Florid. Quod & in privata domo condocefaciendæ mulieres: nihil enim intolerabilius garrulâ uxore, &, quod ferè consequens est, rixosâ. Bene Isclarius Britannus Poëta, qui Daretis Trojam vertit carmine, non spernendo, l. 2. ✝. 555.

- - Improba, turpis,
Garrula, legitimi mores incestat amantis.

Placet elegans Julii Cæs. Scaligeri Epigramma adjicere ex Farrag.

Mulieris Idea rara.

Pauca loquens, vacuata superstitione, pudica,
Magna ex parte domi sedula, rara foris:
Non convivia, non scenas, nec templa fatigans;
Nec fugiens: nil dans, & nihil accipiens:
Non percontatrix, non vicinæ incita luxu;
Neve memor dotis, neve memor generis;

Attenta

Attenta imperii, facilè officiosa marito,
Semihilaris, patiens, sobria, munda, pia:
Non suspiratrix, non fletrix; deniq; tantùm
Ipsa sibi placeat, si placitura viro est:
Sunt gravia atq; operosa? nega bona: duriùs atq;
Majorisq; operæ, quæ volet esse mala.

II. Triplex argumentum: 1. à mulieris productione; *Adam enim primus formatus est, deindè Heva.* Non hîc fabulas inculcat Apostolus, vel illas de *Lilith,* prima Adæ conjuge, quæ, quòd de eodem ficta esset luto, de quo & ipse, parere viro recusaverit, inq; Empusam ideò mutata sit, conditâ pòst ex Adæ casta Hevâ, ut viro, tanquam membrum corporis capiti, morem gereret, de quibus Buxtorff. cap. 2. Synag. Jud. vel illas Græcorum: rerum primordio triplex fuisse genus hominum; *Masculinum, ex Sole, fœmininum, ex tellure; & ἀνδρόγυνον, sexus utriusq;, ex Luna prosatum,* de quibus Plato in Conviv. & Marf. Ficinus in Comment. pag. 263. Sed ad Historiam Creationis revocat mulieres, in qua vir prior creatus, postea *mulier,* ut ille Dei, hæc *viri* esset *imago,* 1. Cor. 11. 7. Non quasi nullo modo & ipsa imago Dei, sed quia neque *tam perfectè,* sive rationem in viro magis vigentem, sive dominium spectes, quod vir amplius habet, etiam in ipsam mulierem; neque *immediatè,* est enim *imago Dei in viro,* juxta Ambros. ibid. est *viri gloria & imago velut imaginis, quia ut alius imperat, ita viro subesse jussa est.* Theodoretus

ibid. 2. à mulieris seductione; *Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit:* Non ausus est serpens ille πανȣ̃ργ@ adoriri Adam; ubi minus judicii & sapientiæ vidit, ibi cuniculos egit ad subruendum genus humanum. Verè quidem Clemens Alexandr. 1. Pædag. cap. 4. *τὴν αὐτὴν ἀρετὴν ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς εἶναι, eandem esse viri & fœminæ virtutem:* gradum tamen aliquem superiorem viro in primæva creatione concessum fuisse, ut cui & in omnia & in ipsam uxorem imperium datum, vel indè probatur, quòd Heva à serpente potuit decipi, cùm ad primam ejus vocem articulatam exhorrescere & fugere debuisset *demissis,* ut ajunt, *manibus.* Vir ergò à serpente ipso non seductus, neque enim negatur omninò, seductum fuisse. Mulieri credidit & paruit, hinc fons omnis mali. Illa fuit *quasi scala Diabolo, per quam voluit in turrim istam fortissimam subrepere;* ut de uxore Jobi dixit Gregor. M. *Aculeus peccati facta est forma fœminea, & mortis conditio non aliundè surrexit, quàm de muliebri substantia,* Cyprian. de singul. Clericor. Adeò dominari mulieres non modò indignum, sed etiam damnosum est. Infelix Heva! ut dicam cum Alcîmo Avito l. 3. ṽ. 101:

Cur tua deceptum traxisti in vota maritum?
Nec contenta tuo deceptrix fœmina casu,
Sublimi sensum jecisti ex arce virilem?

3. à mulieris maledictione; quam tantùm insinuat Apostolus, dum contra eam consolatur, & bene-

benedictionem in Christo opponit. Triplex pœna denunciata fuit mulieri, fastidiosi *conceptus*, dolorosi *partus*, perpetui ad virum *respectus*, Genes. 3. 16. ubi Deus inter alia,

Imperium patiére viri, Dominumq́; timebis,
Quem dederam socium. Alcimus l. c. ℣. 146.

Hinc & antiquissimæ Romanorum leges, *nullam ne privatam quidem rem agere fœminas sine authore voluerunt; in manu esse Parentum, fratrum, cognatorum, virorum*, Cato apud Liv. l. c. Fuisset quidem & in statu integritatis viri in uxorem aliqua authoritas, sed non dominatus. Dominari ergò mulieres in viros & vetat natura, & obstat culpa, & pœna prohibet.

III. Multiplex solatium; Salvabitur tamen ipsa per liberorum generationem. Quomodo *PER?* an *meritoriè?* affirmant Benedict. Justinian. ut & Dionys. Carthus. apud Mehlfürer. Disp. 2. in hanc Epist. thes. 79. Estius *obiter*, ut ait, credo, quod nugari erubesceret. Bellarminus ipse rectè respondit PER positum pro IN. *Non enim*, inquit, *Apostolus significare vult, filiorum generationem esse causam salutis, sed mulierem salvam fore in statu matrimonii, si permanserit in fide*: Exempla hujus usus præpositionis διὰ vide apud D. Glassium S. Gramm. l. 3. tract. 6. p. 537. Nam quòd Generationem pro educatione positam dicunt, etsi Chrysostomo quoque arriserit, nihil est. Nec quòd Apostolus apponit; *si permanserint in fide*: de filiis accipiendum ideò, quòd verbum plurale ad

nomen mulieris singulare referri per Leges Grammaticæ non liceat. Illud enim hanc parit absurdam sententiam; nisi salventur filii, salvam non fore matrem: hoc nihil novi habet, extant in sacris profanisq; literis non rara ejus enallages numerorum exempla, vide D. Glass. l. cit. p. 398. Ergò apponit Apostolus vulneri, quod refricuerat, emplastrum. Recreat, quas maledictionis injectâ tacitâ mentione tristes fecerat. Apud Hebræos immundæ erant puerperæ. Hodierni, si qua in partu diem obierit, pœnam putant luere grandis delicti. *Apud Delios*, ne Insula Apollini sacra pollueretur, *neque nasci quenquam neque mori fas fuit*: itaque puerperæ partui vicinæ in vicinam Rheneam transvectæ, Strabo l. 10. p. 468. Plutarch. in Apopht. &c. Mitto innumeras veterum hæreticorum in conjugii ordinem, in geniture opus, & alias blasphemias, vide apud D. Gerhard. de Conjug. num. 51. & 453. *Perora jam*, ait Tertullianus, ad Marcionem, *spurcitias genitalium in utero elementorum, humoris & sanguinis; fœda coagula carnis ex eodem cœno alenda per novem menses: describe uterum de die in diem insolescentem, gravem, anxium, nexum, totum incertum libidinibus fastidii & gulæ: Invehere jam & in ipsum mulieris enitentis pudorem, vel pro periculo honorandum, vel pro natura religiosum: horres utiq; & infantem cum suis impedimentis profusum, utiq; & oblitum &c.* de Carne Christi cap. 4. Ergò generatio res adeò visa impura, ut & Deo indigna. Nec dubium est jam tum despici cœptum conju-

gium,

gium, quaſi ad vitam cœlicam contendentibus eſſet Pareméligini, de quo 1. Tim. 5. 4. ſuprá. Hinc Papiſmus, in quo erant, qui mulieres in nixibus aut partu extinctas negabant in Eccleſia ſepeliendas, *ne pavimentum pollueretur ſanguine*, apud Durand. Ration. l. 1. cap. 5. Quid ergò Apoſtolus? Beatas fore, & eſſe jam in ſpe, ſi modò permanſerint in fide Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in charitate &c. Hæ enim ſalvandorum conditiones ſunt, ut perſeverent *in fide* erga Deum, Hebr. 3. 6. 1. Pet. 1. 9. *in charitate* erga proximum, Gal. 5. 6. Jac. 2. 26. & *in ſanctificatione*, quisq; erga ſeipſum, 1. Theſſal. 4. 3. Hebr. 12. 14.

Uſus. Serviant hæc 1. Mulieribus; Facit Sp. Sanctus officium obſtetricis, Pſalm. 22. 10. & 71. 6. Varia Medici ad partum promovendum, ad dolores mitigandos, tradunt remedia, vide Wekeri Secreta l. V. pag. 177. ad abigendas ſtriges, ad arcendam Lilith, ad deterrendum Silvanum, quæ commenta fuerit ſuperſtitio Judaica aut paganica, lege apud Buxtorff. Synag. l. cit. Alex. ab Alex. l. 2. cap. 25. Animarum ille Archiater talem habet adverſùs omnia mala Panacæan, cujus quaſi ingredientia ſunt 1. Fides, quæ omnia Diaboli monſtra propulſat, 1. Johan. 5. 4. Epheſ. 6. 16. 1. Pet. 5. 9. quâ liberos ſuos piæ matres infernalis Pharaonis inſidiis eripiunt, Hebr. 11. 23. In quas ſæpè incredulæ incidunt, ut illa, quæ Hypatæ in Theſſalia veneficio *obſepto utero, & repigrato fœtu*

perpetuâ prægnatione damnata, octo annorum jam tum onere, velut Elephantum paritura, distendebatur, Apulej. 1. Metamorph. Exempla varia congessit Majolus Tom. 2. Dier. Canicul. Colloq. 3. p. 311. At quæ se Deo committunt & commendant, etiam super aspides & basiliscos tutæ incedent. Ejus Christianæ Æthiopissæ, in Regno Protejanis, apud Damian. à Goës de Morib. Æthiop. & nostræ quoque fideles gnaræ, paucis ante partitudinem diebus Sacrâ sese Eucharistiâ præmuniunt, quâ ritè perceptâ, *quasi Leones discedimus* ex S. Synaxi *ignem spirantes, formidabiles Diabolo effecti*, ait S. Basilius. 2. Charitas, erga *maritos*; ut nec in partus doloribus oderint. *Multæ enim in partus doloribus constitutæ, conjugio se renunciare dicunt*, Ambros. 3. de Virginib. Contra Apostolum, 1. Cor. 7. 10. 27. imò Deum ipsum, qui *invicem habenis Amoris adstrinxit*, Idem ibid. Matth. 19. 6. Quas ruptas ruina mox sequitur; Nam

Naufragium rerum est mulier malefida marito, apud Sedul. de Rect. Christ. Diligant etiam *partus* suos, sarcinam illam θεηλατον, ne noceant ullo pacto, Prov. 14. 1. ne abortum ullo modo procurent, vel studio, quod plusquam belluinum, vel negligentiâ &c.

Hæc neq; in Armeniis Tigres fecére latebris,
Perdere nec fœtus ausa Leæna suos.

Ovid. 2. Amor. Eleg. 14. diligant jam *natos*, & familiam omnem. *Audite Parentes & intelligite educationem liberorum magnorum causam fore præmiorum!*

miorum! exclamat h. l. Chryſoſtom. hom. 9. &c. 3. Sanctitas cum ſobrietate; vinosâ muliere fœdius nil Sol adſpicit, Sir. 26. 11. Tit. 2. 3. Clemens Alex. l. 2. Pædag. cap. 2. Vetus verbum eſt; *mulier comeſſatrix eſt & meretrix*, quo uſus Author Oper. Imperf. hom. 1. Noſtri ajunt *clavem pudoris amiſiſſe*. Hinc quoque difficiles ſæpè & monſtroſi partus. Hinc *portenta plurima morbiq; gignuntur, neque tamen ea univerſitati usque quaque inutilia. Fiunt enim intemperantiæ certa reprehenſio, excitantq; & evigilare cæteros monent, ut ſobrii accedant ad liberorum procreationem*, ait Æneſius in Theophraſto ſuo ſive de Animar. Immortal. addit Legem Hebræorum fuiſſe, *ut Pater minùs integri, atque aliqua ex parte mutilati hominis lapidibus obrueretur, quòd propter laſciviam, menſtruam uxoris purgationem non exſpectans partui vitium intuliſſet*; & Lacedæmoniorum lege *prohibitum fuiſſe prægnantibus otium &c.* Neq; ſine gravi ratione Apoſtolus ſanctificationem cum ſobrietate copulavit. Nam *ubicunque ſaturitas atque ebrietas fuerit, ibi libido dominatur. Specta ventrem & genitalia; pro qualitate vitiorum, ordo membrorum. Nunquam ego ebrioſum caſtum putabo, qui etſi vino conſopitus inierit, tamen potuit peccare per vinum, &c.* Hieron. in cap. 1. Epiſt. ad Tit. Hinc *Veneris hortator & armiger Liber*, dictus Apulejo l. 2. Metamorph. & *Ebrietas* ab Ambroſio *fomentum libidinis, incentivum inſaniæ, &c.* Accedat his omnibus 4. Pa-

quis inveniet? pretiosior margaritis merces ejus! Prov. 31. ℣. 10. Vulgat. *Mulierem fortem quis inveniet? procul & de ultimis finibus pretium ejus.* Commendat mulierem, non quamlibet, sed legitimo conjugii vinculo marito alligatam, ut ℣. 11. seq. eamq; Virtutum dote divitem, à raritate, à charitate: Nihil esse rarius, nihil pretiosius. Rem esse *pretiosissimam, cujus pretium vix æstimari, difficiliùs inveniri possit*, Corn. à Lap. ibid. apud quem S. Gregor. Nazianz. in Fun. Patris, idem vulgi Proverbio dictum indicat: *Nullam probâ uxore meliorem rem cuiquam obvenire posse, nec rursus improbâ pejorem.* Sic Salomon Prov. 18. 22. *Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum*; puta *aliquid excellenter & singulariter bonum*, Jansen. ibid. Ubi LXX. *invenit Gratias*, simul unà omnes. *Undè Homerus, teste Senecâ l. 1. de Benef. cap. 3. Charitem unam conjugio copulavit, quasi conjugio præsidentem, eamq; vocavit Pasitheam, id est, omnem Deam, quòd omnium Deorum & Dearum dona confluant in matrimonium, ubi vir bonus & uxor bona in unum conspirant*, Corn. à Lap. ibid. Neq; aliter Siracides: *Pars bona mulier bona!* cap. 26. 3. ubi Paul. de Palatio: *Mulierem bonam, sanctam, & operosam censeri inter bona, quæ maximè prædestinationem juvant.* Addit ℣. 18. Siracides: *Gratia super gratiam Mulier sancta*: q. d. *res est gratissima & acceptissima; nihil in rebus istis temporariis ei æquivalere*, Corn. à Lap. & Jansen. ibid. &c. Meritò igitur amandus est thesaurus tam pretiosus, sed ita, ut plùs

plùs ametur, qui eum donavit, Deus. Quòd si præripiat, lugere fas est; sic tamen, ut & pietas eluceat, & lucrum fides moderetur. *Mulier grata suscitat viro gloriam, cùm tenetur; atque ideò suscitat ei desiderium, cùm præmittitur*, ait Paulinus ad Pammach. Epist. 37. quam lege, summa est: *Desideremus nostros ut præmissos, sed non desperemus recipiendos.*

III. Liberis: Quod hostimentum reddant illi? Recolant animo *anxia Parentum vota, cùm gignunt: periculosos ordines, sobolem cùm producunt: cùm nutriunt, mœstos labores; & juges pœnas, cùm ferunt ægrotantes: Pejor est mortis dies, pignora cùm præcedunt. Heu me! cur tanta filii nesciunt? cur ista non sentiunt? cur vicem Parentibus reddere non desudant? & tamen Parentum pietas perseverat: Quia quicquid filiis Parentes impenderint, repensabit Parentibus Parens omnium Deus!* Chrysologus Ravenn. serm. 33. *Sed fortè respondeas: Non bene morata est mater; res seculi cupit, amat divitias, ignorat jejunium, oculos stibio linit, vult compta procedere, & nocet proposito meo, nec possum cum hujusmodi vivere. Primùm quidem, etiamsi talis est, ut causaris, majus habebis præmium, si talem non deseras. Illa te diu portavit in utero, diu aluit, & difficiliores infantiæ mores blandâ pietate sustinuit, lavit pannorum sordes, & immundo sæpè fœdata est stercore, assedit ægrotanti, & quæ pro te sua fastidia sustinuit, tua quoq; passa ad hanc perduxit ætatem, ut Chri-*

ibid. 2. à mulieris ſeductione; *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit:* Non auſus eſt ſerpens ille πανȣ͂ργ☉ adoriri Adam; ubi minus judicii & ſapientiæ vidit, ibi cuniculos egit ad ſubruendum genus humanum. Verè quidem Clemens Alexandr. 1. Pædag. cap. 4. *τὴν αὐτὴν ἀρετὴν ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς εἶναι*, *eandem eſſe viri & fœminæ virtutem:* gradum tamen aliquem ſuperiorem viro in primæva creatione conceſſum fuiſſe, ut cui & in omnia & in ipſam uxorem imperium datum, vel indè probatur, quòd Heva à ſerpente potuit decipi, cùm ad primam ejus vocem articulatam exhorreſcere & fugere debuiſſet *demiſſis*, ut ajunt, *manibus*. Vir ergò à ſerpente ipſo non ſeductus, neque enim negatur omninò, ſeductum fuiſſe. Mulieri credidit & paruit, hinc fons omnis mali. Illa fuit *quaſi ſcala Diabolo, per quam voluit in turrim iſtam fortiſſimam ſubrepere*; ut de uxore Jobi dixit Gregor. M. *Aculeus peccati facta eſt forma fœminea, & mortis conditio non aliundè ſurrexit, quàm de muliebri ſubſtantia*, Cyprian. de ſingul. Clericor. Adeò dominari mulieres non modò indignum, ſed etiam damnoſum eſt. Infelix Heva! ut dicam cum Alcimo Avito l. 3. ℣ 101:

Cur tua deceptum traxiſti in vota maritum?
Nec contenta tuo deceptrix fœmina caſu,
Sublimi ſenſum jeciſti ex arce virilem?

3. à mulieris maledictione; quam tantùm inſinuat Apoſtolus, dum contra eam conſolatur, &

bene-

benedictionem in Christo opponit. Triplex pœna denunciata fuit mulieri, fastidiosi *conceptus*, dolorosi *partus*, perpetui ad virum *respectus*, Genes. 3. 16. ubi Deus inter alia,

Imperium patiére viri, Dominumq; timebis,
Quem dederam socium. Alcimus l. c. ℣. 146.

Hinc & antiquissimæ Romanorum leges, *nullam ne privatam quidem rem agere fœminas sine authore voluerunt; in manu esse Parentum, fratrum, cognatorum, virorum*, Cato apud Liv. l. c. Fuisset quidem & in statu integritatis viri in uxorem aliqua authoritas, sed non dominatus. Dominari ergò mulieres in viros & vetat natura, & obstat culpa, & pœna prohibet.

III. Multiplex solatium; Salvabitur tamen ipsa per liberorum generationem. Quomodo *PER?* an *meritoriè?* affirmant Benedict. Justinian. ut & Dionys. Carthus. apud Mehlfürer. Disp. 2. in hanc Epist. thes. 79. Estius *obiter*, ut ait, credo, quod nugari erubesceret. Bellarminus ipse rectè respondit PER positum pro IN. *Non enim*, inquit, *Apostolus significare vult, filiorum generationem esse causam salutis, sed mulierem salvam fore in statu matrimonii, si permanserit in fide:* Exempla hujus usus præpositionis διὰ vide apud D. Glassium S. Gramm. l. 3. tract. 6. p. 537. Nam quòd Generationem pro educatione positam dicunt, etsi Chrysostomo quoque arriserit, nihil est. Nec quòd Apostolus apponit; *si permanserint in fide:* de filiis accipiendum ideò, quòd verbum plurale ad

nomen mulieris singulare referri per Leges Grammaticæ non liceat. Illud enim hanc parit absurdam sententiam; nisi salventur filii, salvam non fore matrem: hoc nihil novi habet, extant in sacris profanisq́; literis non rara ejus enallages numerorum exempla, vide D. Glass. l. cit. p. 398. Ergò apponit Apostolus vulneri, quod refricuerat, emplastrum. Recreat, quas maledictionis injectâ tacitâ mentione tristes fecerat. Apud Hebræos immundæ erant puerperæ. Hodierni, si qua in partu diem obierit, pœnam putant luere grandis delicti. *Apud Delios*, ne Insula Apollini sacra pollueretur, *neque nasci quenquam neque mori fas fuit*: itaque puerperæ partui vicinæ in vicinam Rheneam transvectæ, Strabo l. 10. p. 468. Plutarch. in Apopht. &c. Mitto innumeras veterum hæreticorum in conjugii ordinem, in geniture opus, & alias blasphemias, vide apud D. Gerhard. de Conjug. num. 51. & 453. *Perora jam*, ait Tertullianus, ad Marcionem, *spurcitias genitalium in utero elementorum, humoris & sanguinis; fœda coagula carnis ex eodem cœno alenda per novem menses: describe uterum de die in diem insolescentem, gravem, anxium, nexum, totum incertum libidinibus fastidii & gulæ: Invehere jam & in ipsum mulieris enitentis pudorem, vel pro periculo honorandum, vel pro natura religiosum: horres utiq; & infantem cum suis impedimentis profusum, utiq; & oblitum &c.* de Carne Christi cap. 4. Ergò generatio res adeò visa impura, ut & Deo indigna. Nec dubium est jam tum despici cœptum conju-

gium,

gium, quasi ad vitam cœlicam contendentibus esset remeligini, de quo 1. Tim. 5. 4. suprá. Hinc Papismus, in quo erant, qui mulieres in nixibus aut partu extinctas negabant in Ecclesia sepeliendas, *ne pavimentum pollueretur sanguine*, apud Durand. Ration. l. 1. cap. 5. Quid ergò Apostolus? Beatas fore, & esse jam in spe, si modò permanserint in fide Domini nostri Jesu Christi, & in charitate &c. Hæ enim salvandorum conditiones sunt, ut perseverent *in fide* erga Deum, Hebr. 3. 6. 1. Pet. 1. 9. *in charitate* erga proximum, Gal. 5. 6. Jac. 2. 26. & *in sanctificatione*, quisq; erga seipsum, 1. Thessal. 4. 3. Hebr. 12. 14.

Usus. Serviant hæc 1. Mulieribus; Facit Sp. Sanctus officium obstetricis, Psalm. 22. 10. & 71. 6. Varia Medici ad partum promovendum, ad dolores mitigandos, tradunt remedia, vide Wekeri Secreta l. V. pag. 177. ad abigendas striges, ad arcendam Lilith, ad deterrendum Silvanum, quæ commenta fuerit superstitio Judaica aut paganica, lege apud Buxtorff. Synag. l. cit. Alex. ab Alex. l. 2. cap. 25. Animarum ille Archiater talem habet adversùs omnia mala Panacæan, cujus quasi ingredientia sunt 1. Fides, quæ omnia Diaboli monstra propulsat, 1. Johan. 5. 4. Ephes. 6. 16. 1. Pet. 5. 9. quâ liberos suos piæ matres infernalis Pharaonis insidiis eripiunt, Hebr. 11. 23. In quas sæpè incredulæ incidunt, ut illa, quæ Hypatæ in Thessalia veneficio *obsepto utero, & repigrato fœtu*

 perpe-

perpetuâ prægnatione damnata, octo annorum jam tum onere, velut Elephantum paritura, distendebatur, Apulej. 1. Metamorph. Exempla varia congessit Majolus Tom. 2. Dier. Canicul. Colloq. 3. p. 311. At quæ se Deo committunt & commendant, etiam super aspides & basiliscos tutæ incedent. Ejus Christianæ Æthiopissæ, in Regno Protejanis, apud Damian. à Goës de Morib. Æthiop. & nostræ quoque fideles gnaræ, paucis ante partitudinem diebus Sacrâ sese Eucharistiâ præmuniunt, quâ ritè perceptâ, *quasi Leones discedimus* ex S. Synaxi *ignem spirantes, formidabiles Diabolo effecti*, ait S. Basilius. 2. Charitas, erga *maritos*; ut nec in partus doloribus oderint. *Multæ enim in partus doloribus constitutæ, conjugio se renunciare dicunt*, Ambros. 3. de Virginib. Contra Apostolum, 1. Cor. 7. 10. 27. imò Deum ipsum, qui *invicem habenis Amoris adstrinxit*, Idem ibid. Matth. 19. 6. Quas ruptas ruina mox sequitur; Nam

Naufragium rerum est mulier malefida marito,

apud Sedul. de Rect. Christ. Diligant etiam *partus* suos, sarcinam illam θεήλατον, ne noceant ullo pacto, Prov. 14. 1. ne abortum ullo modo procurent, vel studio, quod plusquam belluinum, vel negligentiâ &c.

Hæc neq; in Armeniis Tigres fecére latebris,
Perdere nec fœtus ausa Leæna suos.

Ovid. 2. Amor. Eleg. 14. diligant jam *natos*, & familiam omnem. *Audite Parentes & intelligite educationem liberorum magnorum causam fore præmiorum!*

miorum! exclamat h. l. Chrysostom. hom. 9. &c. 3. Sanctitas cum sobrietate; vinosâ muliere fœdius nil Sol adspicit, Sir. 26. 11. Tit. 2. 3. Clemens Alex. l. 2. Pædag. cap. 2. Vetus verbum est; *mulier comessatrix est & meretrix*, quo usus Author Oper. Imperf. hom. 1. Nostri ajunt *clavem pudoris amisisse.* Hinc quoque difficiles sæpè & monstrosi partus. Hinc *portenta plurima morbiq; gignuntur, neque tamen ea universitati usque quaque inutilia. Fiunt enim intemperantiæ certa reprehensio, excitantq; & evigilare cæteros monent, ut sobrii accedant ad liberorum procreationem*, ait Ænesius in Theophrasto suo sive de Animar. Immortal. addit Legem Hebræorum fuisse, *ut Pater minùs integri, atque aliqua ex parte mutilati hominis lapidibus obrueretur, quòd propter lasciviam, menstruam uxoris purgationem non exspectans partui vitium intulisset*; & Lacedæmoniorum lege *prohibitum fuisse prægnantibus otium &c.* Neq; sine gravi ratione Apostolus sanctificationem cum sobrietate copulavit. Nam *ubicunque saturitas atque ebrietas fuerit, ibi libido dominatur. Specta ventrem & genitalia; pro qualitate vitiorum, ordo membrorum. Nunquam ego ebriosum castum putabo, qui etsi vino consopitus inierit, tamen potuit peccare per vinum, &c.* Hieron. in cap. 1. Epist. ad Tit. Hinc *Veneris hortator & armiger Liber*, dictus Apulejo l. 2. Metamorph. & *Ebrietas* ab Ambrosio *fomentum libidinis, incentivum insaniæ, &c.* Accedat his omnibus 4. Pa-

tientia & perseverantia; non modò inter exquisitissimos illos dolores, sed etiam si ex lege Dei fatali mori oporteat,

Sisti quæ cunctos jubet ad vadimonia mortis.

Cogitent parturientes, ut in pauca rem contraham, *Impositam à Deo necessitatem*, pariendi cum doloribus, & tandem è vita discedendi, Gen. 3. 16. Hebr. 9. 27. Sap. 7. 6. Sir. 7. 16. Deus est, qui eas fœcundavit, Psalm. 68. 7. & 113. 9. & 127. 3. Deus, qui tempora dispensavit, Sap. 7. 2. Deus, qui dolores attemperavit, 1. Cor. 10. 13. Psalm. 68. 20. & tu Deo ausis repugnare? non submisso animo dices potiùs: Fiat voluntas Domini! 2. *Originis veritatem*; Nulla hîc Juno est Alcumenæ irata, nullæ *Pharmacides*, de quibus Pausanias in Bœotic. p. 290. Nihil hîc Diaboli potuit potestas. Justitia Dei dolorum, ô bona, causa est; Ita omnis mater esum pomi luit exitialis,

Et cùm luctato solvuntur viscera partu,
Carnis delicias immenso tormine pendit,

Alcimus ad Soror. ṽ. 201. Mich. 7. 10. 3. *Sororum universitatem*; nam nulla hîc exceptio est. Fallitur Hieronymus in cap. 4. Michææ scribens: *non inveniri in Scripturis, Sanctas mulieres, exceptâ Rahel, cum dolore peperisse.* Fugit eum memoria. Rebecca non sine dolore peperit, Gen. 25. 22. & uxor Phinees non videtur impia fuisse, 1. Sam. 4. 21. Sola sine dolore Mater fuit, quas & Virgo concepit, & *sine tormento peperit, quæ in conceptione caruit voluptate*, Cyprian. de Nativ. Christi. Quod tamen non

non tam firmiter creditur, quàm piè fortè cogitatur. 4. *Benignam Dei voluntatem*; sic filias castigat; sic in gratiam receptas probat; sic virtutes excitat & arcet à vitiis sexui isti agnatis, superbia, curiositate, levitate, &c. - *quæ crimina non sunt*

Fœmineâ tentata manu? Mantuan. Eclog. IV. ubi vide. 5. *Secuturam voluptatem*; ex partu edito, opere bene perfecto, natâ sobole &c.

- - *quod fuit durum pati,*

Meminisse dulce est, Seneca in Hercule Furente, vide Johan. 16. 21. Sin mors intervenerit, quis dubitat, sic morientes æternùm beatas esse, si modò moriantur in Christo. Hic est *Benjamin ille Filius dextræ*, quem spiritu parit, quæ cum fide *Benonium suum Filium doloris* carne, Apocal. 12. 2. & 14. 13. &c.

II. Maritis; ament illi vivas & superstites, castoq; amore compensent tot ex amore subnatos dolores. Cogitent, nullum in terris thesaurum piâ, castâ, virum amante, liberum matre fidâ & sollicitâ esse pretiosiorem. Hoc est, quod ad Proverb. 31. caput in margine annotavit D. Lutherus:

Nichts Liebers ist auf Erden/
Dann Frauen-Lieb/ wems kan werden.

Quem quasi pampinum dum Hirci quidam setigeri arrodunt, Viti Salomoniæ sine fraude appictum, quid facerent huic ipsi, si quod in sinu mussant, palàm proferre auderent? Nam quid Salomon? *Viram Virtutis*, sic loquitur suâ linguâ אשת־חיל *Æschet-Chail*, Conjugem Virtutibus præditam, *quis*

quis inveniet? pretiosior margaritis merces ejus! Prov. 31. ℣. 10. Vulgat. *Mulierem fortem quis inveniet? procul & de ultimis finibus pretium ejus.* Commendat mulierem, non quamlibet, sed legitimo conjugii vinculo marito alligatam, ut ℣. 11. seq. eamq; Virtutum dote divitem, à raritate, à charitate: Nihil esse rarius, nihil pretiosius. Rem esse *pretiosissimam, cujus pretium vix æstimari, difficilius inveniri possit*, Corn. à Lap. ibid. apud quem S. Gregor. Nazianz. in Fun. Patris, idem vulgi Proverbio dictum indicat: *Nullam probâ uxore meliorem rem cuiquam obvenire posse, nec rursus improbâ pejorem.* Sic Salomon Prov. 18. 22. *Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum*; puta *aliquid excellenter & singulariter bonum*, Jansen. ibid. Ubi LXX. *invenit Gratias*, simul unà omnes. *Undè Homerus, teste Senecâ l. 1. de Benef. cap. 3. Charitem unam conjugio copulavit, quasi conjugio præsidentem, eamq; vocavit Pasitheam, id est, omnem Deam, quòd omnium Deorum & Dearum dona confluant in matrimonium, ubi vir bonus & uxor bona in unum conspirant*, Corn. à Lap. ibid. Neq; aliter Siracides: *Pars bona mulier bona!* cap. 26. 3. ubi Paul. de Palatio: *Mulierem bonam, sanctam, & operosam censeri inter bona, quæ maximè prædestinationem juvant.* Addit ℣. 18. Siracides: *Gratia super gratiam Mulier sancta*: q. d. *res est gratissima & acceptissima; nihil in rebus istis temporariis ei æquivalere*, Corn. à Lap. & Jansen. ibid. &c. Meritò igitur amandus est thesaurus tam pretiosus, sed ita, ut plùs

plùs ametur, qui eum donavit, Deus. Quòd si præripiat, lugere fas est; sic tamen, ut & pietas eluceat, & lucrum fides moderetur. *Mulier grata suscitat viro gloriam, cùm tenetur; atque ideò suscitat ei desiderium, cùm præmittitur,* ait Paulinus ad Pammach. Epist. 37. quam lege, summa est: *Desideremus nostros ut præmissos, sed non desperemus recipiendos.*

III. Liberis: Quod hostimentum reddant illi? Recolant animo *anxia Parentum vota, cùm gignunt: periculosos ordines, sobolem cùm producunt: cùm nutriunt, mœstos labores; & juges pœnas, cùm ferunt ægrotantes: Pejor est mortis dies, pignora cùm præcedunt. Heu me! cur tanta filii nesciunt? cur ista non sentiunt? cur vicem Parentibus reddere non desudant? & tamen Parentum pietas perseverat: Quia quicquid filiis Parentes impenderint, repensabit Parentibus Parens omnium Deus!* Chrysologus Ravenn. serm. 33. *Sed fortè respondeas: Non bene morata est mater; res seculi cupit, amat divitias, ignorat jejunium, oculos stibio linit, vult compta procedere, & nocet proposito meo, nec possum cum hujusmodi vivere. Primùm quidem, etiamsi talis est, ut causaris, majus habebis præmium, si talem non deseras. Illa te diu portavit in utero, diu aluit, & difficiliores infantiæ mores blandâ pietate sustinuit, lavit pannorum sordes, & immundo sæpè fœdata est stercore, assedit ægrotanti, & quæ pro te sua fastidia sustinuit, tua quoq; passa ad hanc perduxit ætatem, ut Chri-*

Christum amares, docuit, &c. Hieron. de vitando susp. Contubern.

MEDITATIO PENULTIMA,

DE

DOMINIS ET SERVIS,

Ephes. VI. 5. 9. *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri sicut Christo; non ad oculum servientes; quasi hominibus placentes; sed ut servi Christi; facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino, & non hominibus: scientes quoniam unusquisq; quodcunq; fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, sive servus sive liber. Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas: scientes quia & illorum & vester Dominus est in cœlis & personarum acceptio non est apud eum.*

IN celeberrimo illo *Josephi somnio*, in quo ordinatissimæ Oeconomiæ Icon exhibetur, ut per Solem Patremfamiliâs Jacobum, per Lunam Matrem Nutriciam ejus Bolam; sic per stellas familiam & fratres significari extra dubium est. Sic Domus quæque Cœlum fit, Dei sedes & Regia, in qua Herus,

Herus, ut Sol, omnia collustrat; Hera, ut Luna, omnia ritè dispensat; familia, ut stellæ jussum tenet ordinem. Principatum Dei ordinatione in cœlo tenent, ut cum Festo Avieno dicam in Arat. Phænomen. ex Psalm. 136. 8. 9.

- - - Sol & Soror, ille diei
Tendat ut infusi rutilum jubar; altera noctis
Ut face flammati tenebrosos rumpat amictus.

Sol, non temporum modò terrarum, sed siderum etiam ipsorum Cœliq; rector. Plin. l. 2. cap. 6. - πανδερκὲς ἔχων αἰώνιον ὄμμα, ut ait Orpheus, *omnituentem & æternum habens oculum,*

Omnia quo videt, & per quem videt omnia tellus.

Itaque calore suo generationi; luce sensui; motu temporibus servit, facitq;, ut & omnia fiant, & vivant, & suo tempore producta vigeant. Cujus deliquio brevissimo magna fit omnium rerum immutatio. Hinc elogia: *Dux & Princeps & moderator luminum reliquorum*, à Cicerone de Somnio Scipion. *Principale Naturæ regimen & Mundi animus*, à Plinio l. cit. *Fons Lucis Cœlestis* ab Heraclito, à Physicis *Cor Cœli* apud Macrob. 1. de Somn. Scip. cap. 20. *Mundi oculus* ab Ovidio, &c. salutatur. Ægyptii μόνον οὐρανοῦ Θεὸν, *unicum Cœli Numen* dixêre, quòd *Dei invisibilis*, ut dixit Plato, *solus visibilium Imago* sit. *Sponso* denique *de thalamo suo procedenti & Centimano quasi Giganti* comparat David, Psalm. 19. de quo ut & aliis huc spectantibus egi in Theolog. Symbol. Quæ omnia ad Patrem-

fami-

familiâs transferre facillimum. *Luna*, illa *Multimammia* Mater, de qua Symbolo Theolog. XLIX. *omnium viventium Nutrix*, Hieronym. in præf. ad Epist. Ephes. Quæ mariti fratrisq; sui radiis coruscat; Quæ *mortalium corporum Author & conditrix*, Macrob. l. 1. cit. cap. XI. à qua ad nos pervenit τὸ φυτικὸν, *natura crescendi*, ut à Sole τὸ αἰσθητικὸν, *natura sentiendi*, Idem cap. 19. Itaq; *Solis annula* ab Apulejo de Deo Socrat. & *Sol alter quasi minor*, ab Aristotele dicta, l. 4. de Generat. Anim. cap. ult. *Sidus in tenebrarum remedium à natura repertum*, à Plinio l. 2. cap. 9. nunquid ad unguem bonam refert Matremfamiliâs? Sidera verò & *stellæ*, quas inter tanta varietas, múnerum, officiorum, virium; quas *ad servitutem, Gentium in usum*, deputavit Providentia, Deut. 4. 19. [Nam ut apud Statium 3. Silvat. *Servit & astrorum velox chorus*: currunt & nuspiam declinant, vigilant & nunquam deficiunt; Sirac. 43. 9.] *Noctis oculi, Solis flammulæ, Lunæ famulæ, &c.* Servorum ac ancillarum imaginem præ se ferunt, undè & in Onirocriticis, *Stellæ è Cœlo deficere visæ paupertatem divitibus, & solitudinem dicuntur præsagire*, Artemidorus lib. 2. c. 38. ubi Luna materfamiliâs, Sol herus est, cui & exorienti cedunt sidera, - *& cum Luna conditur omne*

Stellarum vulgus, fugiunt sine nomine signa,

ut cum Manilio dicam. Lepida sunt, & ad rem pertinent, illa Albini Flacci ex Disp. cum Pipino: *Quid est annus? Quadriga mundi. Quis ducit? Nox & dies, frigus & calor. Quis est auriga ejus?*

Sol

Sol & Luna. Quot habet palatia? Duodecim. Qui sunt prætores palatiorum? Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Arcitenens, Capricornus, Aquarius, Pisces. Hæc ad somnium Josephi Gen. 37. de quo & in Symb. Theol. dixi.

Nunc ad rem accedamus, de Officio 1. *Servorum*, 2. *Herorum* dicturi distinctè & paulò pluribus.

I. DE SERVIS.

Servi, inquit Apostolus, *obedite*: Servitutis varia notio est. Est quædam solo *nomine*, re verâ autem summa libertas; servire Deo, servire Justitiæ, servire Legibus, animo liberali nempè, quod plusquam regnare est. Nam reverà *solus liber est, qui solum Deum sequitur: [exclamans Sophocleum illud, nihil differens à Pythiis oraculis: Deus mj Princeps est, non ullus mortalium!] Imò, ut equidem sentio, imperium habet in terrestria, tanquam immortalis summiq; Regis Vicarius*, Philo, *quòd omnis probus liber.* Sed de ea servitute mox commodiús. Ex adverso quædam libertas dicitur, quæ fœdissima omnium servitus est, servire Carni, Mundo, Diabolo. Ab hac liberavit nos *HERILIS* Magni Patrisfamiliâs *Filius, vindictâ* suæ crucis, qui nos *ad pileum* vocavit per Evangelium, *Legem perfectam libertatis*, hæredesq; *testamento suo* scripsit ex asse omnium bonorum, ut, liberi à jugo peccati, serviamus justitiæ, Rom. 6. 16. 17. 18. cap. 7. 14. 23.

Johan. 8. 36. Col. 1. 12. 14. Esai. 62. 3. Jacob. 1. 25. Rom. 8. 15. 17. &c. Extra hanc libertatem omnes servi sunt. *Alius libidini servit, alius avaritiæ, alius ambitioni, omnes timori*, ait Seneca Epist. 47. addo, quod pejus est: omnes Diabolo. Quodq; caput est inexplicabilis miseriæ, voluntate captivâ. *Nulla enim servitus turpior est, quàm voluntaria:* Seneca ibid. Hinc Philo loc. cit. *Servitus quædam animi, quædam corporis dicitur. Corporibus dominantur homines; animis affectus & vitia.* Hîc de ea, quæ corporum est, agimus. Quæ definitur à Florentino J. C. & Justiniano Imp. *constitutio juris gentium, quâ quis dominio alieno contra naturam subjicitur*, l. libertas, § servitus, de Statib. Hom. P. l. 1. tit. V. & lib. 1. Instit. tit. 3. §. 1. de jure Person. Originem debet peccato, in cujus pœnam Chamo ingrato filio inflicta à Patre Noha, qui primus post diluvium servus fuit, *servus servorum fratribus suis*, Gen. 9. 25. - *primum indè repertum*

Servitii nomen: cuncti nam semine ab uno
Prodiimus, patremq; omnis tibi vendicat unum
Posteritas; neq; ingenuo mala crimina servum
Efficiunt; quòd si vitam pòst degat honestam,
Natales faciens sibimet, jam nobilis indè est.
Servitii cautas igitur fecisse reasus
Cernitur, & liber peccans, fit crimine servus.

Alcimus Avit. l. 4. de Diluvio, ℣. 410. Hinc naturæ illa pravitas, quâ quidam servi nascuntur, qui se regere nequeunt, de quibus Aristot. 1. Polit.

Polit. cap. 3. de quibus Homerus: *Jovem dimidium mentis servis abstulisse:* & senarius ille apud Philon. l. cit.

Es servus & rationis expers natus es.

Hinc gravis fortunæ egestas, quæ multos ad servitutem, ut asinos ad clitellas, adegit *præsepis causâ.* Sic Mariandyni Heracleotis se subjecerunt; *servitutem pacti pro necessariis vitæ subsidiis; stipulatione tamen caventes, ne extra Heracleoticam regionem vendere liceret,* Athenæus l. 6. cap. 7. Dipnosoph. de quibus plura Grotius l. 2. de Jure Belli c. 5. num. 27. Hinc vis & tyrannis: Nam ut Varronis scitum habet illud:

Naturâ humanis omnia sunt paria:
Qui pote plus, urget: pisces ut sæpè minutos
Magnu' comest; ut aves enecat accipiter.

Itaque aureâ illâ ætate, & ubi ad eam vitæ instituto propiùs acceditur, aut nulli servi, aut liberis pænè pares; ut *apud Essæos,* de quibus Philo l. cit. &c. At apud Barbaros quantò magis descivére degeneres animi à prima illa origine, tantò servitus arctior est. Hinc bella, quibus capti solenni jure gentium servi facti, de quibus Grotius l. 3. cap. 7. cit. *Apud Hebræos* servi erant vel *alienigenæ*, Levit. 25. 44. servi æterni: vel *fratres*, qui in servitutem inciderunt aut *venditione* voluntariâ, Levit. 25. 39. aut *addictione* fori, vel *Parentum*, Exod. 21. 2. 12. Deut. 15. 12. 18. quorum servitus liberalis, intra terminum anni remissionis restricta, certisq; privilegiis

aliis munita fuit, ut ibid. ll. cit. Confer Jerem. 34. 9. Sirac. 7. 23. *Apud Ægyptios* quàm dura fuerit servitus, exemplo Hebræorum doceri potest. *Apud Græcos* Lycurgus Lege latâ Dominis jus dedit servos interficiendi impunè, Plutarch. in Lycurgo, quo jure ita acerbè usi sæpè, ut *Laodice* apud Quintum Calabr. *Priami filia*, captâ Patriâ, *manus ad æthera sustollens, votum fecerit Diis immortalibus, ut terra ipsi dehisceret priùs quàm servilia ad opera manum admoveret*, l. 13. ℣. 545. fertq; eam exauditam & à terra absorptam. Denique *Dardaniæ mulieres* pueros suos, ne in hostium manum venirent, in flumen abjecerunt; *Vos*, inquiebant, *certè non servietis*. *Xanthii*, obsessi à Bruto & ad extrema redacti, *uxores, Parentes, liberos domi conclusos mactaverunt, congestisq; in acervos ignem subdiderunt, & seipsos insuper jugulârunt, mortem servituti præferentes*, hæc Philo lib. cit. Nec *apud Romanos* minùs fœda aut acerba fuit servitus. Certè *pro mortuis, pro nullis* habebantur servi, quorum miserum statum ex Seneca licet cognoscere Epist. 47. ne ad Comicos eamus, apud quos *utramque facit paginam* servilis conditionis miseria. Ad summam, *quicquid Dominus indebitè, iracundè, libens, nolens, oblitus, cogitans, sciens, nesciens circa servum fecerit, judicium, justitia, Lex est. Imperantis ira subdito jus est, & ad libitum Domini vocem non habet conditio servitutis*, Petrus Chrysolog. serm. 161. *Parrhasius* pictor Olynthium captivum emit, crudeliter torsit & exanimavit, ut ad exemplar exspirantis pin-

pingeret Prometheum ad Caucasum alligatum, Seneca Pater Controv. 34. *Vedius Pollio servos murænis invadendos objectabat, ut in visceribus earum aliquid de servorum suorum corporibus & ipse gustaret*, Tertullian. de Pallio cap. 5. alia feritatis exempla mox suo loco dabo. Quo pacto *Turcæ* hodieq; captivos & mancipia tractent, notum est, æmuli Romanæ Græcæq; Tyrannidis, & Scythicæ suæ crudelitatis non degeneres. Nam *Scythæ orbant visu servos omnes lactis gratiâ, quo in potu utuntur, idq; ita conficiunt, ut alii ossa sufflatoria, fistulis similia, genitalibus equarum indant, & ore inflent, alii interim mulgeant*. Herodoto teste l. 4. cap. 2. Commemoranda hæc servitutis priscæ mala sunt servis nostris hodiernis, qui jam non ut servi, sed ut mercenarii & ut familiares tractantur. Debent Christo Deo Regiq; nostro hanc felicitatem suam, ut omnia. Itaq; Christiani Episcopi dederunt operam, ut fideles servos suos manumitterent in Ecclesia. Quin & thesauros Ecclesiasticos in captivorum liberationem liberaliter effuderunt, imò & se ipsos impenderunt. Nota *S. Paulini pietas est*, qui se vendi passus est, ut viduæ filium redimeret, ex l. 3. Dialog. Gregorl Rom. cap. 1. Accessit altera misericordia, non inferior. Nam cùm invalescente Regno Christi innumeri greges servorum manumissi essent, quibus nihil præter libertatem erat, laboraretq; mundus tantâ multitudine inutili, *Xenodochia, Brephotrophia, Gerontocomia, Nosocomia, antea penitùs ignota, institui cœperunt*. Deniq; cùm

Lex Mahumetica omnes ſuæ religionis aſſeclas omni ſervitute exemiſſet, quâ re mirè res Turcica aucta eſt, Chriſtiani Impp. Reges & Principes ſervitutem quoque inter Chriſtianos abrogârunt, de quibus Bodinus 1. de Repub. cap. 5. pag. 60. 63. Qui & de priſcæ ſervitutis miſeriis videri poteſt. Par eſt, ut quantò tractantur liberaliùs, tantò operentur fideliùs, ac officio beneficium compenſent, 1. Tim. 6. 1. 2. Nunc licentia, ut fit, omnes deteriores reddidit, & ut omnia ordine eunt inverſo, dominantur ſervi, Domini verò tam nuper ſub tricennali bello, quàm nunc quoque ſub umbra pacis, ſervitutem paſſim ſerviunt plusquam Scythicam. Hæc de Subjecto Exhortationis Apoſtolicæ præfari opus erat, ut & occaſio ejus rectiùs intelligatur.

Ejusmodi ſervos, quibus Domini, tum non modò ut naturæ inſtinctus & recta ratio ſuaſit, utebantur, ſed & fœdiſſimis modis abutebantur, ut mori quàm ſervire ſatiùs eſſet, exhortatur ad officium faciendum Apoſtolus, atq; monet 1. *Quid?* 2. *Quibus?* 3. *Quomodo?* 4. *Quare*, deberent?

1. Quid? an ut manu factâ coëant, author eſt, & quoquomodo ſe in libertatem aſſerant? quibus artibus multi ſibi principatum regnumq; pepererunt, crevitq; inprimis religio Mahumetica, ſervis ab Homaro, Mahumetis Legato, ad pileum vocatis, ut apud Bodinum l. cit. p. 60. Ita quidem hoſtes Chriſtiani nominis Apoſtolicam de liber-

tate

tate Christiana doctrinam interpretati sunt, ansamq; his exhortationibus præbuerunt, quibus à se proditionis ac perduellionis crimen Dominicæ libertatis præcones amolirentur, Gal. 5. 13. 1. Pet. 2. 16. Col. 3. 23. 1. Tim. 6. 1. 2. 1. Cor. 7. 22. Hinc & S. Ignatius Martyr: *Servi ne ad iram provocetis Dominos, ulla in re, ne vobis ipsis malorum immedicabilium sitis authores,* Epist. 9. ad Antioch. Et alibi: *Servi obedite Dominis in Deo, ut Christi sitis liberti,* Epist. 6. ad Philadelph. Nam & Bion dixit: *οἱ ἀγαθοὶ οἰκέται ἐλεύθεροι. οἱ πονηροὶ ἐλεύθεροι, δοῦλοι πολλῶν ἐπιθυμιῶν.* Et S. Augustinus: *Bonus etsi serviat, liber est; Malus etiamsi regnet, servus est,* August. l. 4. de Civ. Dei cap. 3. Quid ergò? an ut desperatâ libertate manus sibi afferant aut voluntariâ morte se vindicent, suadent? Sic Philo lib. cit. *Quòd omnis probus sit liber*, classicum videtur canere & Judæos provocare ad eam desperationem, quæ illis ultima tandem attraxit. Eò spectat senarius ille,

Quis servus est, mortem potest qui spernere?

Eò icon Gallorum gallinaceorum, usq; ad mortem pro libertate certantium, *cujus*, ait, *certaminis etiam Ion meminit Tragicus:*

Nec jam corpore, utroque & ocello
Ictibus obtuso, ille fatiscit;
Robore sed labente gemiscit,
Et vivus servire recusat, &c.

Sic Diogenes dixit: *unam esse rationem retinendæ libertatis, haud gravatè mori: & Persarum Regi scripsit; eum Atheniensium civitatem non magis in*

servitutem redigere posse, quàm pisces, qui capti statim moriantur, Arrian. l. 3. Epicteti cap. 26. Sed absit, ut Christianis in mentem veniat, ut quicquam turpius, durius, miserius putent scelere. Quid autem isto scelere atrocius? *Si hominis depositum violare pœna infamiæ est, quantò magis violare depositum Dei? Qui hominem fugit, pœnæ est obnoxius: quamvis improbum fugerit Dominum; nos optimum omnium fugientes possumus non adstringi impietatis flagitio? Gubernatorem, si commissam sibi navem saxo illidat, persequimur: nos commissum nobis nostri corporis gubernaculum ferro extinguimus & voluntario naufragio addicimus?* hæc & alia fortiter Josephus l. 3. Excid. Hierosol. cap. 27. apud Egesipp. undè & illa ejusdem apud Petrum Apollonium Collatium veterem Poëtam l. 2. Excidii:

An si commoto jactetur navita ponto,
Et certent tumidi puppem discerpere venti,
In mare descendat præceps, clavumq; relinquat?
Quin potiùs, ducat quò sorsq; Deusq; sequatur?
Ponere non vitam, sed rectè tradere laus est, &c.

Neque *ad quietem hoc iter est, & dulcis quædam ad securitatem via*; Ita delirabant stultæ sapientiæ professores, ut apud Quintilian. Declam. 377. Nos meliora edocti sumus: Scimus non patere talibus fores æternæ Quietis. - *Nec tartara quenquam*
Acriùs excipiunt, quàm qui sibi fata recidit,
ait Josephus apud eund. Collatium, quem in VII. post Christum centenario collocavit Margarinus in Biblioth. PP. Quid tandem? an fugam consulit?

lit? de qua an licita ſit? vide Grotium de Jure Belli cap. 7. lib. 3. Nihil iſtiusmodi. *Obedite*, inquit: uno verbo complexus, *Amorem*, *Honorem*, *Timorem*. Cogitent illud Plautini ſervuli in Menæchm. act. 2. ſcen. 3.

Ego inſcitus, qui me hero poſtulem moderarier,
Dicto me emit audientem, haut imperatorem ſibi.

2. Quibus? *Dominis* κατὰ σάρκα: Qui προσδιορισμὸς & *informationis* vim habet; omnibus ex æquo ſerviendum eſſe, cùm æquo jure Domini ſint, quibus carnem & externum hunc hominem divina addixerit diſpoſitio, non mites modò, ſed & σκολιοὶ, 1. Pet. 2. ℣. 18. & *refutationis*; ne quis excipiat illud Domini:

Nemo poteſt Dominis pariter ſervire duobus.

Matth. 6. 24. Nam qui tantùm κατὰ σάρκα Domini, ſubordinati ſunt Magno illi & omnipotenti Hero, ſub cujus ditione & corpora ſunt & animæ, Matth. 10. 28. & *conſolationis*; Dominium enim *iſtud juxta carnem temporale eſt & breve. Nam quicquid carnale eſt, caducum eſt*, ait hoc loco Chryſoſtom. Adhæc potiſſimâ tui parte liber eſſe potes, qui ſolâ carne ſervis. *Corpora obnoxia ſunt & adſcripta Dominis, mens autem ſui juris eſt*, Seneca l. 3. de Beneſ. cap. 20. Denique etiam *dehortationis*; ne plus tribuatur Dominis, quàm oportet, quibus ut carne ſerviendum eſt, ita Spiritus ac Conſcientia ſervanda Deo. Plura mox.

3. Quomodo? 1. Cum timore & tre-

more: Quo id pacto? cùm hominum metus prohibitus sit? Esai. 51. 12. 1. Pet. 3. 14. Matth. 10. 28. Sic quærit h. l. Hieronymus, Respondet 1. hæc præcipi *servis non perfectis, sed his, qui fidei principia habebant: 2. iis, qui adhuc habebant spiritum servitutis: 3.* Timorem positum *pro reverentia:* Quod etsi repudiet, quia additus timori sit *tremor, qui non sonet reverentiam*; tamen ex collatione locorum Scripturæ verè huic loco congruit, vide Dan. 5. 19. & 6. 26. Psalm. 2. 11. 1. Cor. 2. 3. 2. Cor. 7. 15. Philipp. 2. ℣. 12. Quibus locis ista vocabula humilem animi demissionem ex reverentia & metu offensæ ac stimulo conscientiæ ortam significant. Fallitur, qui h. l. annotavit *servos non modò Dominos timere, sed & ad illorum imperia tremere debere. Non enim aliud exigit Apostolus quàm sollicitam & liberalem servitutem,* ait Estius contra Cornel. à Lap. Sic enim καὶ ἐλεύθεροι ἐλευθέροις μετὰ πολλοῦ φόβου καὶ τρόμου ἐδούλευον, *etiam liberi liberis cum timore & tremore non rarò serviunt,* Chrysostom. h. l. hom. 22. Itaq; hæc servitutis conditio servili superbiæ, contumaciæq; opponitur, quâ Dominos contemnunt, iis oblatrant, eorumq; imperia pedibus trahunt, ut apud nostrum Apostolum τὸ φοβεῖσθαι opponitur τῷ ὑψηλοφρονεῖν, Rom. 11. 20. quo morbo servili nihil frequentius est, nihil pestilentius. Undè Euripides apud Stobæum;

Sapiente servo sapere plusquam convenit,
Nullum est onus gravius, nec ulla in ædibus
Possessio pejor minusq; commoda.

Talis

Talis famula fuit Hagar responsatrix: sed ad exemplar Apostoli, centurionis familia Capernaitica, Matth. 8. 9. Deindè 2. cum simplicitate, quæ contrariatur τῇ ὀφθαλμοδουλείᾳ καὶ ἀνθρωπαρεσκείᾳ, quâ, ad conciliandam herorum gratiam, servi officium faciunt, dum in eorum conspectu sunt, aut ubi deprehendi metuunt, clam non modò oderunt, sed & famæ fortunisq; insidiantur. Undè Proverbia: *Quot servi, tot hostes*, apud Senecam Epist. 47. *Quot servi, tot fures, &c. Crede mihi, plures Dominos servi comedére quàm canes. Quod si Actæon occupâsset, & priùs suos canes comedisset, non nugas saltatoribus in theatro faceret*, Varronis sententia est. Sanè *à canibus perniciosis, unum Actæonem ajunt perditum, & his quidem in rabiem actis; à perniciosis verò hominibus dici non potest, quot perierint, & plebeji & Reges totæq; civitates; hi quidem à servis, illi autem à militibus, & satellitibus, alii ab amicis quibusdam nominetenus amicis, alii à filiis, fratribusq; & uxoribus*, ut ait Dio Prusæus Orat. X. Qui eâdem oratione Dominos, quibus multi servi ejus commatis sunt, *vermibus* comparat, *julis dictis, qui quamvis plurimos pedes habeant, tardissimi tamen sunt inter reptilia.* Tales *flagritribæ hac habent consilia,*

- ubi data occasio est: rape, clepe, tene, harpaga,
Bibe, es, fuge: hoc est eorum opus:
Ut mavelis lupos apud oves linquere, quàm hos
domi custodes.

Plaut. in Pseudolo act. 1, scen. 2. At

Qui

Qui hero ſuo ſervire vult bene ſervus ſervitutem,
Næ adepol illum multa in pectore ſuo collocare oportet,
Quæ hero placere ſentiat, præſenti atque abſenti ſuo.

Idem in Perſa act. 1. ſcen. 1. Simplex animus cum ſtudio ſatagit rerum Domini ſui, & quod ſimplicitatis Chriſtianæ propriè eſt, non curat, an adſpiciatur à Domino, cùm ſciat ubiq; ſe ſpectari à Chriſto, cui uni placere laborat, cui doloſi, exoſi. Hinc jam 3. cum pietate monet obedire Apoſtolus, & præ oculis habere oculum illum omnividentem, Dominum omnium Dominorum: *Servire Domino & non hominibus*, id eſt, magis illi, quàm his, ſic enim *ſimpliciter dicta comparativè accipi debent*, vide D. Glaſſ. lib. 3. Gramm. de Adverb. can. 22. Servit autem Domino, qui Dominis ſuis, quòtusquisque hunc ordinis hujus recognoſcit authorem, omnium officiorum inſpectorem & judicem, omnium actionum ſuarum finem & regulam. Hujus pietatis fructus eſt illa ἁπλότης τῆς καρδίας. Itaq; *propter timorem Dei juſta & fidelia vult hominibus exhiberi ſervitia. Deo enim ſervit, cujus jura in obſequiis Domini carnalis cuſtodit, quem ſibi pro juſtis actibus in die judicii vicem reddere, & cæteris omnibus, audit teſtari*, Ambroſ. h. l. Deo ſervit, qui Dominis ſuis propter Deum: *Maximè cùm Dominus carnis à Domino Spiritus diverſa non imperat*, Hieronym. h. l. Itaq; ſervos *Dei voluntatem*

facere

facere jubet, hac quoq; tenùs, *ut scilicet servus non audiat carnalem Dominum, si contraria Dei praeceptis voluerit imperare*, Idem. Hoc uno casu excepto hæc est Dei voluntas, obedire semper, quos subesse voluit. Nam qui Dominos præfecit, servos subjecit; illis imperium dedit; his obsequii gloria relicta est, Proverb. 20. 12. & 22. 2. Sir. 11. 14. Superest, ut serviant 4. cum benivolentia: ex amore, qui animum facit promptum *in obediendo*, hilarem *in expediendo*, fidelem *in operibus*, patientem *in laboribus*, constantem *in prosperis ac adversis*; nam utraque frangunt animos, nisi firmet εὔνοια. Es müssen starcke Bein seyn/die gute Tage ertragen können. Ament ergò Christiani servi Dominos ut Patres, res ipsorum ut sua propria. Commoda & damna omnia in suis numerent, *vultum è vultu comparent, Tristes sint, heri si tristes: hilari sint, si gaudeant*, Plaut. in Amphitr. act. 3. scen. 3. Præcurrant Dominorum non jussa tantùm, verùm etiam vota. *Præsentiunt enim bonæ mentes eorum desideria, quibus cum integritate famulantur*: Ennod. de Epiphan. cap. 11. Denìq; quàm nihil arduum sit amantibus, quàm nullum tempus diuturnum, Jacobus Labanis servus argumento erit, Gen. 29. & 30. capp. Talem servum nactus, Thesaurum invenit. Bene Alexander:

Servum benivolum quispiam cùm adeptus est,
Ei melior in vita obvenire res nequit.

4. Quare? Non carebit obedientia ista præ-

præmio. Reddet Deus pro factis operæ pretium. Utut negabitur ab iniquis Dominis, - *merces erit altera cœlo!* justa, larga, immensa, certa, quia à Deo. Nam *ut erga Evergetas ingrati, qui beneficiis acceptis non respondent, Deum ipsum illis Debitorem faciunt: Ita si Domini non faciant paria, nec tum quoque, cùm non referunt gratiam, non retulerunt, quia Deum tibi Debitorem constituerunt.* Chrysost. h. l. Excitent ergò animos in servili & addicto corpore ingenuos

1. Divini oris authoritas; hæc Dei voluntas est testatissima, & sacris literis, Coloss. 3. 23. 1. Tim. 6. 1. 2. 1. Pet. 2. 16. 18. Tit. 2. 10. Malach. 1. 6. &c. & communi sensu: *Vos servi debetis Domino fidem in ipsa, quam geritis, servitute: quia qui puro & pio corde carnali Dominio debitum non reddit obsequium. Deo antè, qui corda videt, quàm homini tenetur obnoxius*, P. Chrysolog. serm. 26.

2. Divini oculi claritas: Αὐτὸν ἐφεστᾶναι τὸν Θεὸν πίστευε, ἐν οἷς πράττεις ἑκάστοτε, ait S. Nilus in Parænes.

Speculator adstat desuper,
Qui nos diebus omnibus
Actusq; nostros prospicit,
A Solis ortu in vesperam, &c.

Job. 24. 15. Psalm. 7. 10. & 139. 2. Jer. 32. 19. &c.

3. Divinæ manus largitas. Erunt præmia bene servientibus, Proverb. 17. 2. Sirac. 10. 28. ut Jacobi & Josephi Patriarcharum exemplum demon-

monſtrant. Celebraturq; eorum memoria hiſtoriarum monumentis, qui bonam ſervitutem ſervierunt, fidelitatem ſuam Dominis probârunt, vide Senecam Epiſt. 47. Appian. l. 4. de Bell. Civil. Macrob. 1. Saturnal. cap. 11. & ut exemplorum ſcriptores præteream, Piccartum Vir. Clar. in Decad. 1. Obſerv. Hiſtor. cap. 2. &c. Sed & pœnæ non deerunt ſervientibus malé: vide Sirac. 33. ℣. 27. ut ſementem fecerint, ita & metent. O quàm multis evenit, quod illi apud Arrianum: *Si manumiſſus fuero*, inquit, *ſtatim omnia proſpera: proficiſcor, quò volo, &c. curo neminem: cùm verò libertus factus eſt, ſtatim non habet, ubi edat; quærit, cui aduletur, apud quem cœnet. Deindè vel corpore opus facit & graviſſimas ærumnas perfert: Vel ſi quod præſepe invenit, in ſervitutem incidit priore longè graviorem; &c.* l. 3. c. 26. Perfidiæ pœnas lege apud Appian. loc. cit. Valer. Max. l. 6. cap. 5. &c. Quibus omnibus addi poteſt, quòd & improbi ſervi *tortores acerrimos* in pectore circumferunt, & probi *aſylum* habent apud Deum ſemper patens, ſemper tutum, vide Bodin. loc. cit. pag. 57. & Grotium l. 3. cit. cap. 14. num. 6. Quibus & aliquando *annus* dieſq; illè *Remiſſionis* veniet, plenaq; libertas, illo magno futuro *Jubilæo*. Serviant modò Chriſto: Nam ut Paulinus ad Licent.

Hæc bona Libertas Chriſto ſervire, & in ipſo
Omnibus eſſe ſuprà: non Dominis hominum:
Non vitiis ſervit, non Regibus ille ſuperbis,
Tantùm qui Chriſto ſe dederit Domino.

Hic,

Hic, ait Apostolus, reddet cuique; Servus aut Liber sit, perindè est. Quo ipso *ostendit dominium & servitutem præsenti vitâ esse circumscripta: sed postquam ab hac peregrinatione excesserimus, non futuram ampliùs dominii & servitutis differentiam, virtutis & vitii,* Theodoret. h. l.

II. DE DOMINIS.

Et vos Domini; Hebræis אדונים *Adonim,* quòd sint *Eden,* Basis domus; Græcis κύριοι dicti, quòd ipsorum sit τὸ κῦρος, id est, ἐξουσία, dignitas & authoritas, ut Germanis Herren ab honore, undè in antiquioribus scriptis Ehr Johannes &c. nisi fortè τὸ κῦρος ab Hebræo ירש *Jarasch,* hæreditavit, à quo Cyri nomen nonnulli derivant, ut sit à Caph similitudinis & Joresch possessor, quasi hæres, etsi Plutarchus in Artaxerxe annotet sic Solem dici, Hebræo-Persico vocabulo, de quo Gregor. Gregorii Lex. Sanct. num. DXCI. DCLXXXII. & DCCLXXIII. Latini à domo dixisse videntur. Jocatur Palladas in Epigramm. cùm à dando derivat;

οὐκ ἐθέλω Δόμινε, ὃ γὰρ ἔχω δόμεναι,

Non cupio *Dominus, Do* quia nempè *minùs.*

Integrum habes apud Lipsium in Tacitum lib. 2. Annal. num. 179. & Rittershus. in Cyneget. Oppiani l. 1. ℣. 4. Qui Poëta Δόμναν dixit, elisâ vocali longâ in medio, ut scriptores novissimæ Latinitatis, seculo jam semibarbaro plerunque: *Domnos & dulces meos reverenter saluto; Domnum meum per omnia*

omnia dulcissimum filium vestrum, Aventium pro me multipliciter supplico salutari, Fortunat. ad Eufron. Episcop. &c. Propriè servorum correlatum est: qua de causa Augustus *Dominum se ne à liberis quidem aut nepotibus suis appellari voluit*, Sueton. in Octav. cap. 53. Quod tamen majore afflatum Numine fecisse nihil vetat; quasi commonitus fuerit, *quòd sub ipsius imperio Dominus totius generis humani inter homines nasciturus esset*, P. Orosius lib. 6. cap. 21. At successores adeò descivére ab hac modestia, ut & Dii appellari haberiq; vellent. Nota Tyranni vox est: *Dominus & Deus noster sic fieri jubet!* Sueton. in Domitiano cap. 13. Quid consecutus? quòd tandem à libertis & gladiatoribus vulneribus septem trucidatus, populari sandapilâ per vespillones exportatus à Senatu contumeliosissimo atque acerbissimo acclamationum genere laceratus sit, imagines ejus SenatusConsulto detractæ, erasi tituli, omnisq; memoria abolita. Enimverò nec factum unquam, certò rarò, quin divini nominis usurpatores pœnas spectabiles non luerint & apertas, ait *Bernartius* in 1. Silvar. StatI. Et invexit tamen fastus has adulationes etiam in Ecclesiam, gavisiq; sunt Episcopi Dominorum titulo, qui vel maximè respuere debebant. Sic Sidonio ad Episcopos scribenti solennis inscriptio est: *Domino Papæ*, ut lib. 6. omnes & l. 7. ferè omnes Epistolæ docent. Ipse, qui Gregorii M. l. 4. Registr. Epist. 32. & Gregorii IX. in præf. Decretal. secutus exemplum, *Servum se Sacerdotum omnium*,

 & Ser-

& Servum Servorum Dei nominat, ab aſſentatoribus Dominum Deumq́, dici patitur. Sed hæc alîus ſunt loci. Nec de ea vocis hujus acceptione pluribus agendum eſt, quâ *obvios, ſi nomen non ſuccurrit, Dominos ſalutamus*, de qua Seneca Epiſt. 3. ubi Muretus in Not. Id potiùs obſervandum ex Theodoreto in h. l. Admirandum eſſe ordinem ſuaſionis in h. l. *Primò enim maritis & uxoribus legem ſtatuit: Liberorum enim procreationem præcedit matrimonium. Deindè filiis & Parentibus: Liberorum enim ſuſceptio matrimonii fructus eſt. Poſt partum enim ille Pater, hic Filius nominatur. Ultimam autem ſervorum & Dominorum poſuit conjugationem; ea enim ex eventu facta eſt; at illæ naturæ privilegiis honoratæ ſunt.* De horum officio accipe nunc

I. Documenta; quorum hoc eſt 1. *Eadem facite:* Quomodo eadem: *Num & Domini ſervis ſervient?* Certè ſi rem bene exputabis, quid Dominus eſt aliud, niſi ſervorum ſervus? Noſtri dicunt:

Soll es im Hauſe gehen recht/
So muß der Herr ſelber ſeyn Knecht.

Et Græci: εἷς οἰκίας δοῦλος ὁ δεσπότης, *unus in familia ſervus eſt ipſe Dominus*, apud Ariſtid. Orat. 2. Platon. Tom. 3. Sic in Repub.

Populi eſt mancipium, quisquis patriæ eſt utilis.

Ita h. l. ex Chryſoſtomo Oecumenius: *Et Domini ſervis ſerviunt. Quando enim ſervus dormit ac ſtertit, Dominus, de cibo & indumento ſollicitus, non dormit, nonne ſervit?* Theophylactus: *Servit & operam*

ram præstat mancipiis Dominus, cùm curæ habet, ut his necessaria subministret, cùm eos tolerat, & iisdem multis in rebus condescendit & assentitur, &, ut Salomon ait, horum gratiâ circumfertur, vide Eccles. 5. 10. 11. Taceo servitutem illam fœdiorem omnibus pistrinis & ergastulis, cujus tamen capistro, tum cùm ista scriberet Apostolus, multi quasi ora sua indebant, de qua S. Paulinus:

Quem cernis tantâ sibi libertate videri,
Ut dedignetur flectere colla Deo,
Multis ille miser mortalibus, & quoque servis
Servit, & ancillas, ut dominentur, emit,

ad Licinium l. cit. Ipsi Cæsares tum temporis plerique servilis libidinis mancipia fuére, libertorum suorum ludibria, à quibus, quoquò vellent, trahi flective poterant,

Ducitur ut nervis alienis mobile lignum.

Notumq; est convitium *ancillariolorum*, in eos jactatum, qui ne ingenuum quidem sanguinem amando deperibant, vide Senec. 1. de Benef. cap. 9. Sed absit, ut Apostolum statuamus Dominorum dignitatem eò dejicere velle. Itaque τὰ αὐτὰ Camerarius adverbialiter exponit, *similiter*, q. d. *ita vos pari ratione gerite erga servos Domini, ut decet.* Hieronym. ad illa præcedentia refert: *in simplicitate cordis, facientes voluntatem Domini, & cum fidelitate seu benivolentia*, nam vox εὐνοίας utrumque significare potest. Verbo: non officii eandem formalem rationem præscribit; sed modum & proportionem. *Quales vultis esse erga vos servos, tales*

exhibete illis Dominos. Nam quomodo regetis ser vos, ipsi servientes pravis & insanis cupiditatibus ut mancipia? Basilius M. contra Ebrios. hom. extremâ. *Qui postulat ut famulus, seipso sit melior, id quod sæpè nobis accidit, qui peccata servulorum ægrè ferimus, stultus est: cùm ea desideret; quæ fieri nequeunt,* Simplicius ad cap. 20. Epictet. *Dominas*, ajunt, *imitantur catellæ*, &

Servos herilis usque morbus inficit

juxta Euripid. apud Stob. Itaque *quemadmodum militis virtus aut servi probitas redundat in gloriam ducis aut heri; Ita militis ignavia aut servi nequitia dedecori est Duci aut hero: Propterea quòd horum mores magna ex parte pendent ab illorum moribus, in quorum potestate sunt. Qui etiamsi prorsùs absunt ab omni culpa, tamen popularis existimatio solet Dominorum mores ex servorum moribus æstimare*, Author de Dupl. Martyr. apud Cyprianum. Vultis ergò Domini servos 1. Pios, pietatem colite, impios procul à vobis effugate, veluti apes, optimæ familiæ magistræ,

Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.

Educentur rectè, non solùm ipsorum gratiâ, sed multò magis Dominorum; Plato VI. de Legib. *Sit domus vestra Ecclesia*, Chrysost. de Jejun. *Paterfamiliás Episcopus*, August. Tract. 51. in Johann. *novoq; genere vivendi Monachum compleat, non sub Pallio, sed sub paludamento*, Sidonius Apollin. l. 4. Epist. 9. *Plus ego*, inquit, *admiror Sacerdotalem virum, quàm Sacerdotem*; vide Prov. 29. 12. Ps. 101. 3.

Actor.

Actor. 10. 7. 22. &c. Vultis 2. Simplices; hypocrisin, fraudes, fallacias, malas artes fugite, ne à vobis discant. Ὁ γὰρ μολυσμὸς διαδόσιμος γίνεται, *contagia facilè serpunt in plures*, Synesius Epist. 58. *Paterfamiliâs, qui familiam vult bonis præditam moribus, animo sibi hilaro ad serviendum promptam, non sit ebriosus, non invidus, non contentiosus, non fictus, non malignus, non litigiosus, non rapax, non avarus. Quantum ad ipsum attinet, pacem habere cum omnibus quærat; perniciem non teneat; nulli detrahat: Cum amicis fidem teneat; inimicis nunquam pérfidus aut perjurus existat: aliena non rapiat; æquitati pecuniam non præponat: sit in negotiis justus; in operibus pius; mitis ad tolerandas, tardus ad retribuendas injurias: in fide stabilis, amator castitatis & pacis*, Fulgent. Epist. 1. Vultis porrò 3. Timidos; ne mites, ne familiares nimiùm sitis; ne derisui, ne ludibrio vos exponatis, Sir. 33. 25. 26. Job mitissimus Dominus servos habuit superbissimos, cap. 19. 16. *Ad acerbam injuriam pertinet, ut Domini cum servis blandè loquantur, & servi contemnant*, ibidem Philipp. Presbyt. Ita fit: *Mitium Dominorum apud servos ipsâ consuetudine metus exolescit*, Plin. l. 1. Epist. 4. *Præcipuè cum consuetudine lasciviaq́ seductorum assuefacti, patientiâ Domini sui ad contemptum ipsius abutuntur*, Orosius l. 6. cap. 1. *Sit remissio non vitians; correptio non cruentans; & severitas ejus temperamenti, quæ non sit tetra, sed tetrica*, Sidonius Apoll. loc. cit. *Quis-*

quis patitur peccare peccantem, is vires subministrat audaciæ, Arnob. l. 4. adv. Gent. Argum denique oportet esse Patremfamiliâs, & centum habere oculos, juxta Phædrum l. 2. Fab. 39. *Oculus Domini*, ajunt, *saginat equum*; & *latamen optimum Domini vestigium. Præsentia Domini provectus est agri*, Pallad. l. 1. de Re Rust. & P. Syrus:

Adspicere oportet, quod possis deperdere.

Vultis tandem 4. Benivolos; benivolentiam exhibete; amor enim amoris esca est. Tu Pater esto, qui lege Dominus audis: *Majores nostri*, ait ex Senecæ Epist. 47. Macrobius 1. Saturn. cap. 11. *omnem Dominis invidiam, omnem servis contumeliam detrahentes, Dominum Patremfamiliâs; servos, familiares appellaverunt.* Ament te tui potiùs ὡς αἱρετὸν ἄρχοντα, *ut Principem electum*, quàm *timeant* ὡς νόμῳ δεσπότην, *ut lege Dominum*, Epist. 145. Synesij. Tu Mater esto, quæ vis haberi Domina. *Familiam tuam ita rege & confove, ut te Matrem magis tuorum quàm Dominam videri velis: à quibus benignitate potiùs quàm severitate exige reverentiam. Fidelius & gratius semper obsequium est, quod ab amore, quàm quod à metu proficiscitur*, Paulin. ad Celantiam. Alioqui ὐδεὶς ἑκὼν οἶμαι δουλεύειν βούλεται. *Nemo suâ sponte servit*, Aristid. Orat. Siculâ poster. *Solent autem etiam nequissimos servos, quos supplicia non correxerunt, blandimenta corrigere; & quos Dominis suis verbera non submiserint, beneficia submittere*, Salvian. l. 6. de Gub. Dei.

Dei. Luceat animus benivolens in 1. injunctione operis; Servis non ut jumentis utendum docet Clemens Alex. l. 3. Pædag. cap. 11. Quanquam Bonus Paterfamiliâs etiam jumentis onera novit ἐπιμετρεῖν, Macar. hom. 26. 2. in exhibitione mercedis, cujus pars ipsa cibaria, Δούλῳ μισθὸς τροφή, *servo merces alimonia*, Aristotel. 1. Oecon. cap. 5. Certè *servi si fures sunt, ad furandum sæpè egestate coguntur: quia etiamsi eis stipendia usitata præstantur, consuetudini hæc magis quàm sufficientiæ satisfaciunt, & ita implent canonem, quod non explent satietatem, &c.* Salvian. l. 4. cit. Sed & 3. in ostensione commiserationis, erga ægros, erga senes: Claudius Imper. lege latâ liberos esse jussit, qui in morbo à Dominis exturbati postea convaluissent, Dio l. 60. Hist. meritoq; reprehensus est Cato Major, qui senes servos vendidit, ne gratis vel alere vel dimittere necesse haberet. Beatior Athenis ille Palladis mulus, qui senio confectus liberè vagari sine capistro, sine labore consuevisset, ait Bodinus l. 1. de Rep. cap. 5. cui & victus publicitùs præbitus, ut in Prytaneo Athletis senio confectis, Ælian. 6. Hist. Anim. cap. 49. &c. Sed ad Documentum pergo:

2. *Minas remittite*; ne sævite tantoperè, ne quasi Leones sitis in domo vestra, Sirac. 4. 35. *Quid est aliud irasci, quàm insanire, quàm furere, quam in ultionis libidinem ferri, & in alterius doloris crucem, efferati pectoris alienatione, bacchari?* Arnob.

l. 1. adv. Gent. Sit Paterfam. erga familiam suam *nec in proferendo eloquio minax, nec in admittendo consilio spernax, nec in reatu investigando persequax.* Sidon. Apollin. l. c. Sit, quantum potest, *in eleemosynis largus & hilaris, & ad dimittendum peccantibus facilis ac suavis. Nec tamen se putet ita peccantibus tribuere veniam, ut disciplinam suæ domus existimet negligendam: sed rigoris retinens clementiæque temperiem, servet in correptione modestiam, & in remissione censuram, &c.* Fulgent. Epist. 1.

II. Incitamenta: Habetis enim quoque 1. *Dominum:*

Omne sub regno graviore regnum est.

Unde ille apud Philemonem servus citante Stobæo:

Mihi est herus tantùm quidem vir unicus;
Tibi milleque aliis civitatis lex herus,
Aliis Tyrannus, & Tyrannis est metus:
Reges ministris imperant; Regi Deus:
Deoque fatum! [impia vox!] Quicquid est, si computes,
Totum subest; minora sic majoribus,
Lex est perennis, obsequenter serviant.

Ad Dominum ergò respicite Domini, & qualem vultis eum vobis; tales vos præstate vestris. *Qui servum habet, non vult contemni ab eo, ideoque nec ipse debet contemnere Dominum suum. Et sicut vult secum agere Dominum suum, ita etiam ipse agere debet cum servo suo,* Ambros. h. l. *Majores nostri domum nostram pusillam Rempub. esse judicârunt,* Seneca Epist. 47. *Est enim omnis domus initium sive particula*

cula civitatis, Augustin. de Civ. Dei l. 19. cap. 16. Ita fit, *ut ex lege civitatis præcepta sumere patremfamiliás oporteat, quibus domum sic regat, ut sit paci accommodata civitatis*, Ibid. Sed de eo Domino nunc non agimus. Habetis vos Dominum 2. *in Cœlis*,

Hic testis, hic est arbiter,
Hic intuetur, quicquid est,
Humana quod mens concipit,
Hunc nemo fallit judicem!

Prudent. Cathemer. hymn. 2. *Hic judicat solus tantùm voluntates, & juxta eas deteriori præfert meliorem, eligens facta, non homines*, Hieronym. *Cùm autem vis, ut serviat tibi servus tuus, & tu non vis servire Deo, quod tu pati non vis*, August. de decem Chord. Habetis ergò Domini æquè ac servi Dominum 3. *Communem*: Itaque *in te si propitium vis Deum habere, ipse subjectis tuis esto propitius: nam etsi aliorum Dominus es constitutus, ipse tamen etiam servus es. Dominum enim habemus universi, eum videlicet, qui rerum omnium dominationem manutenet: totius autem humani generis author & propagator est unus, & idem, nempè limus terræ, etsi alius pulvis adversùs alium intumescimus*, Imp. Basil. ad Leon. Fil. Paræneſ. cap. 14. Denique habetis Dominum 4. ἀπϱοσωποληπτην, in cujus judicio non personæ examinantur, sed facta. *Non ignorantes itaque carnales Domini, Deum omnium Dominum esse communem, talia exigant servitia, qualia à se exigi non ferant ægrè: In qua enim quisque mensura mensuraverit, eâdem remetietur ei. Dominus enim*

justus judex causas discernit, non personas, Ambros. h. l. *Qualem in te vis esse Dominum, tale te exhibe in servum. Dominus enim nescit Domini & servi differentiam. Omnes enim ex æquo formavit*, Theodoret. h. l. Quod ad animum revocavit S. Jobus, cap. 31. 13. *Servis*, inquit, *meis liberæ orationis & suæ causæ defendendæ potestatem faciebam, ut si quid fortè à me per injuriam in eos committi suspicarentur, dicerent audacter*, Olympiod. in Catena. Impulit respectus hujus summi Domini, ubi jus idem servis & Dominis. Præcipuè cùm per mortem ventum est ad illud tribunal, ubi Præconis quasi voce edicitur: *Discede ambitio: omnium, quæ terram premunt, siremps Lex esto*, Seneca Epist. 91.

Hæc ergò Dominorum officia sunt, quæ Phocylides versibus aureis complexus:

Servo justa dabis, sit ut in te mente benignâ;
Stigmata ne inscribas, servili opprobria fronti;
Consilium servi prudentis spernere noli, &c.

Justa; τακτὰ vocat demensum, quæq; ad victum & amictum pertinent. *Servis, non malè præcipiunt, qui ita jubent uti ut mercenariis; operam exigendam, justa præbenda*, Cicero 1. Offic. Stigmata fugitivis aut nequam servis inscripta notum ex Lipsii l. 1. Elector. cap. 15. ubi de ergastulis & omni servorum miseria quoque. Movere debeat Dominos

1. Servilis conditionis acerbitas; certè nihil si aliud accedat, homo tamen homini non libenter servit, naturâ factum se ad dominandum persentiens. *Nomen istud, servi, culpa meruit,*

non

non natura, August. l. 19. de D. Civ. cap. 15. *Vide, aviculæ, cùm captæ in cavea aluntur, quomodo affectæ sint? ut effugere cupiunt? nonnullæ fame perire malunt, quam vitam istam tolerare. Quæ autem conservantur, quod ægrè quidem ac difficulter & cum tabe fit*, [quâ sensim conficiuntur, φθίνοντες] *statim, ubi ullum foramen deprehenderint, exsiliunt, &c.* Arrian. l. 3. Epict. cap. 26. Nolo hîc inculcare trita, mortem prælatam servituti, quâ nihil homini nato terribilius videri solet. Triplex illi circa cor æs & rigido stant adamante fibræ, qui nullâ tangitur commiseratione.

Homo, qui in homine calamitoso est misericors,
meminit sui.

2. Originis humanæ æqualitas: *Domini servis vos exhibete benivolos, ut Sanctus Job docuit: una enim natura, unum humanitatis universæ genus est*, S. Ignatius ad Philadelph. confer eund. Epist. 9. ad Antioch. Hinc illud pervulgatum: *Neminem Regem non ex servis esse oriundum; neminem non servum ex Regibus*, apud Senec. Epist. 44. Sic S. Asterius hom. in servum Centur. Dominos monet, ut clementer humaneq; servos tanquam sodales & fratres tractent. *Eâdem enim ambo terrâ, eâdem artificis dextrâ conditi sunt, eadem utrisque opera naturæ, eademq; patiuntur, sed & constitutionis eadem forma ac figura in utrisq; apparet*, apud Photium Cod. 271. Bene ille apud Philemon.

Here, quamlibet sit quispiam servus, tamen
Homo si fuit, manet idem homo nihilominùs.

Vis


Vis tu cogitare istum, quem servum tuum vocas, ex iisdem seminibus ortum, eodem frui cœlo, æquè spirare, æquè vivere, æquè mori? Seneca Epist. cit. 47. *Servi sunt? imò homines: servi sunt? imò conservi, &c.* Idem ibid. *At quo pacto ferri queant tales? Mancipium; non feres fratrem tuum, qui genus à Jove summo ducit? ut filius ex iisdem seminibus procreatus est, eodemq; nititur fundamento?* Arrian. l. 1. Epict. cap. 13. vide Malach. 2. 10. Actor. 17. 26. Pertinent huc Persarum *Sacæa*, Cretensium *Cydonia*, & *Hermæa*, Thessalorum *Peloria*, Romanorum *Saturnalia*, & similia festa, per quæ servis naturali libertate frui, aut etiam Dominis imperare fas erat, de quibus aliàs, vide nunc Dempsterum ad Rosin. Antiq. Rom. l. 4. sub fin.

3. Fortunæ communis instabilitas:

Sæpè qui potuit misereri, misericordiam rogat. Pone supercilium, quid despicis hoc tam vile caput? Tam tu illum ingenuum videre potes, quàm ille te servum, Seneca l. modò alleg. ubi plura, confer Eccles. 4. 14. & 10. 7. Multi cum Josepho è carcere prodierunt ad regnum; multi è solio cum Sedecia exciderunt in ergastulum, vide Plin. l. 35. cap. 18. Valer. Max. l. 6. cap. 10. &c. Sic ludit Divina potentia, & mutare gaudet ima summis, aurem vellens omnibus: homines se meminerint, & neque desperent jacentes, neque superbiant stantes.

4. Servorum fidelium necessitas & utilitas; Sunt enim Dominorum oculi & aures,

manus



manus & pedes, ὄργανα πρὸ ὀργάνων, ut dixit Aristoteles. Wann wir alle Herren weren/ wer trüge uns die Suppen auf den Tisch/ ajunt nostrates. Quòd Indi apud Strabonem, & Essæi apud Philonem servis caruisse dicuntur, de ejusmodi intelligendum, quales alibi Gentium tam miserâ conditione. Aliàs ubi nulli servi, quomodo aliqui ibi Domini?

Quàm suave servis est habere bonos heros?
Quamq; est heris servos bonos in ædibus?

ait Euripid. in Meleagro apud Stobæum.

5. Sævitiæ herilis damnositas; undè plerunque rebelliones, & horrenda in Dominos exempla, historiis omnibus testatissima: De Largio Macedone vide Plinj Jun. l. 3. Epist. 14. Aliud recentius & atrocius ex Joviano Pontano recitat Bodinus de Repub. l. cit. Quid Chiis evenerit! Athenæus l. 6. cap. 7. Quid bello servili Siculis? Diodor. Sicul. l. 34. & apud Photium Biblioth. Cod. 244. Taceo damna, quæ in re familiari soleant emergere, cùm invitos boves aratro jungimus, aut canes venatum ducimus. Sirac. 33. 31. Deniq;

6. Ipsa in Christo fraternitas; *Servis victum & vestitum debitum reddas, remittas culpas, minas temperes, imperes disciplinam: Et habeas eos fratres progenie cœlesti, quos subditos mundanâ possides servitute,* P. Chrysolog. serm. 26.

Καὶ Χριστὸς ὤφθη δοῦλος, ἀλλ' ἠλευθέρου,
Servus fuit Christus quoque, & misit manu,

ait Greg. Naz. in Tetrastich. Summa: *Qui veri*

patres-

patresfamiliâs sunt omnibus in familia sua, tanquam filiis, ad colendum & promerendum Deum consulunt: desiderantes atque optantes venire ad cœlestem domum, ubi necessarium non sit officium imperandi mortalibus; quia necessarium non erit officium consulendi jam in illa immortalitate felicibus; quò donec veniatur, magis debent Patres, quòd dominantur, quàm servi tolerare, quòd serviunt, ait August. de C. Dei l. 19. cap. 16. *At fideles servi, si non possunt à Dominis liberi fieri, suam servitutem ipsi quodammodo liberam faciant; non timore subdolo, sed fideli dilectione serviendo, donec transeat iniquitas & evacuetur omnis principatus, & potestas humana, & sit Deus omnia in omnibus*, Ibid. cap. 15.

MEDITATIO ULTIMA, DE SENIBUS ET JUVENIBUS.

1. Pet. 5. 5. 6. *Similiter adolescentes subditi estote senioribus: Omnes autem invicem humilitatem insinuate; quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.*

MI *Deus! ne revoces me in dimidio dierum meorum!* Votum est sive Davidis sive alîus pii,

pii, Psalm. 102. 25. Paucis in limine delibandum. *Sensum* cùm intueor, comparo cum illo Bileami, quod ille, aliàs Propheta Diaboli, tum majore afflatu effudit: *Heu quis victurus est, quando ista faciet Deus!* Num. 24. 23. statuunt quidem Interpp. diversimodè: Alii verba esse 1. *Prophetiam suam confirmantis*; Non ita quidem mox eveniet, quod dicturus sum, es wird viel Wasser den Jordan hinab fliessen/ nemo eorum, qui vivunt, victurus est, eveniet tamen certissimè. Psalm. 33. 11.. Esai. 40. 6. 8. sic Marbach. Osiander, Pelargus, Dd. nostri. Alii 2. *Posteros territantis*; væ illis, qui tum, cùm fides vaticinio huic constabit ex eventu, vitam in terris colent! Malach. 3. 2. 3. & 4. 1. sic ex Abulensi Corn. à Lap. sed præstat accipere ut verba 3. *Adventum Messiæ exoptantis*; de ejus enim Regno omnia Mundi regna subacturo agit, Dan. 2. 44. vocemq; & votum fidelium omnium exprimit, illud quod & Sibylla olim:

O mihi tàm longæ maneat pars ultima vitæ!

Quis erit ille tam beatus, tam felix, qui hæc videat, hoc est, qui sentiat, & intelligat, & credat, quia hæc ita fecerit Deus? sic Rabanus in Numer. Eadem voti nostri sententia est, circa quod spectare libet 1. Petentem; Quis ille? incertum: Pauperem in spiritu & adflictum aliquem, sub tempus finitæ jam, aut ferè finitæ, captivitatis Babylonicæ fuisse, qui summo cum desiderio instaurationem novæ Hierosolymæ Regemq; Messiam exspectaverit ac exflagitaverit, ipsa inscriptio, contextus, & antecedentia

dentia teſtantur, ut Apoſtoli allegationem taceam Hebr.1. ℣.10.11. confer Geſner. h.l. 2. Petitum; cujus *præfatio* fiduciali & amabili conſtat Dei alloquio: *Mj Deus*, ſpes & fiducia mea, in cujus manibus ſortes meæ, fons vitæ, baculus ſenectutis meæ: *Petitio* ipſa emphaticũ habet verbum: אל־תעלני *Al- thaaleni*, ne facias me adſcendere Arias M. alii; ne auferas, tollas, ſuccidas, avellas me &c. Variæ Metaphoræ, humanæ vitæ fugacitatem explicantes: Eſt enim quaſi fumus, aut *pulvis*, quem facilè ſuſcitat ventulus, ut adſcendat & evaneſcat, vide h. l. Mollerum. Eſt quaſi *floſculus* aut herba ſolſtitialis, mille caſibus expoſita: Similis eſt *ſtationi militis*, quæ & certam habet ex lege horam, & ex Ducis imperio nullam, undè Vulgatus; *ne revoces me!* Cùm vita ergò noſtra adeò vana ſit; *Nam inſomnium quaſi ſumus minimè conſiſtens, ſpectrum, quod teneri nequit; avis prætereuntis volatus, navis in mari veſtigium non habens, pulvis, vapor, ros matutinus, flos ſuo tempore naſcens, & ſuo tempore marceſcens, &c.* Greg. Naz. Orat. 10. obſecrat Deum vitæ authorem & moderatorem ſuæ, & diutiùs ſe velit ſupereſſe, nec adeò properet auferre è medio: Non quòd mori deprecetur, in quo ſitam ſcit beatiſſimam fidelium requiem, ſed quòd in dimidio dierum ſuorum mori; ut ſolent crudeles & impii, quibus fatale tamen ante diem vindex Dei manus abrumpere conſuevit, Pſalm. 55. 24. Hæc petitio; conſidero autem 3. quoque Petitionis finem;

nec

nec enim piis per se sola longa vita optabilis adeò est; quam Seneca *Vermium & Muscarum Bonum* vocat l. 3. de Benef. cap. 31. ut graviter moneat S. Augustinus l. Quinquag. serm. 1. *Quisquis es amator longæ vitæ, esto potiùs bonæ vitæ. Nam si malè vivere volueris, longa vita non erit verum bonum, sed longum malum:* & Paulinus ad Licent. scitè dixit:

Vive, precor, sed vive Deo: nam vivere mundo
Mortis opus; viva est vivere vita Deo!

Alioqui ζωὴ θανάτε παντὸς χαλεπωτέρα, *vita omni pejor est morte*, Chrysost. de jejun. nec nullo certo, aut verò etiam improbo fine exoptat se longæviorem pia illa mens; non ut diutiùs opibus inhiare, voluptatibus indulgere, Genio litare, dignitates ambire liceat, quæ stultorum vota sunt, quos tandem mors inopina opprimit, frustrà invidiam objectantes, quòd destinata ad umbilicum perducere non licuerit. *Hæc sunt consilia mortalium! hæc vota magnarum cogitationum!* Petron. in Satyr. Absit, ut tale πάθος eveniat Bonæ Menti! Itaque quæ petitionis hujus causa fuerit, præmisit noster ille petitor, Psalm. 102. cit. ℣. 14. 17. 22. 23. Videre gestiit novam Jerusalem, videre Regem Christum &c. *Ne tollas me*, inquit, *de mundo isto in dimidio dierum meorum: adduc me ad mundum venturum*, juxta Chaldæum Interp. in quo pax & justitia se exosculabuntur, &c.

Habes ergò in hoc voto, præter exemplum ardentissimi desiderii fruendi Rege & Regno Messiæ,

ſiæ, quod in ruborem meritò dare debet oſcitantiam & faſtidium noſtrum; Documenta *de vitæ longævitate*, cujus 1. *Author* Deus, Fons ille vivus, Pſalm. 42. 2. qui vitam ut omnibus dat, datamq; conſervat; Actor. 17. 25. 27. Job. 10. 12. ſic longævam piis ſæpè promiſit, promiſſamq; præſtitit, Exod. 20. 12. Pſalm. 91. 16. &c. Author ſolus & quidem omnis veræ vitæ, naturalis, gratioſæ, glorioſæ, quem & pro iſto dono fideles implorare ſoliti ſunt, ut David Pſalm. 119. 17. 116. 175. & 143. ℣. 11. Hiskias Eſai. c. 38. 2. *Finis verus*: Vivere Deo, qui vitam dedit, ac meritò repoſcit,

Totoq; noſtra jure Domini vindicat
& corda, & ora, & tempora;
Se cogitari, intelligi, credi, legi,
Se vult timeri, & diligi.

S. Paulin. Epiſt. 1. ad Auſon. Vivit autem Deo, qui, mundo & peccato mortuus, ſic proximo vivit, ut propter Deum; ſic ſibi, ut diſcat bene nôſſe Deum & bene poſſe mori. *Ita vivere totâ vitâ diſcendum eſt: & quod magis fortaſſe miraberis, totâ vitâ diſcendum eſt mori*, Seneca de Brev. Vitæ cap. 7. Quæ pro dignitate ſi vellem exſequi, ſpacioſus ineundus eſſet campus; hîc anguſtiore me gyro incluſi. 3. *Media & Remedia*, quibus longævitas comparetur, oſtendunt 1. *diæta* à Deo Medico præſcripta, paſſim per Sacras literas, quæ donum hoc obedientiæ, pietati, miſericordiæ, ſobrietati, caſtitati, manſuetudini aliisq; virtutibus promittunt, Deut. 6. 2. Prov. 3. 2. 16. 21. & cap. 21. 21. 1. Tim. 4. 8. Matth. 5. 5.
Sirac.

Sirac. 37. 34. Job. 5. 17. 25. &c. 2. *exempla longævorum*, ut Patrum antediluvianorum, de quorum longævitate, & causis, Interpp. in Genes. cap. 5. hîc non inculcanda. Alia Ravisii Officina suppeditat. Ex quibus omnibus extrui potest 1. *Informatio*; vitam longævam licitè à Deo peti; mortem autem temerè optari non debere: qua de re D. Gerhard. de Morte Tom. VIII. num. 67. 2. *Refutatio*; Stoici illius & Astronomici fati, quod multos hodiè defensores invenit: *Ortum finemq́ vitæ, actus etiam nostros universos, studia, cupiditatesq́, & quicquid illud est, quod ad humanæ rationis conversationem pertinet, fatalis necessitatis inevitabili sententiâ contineri*, ut Firmicus ait l. 1. Astronom. cap. 3. Nam, si ante & extra omnem causarum prævisionem fatale punctum absoluto Dei decreto cuique ab æterno fixum est, irritæ non modò sunt omnes illiusmodi preces, sed & impiæ: Rectè responderetur ad omnes illud vulgatum:

Desine fata Deûm flecti sperare precando.

Vide D. Gerhard. l. cit. num. 61. 3. *Exhortatio*; vitam ergò piè prudenterq; instituamus, ne fatalem illam horam acceleremus: Mortem venientem promptè excipiamus, ut missam à Deo &c. Denique ut ad pensum meum tandem accedam; Discant Juvenes, *Senectutis coronam obedientiæ palmam esse*: Discant Senes *longævitatem suam Dei donum esse*, ne de ea querantur, ut fieri amat. Nam *Senectutem ut adipiscantur, omnes optant, eandem accu-*

sant adepti, Cicero de Senect. ut verè dictum fuerit à Theodecte apud Stobæum serm. 66:

Similis senectus est in hac re nuptiis;
Et has & illam cupimus admodum adsequi;
Et has & illam dein adepti, ringimur.

Agemus igitur de Officis

I. JUVENUM.

Apostolica hæc Periocha continet Exhortationem 1. Specialem ad Juniores: 2. Generalem ad omnes.

De Priore; *Subjectum* sunt νεώτεροι & quidem *Presbyteris* relativè oppositi. Beda ergò per juniores intellexit *ordinis inferioris clericos*; per Presbyteros *Senatum Ecclesiæ.* Sequitur Bened. Justinianus & argumenta affert 1. ex vocabulo ὁμοίως, quo ad præcedentem admonitionem respicitur, ad Presbyteros dignitate directam. 2. Quia non est verisimile, nomine hoc Presbyterorum Apostolum aliter usum ℣. 5. atque ℣. 1. Jam 3. S. Ignatii M. similis sententia est ad Philadelph. *Laici subsint Diaconis; Diaconi Presbyteris; Presbyteri Episcopo; Episcopus Christo, ut ipse Patri.* Objicit Beza consuetudinem Ecclesiæ, quæ juvenes procul dubio ad sacra munia non promovit. Estius itaq; juvenes intelligit subditos, 1. Quia & alibi νεώτεροι subditi, ut Luc. 22. 26. 2. Quia illud, similiter, significare videtur officium reciprocum bene regendi & promptè obediendi. 3. Quia idem S. Paulus:

lus: Obedite præpoſitis veſtris & ſubjacete eis, Hebr.13.17. Communis tamen expoſitio eſt, agi de junioribus & ſenioribus ætate. Transfert enim Apoſtolus hypotheſin ad theſin, & compendio ſic oſtendit officii, quod Dei Miniſtris debent auditores, qualitatem, ut ſimul expromat æquitatem ac neceſſitatem. Æquum enim, imò neceſſarium eſt, ut ætate inferiores majorum ſequantur ductum, ne fiat illud, quod dici ſolet: ἄνω ποταμῶν, *ſurſum flumina!* aut iſtud: ἡ ἄμαξα τὸν βοῦν ἐλαύνει, *currus trahit bovem*. Ergò, inquit, non vos modò auditores diſcite ſubeſſe veſtris in Domino Patribus & Doctoribus; ſed in univerſum ſimiliter omnes ætate juniores, provectioribus, dignitate, virtute, rerumq; uſu præſtantibus. Probatur hæc explicatio ſequentibus, ubi adhuc altiùs evehitur Apoſtolus: *Omnes, omnes*, inquit, *ſubjecti eſtote*, de quo ſuo mox loco. Ex quo & illud apparet, fruſtrà objici huic ſenſui ab Eſtio, quòd juvenes ſenibus reverentiam tantùm debeant, nòn etiam propriè obedientiam. Utramq; debere mox eluceſcet.

Prædicatum continet officium erga ſenes. His enim ſociat illos. Nec ſine cauſa. Ætas hæc lubrica eſt. Eget duce & gubernatore bono: Eccl.11. ℣.10. Nam *& qui venturi ſunt in virtutis adoptionem, illo tamen adoleſcentiæ lubrico, ut non cadant, titubant*, Latin. Pacatus in Panegyr. Theodoſ. Multa multis perperam

Perſuadet teneris heu lubrica moribus ætas,

Claudian. de Raptu Proſerp. l. 3. Ergò

Regenda magis est fervida adolescentia,
Seneca in Octav. cùm in varia & enormia feratur vitia gradu præcipiti. Notus est characterismus Horatianus; juxta quem adolescens

Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusq; amata relinquere pernix &c.

Verissimè ergò quisquis est apud August. serm. 246. in princ. *Flos ætatis, periculum mentis.* Cumq; omnis vita humana septa sit variis tentationibus, qua de causa *homo cùm seculo nascitur, vitam plenam miseriæ, velut Propheta futuri laboris sui, præconio lacrymosæ vocis ingreditur*, ibid. Quid sentiendum est *de flagrantia juvenilis ætatis? utique hæc pluribus atque majoribus tentationum tempestatibus quatitur. Hæc fluctuum crebriore impetu seculi inundantis operitur, &c.* Eadem ætas flexibilis interea est, flecti corrigiq; se sinit. *In cunctis ferè rebus citiùs assuescitur, quod tenerum est. Novellas adhuc & vix firmæ radicis arbusculas, dum ad omnem ductum sequaces sunt, in quamlibet partem flecti facile est, quæ naturâ plerunque curvatæ citò ad arbitrium colentis corriguntur*, Hieronym. ad Demetriad. Ne feras ergò graviter, ô Bonæ Spei juvenis, senibus te dedi in contubernium, & ætates tam disparatas uno necti vinculo.

Udum & molle lutum es, nunc nunc properandus, & acri
Fingendus sine fine rotâ, - Persius Satyr. 3.

Ver est hæc ætas, sic enim Eratosthenes Cyrenæus

ætatem

ætatem vigentem ver, quæ eam consequitur, æstatem & autumnum, & senectutem hiemem esse dicebat apud Stobæum serm. 263. *Culturâ igitur opus habet, quâ concupiscentiæ, voluptatis, iræ furorisq́; ac similium passionum stirpes exscindantur; inserantur autem primùm in puerilis ætatis animas surculi, quorum fructus ipsas enutriet: Bonarum artium & literarum; &c. in juveniles verò perfectiores, plantæ prudentiæ, fortitudinis, temperantiæ, justitiæ, omnisq́; virtutis*, Philo de Agricult. Idq́; faciendum tantò est studiosiùs, quantò ver hoc interit citiùs.

- Festinat enim decurrere velox
Flosculus, angustæ miseræq́; brevissima vitæ
Portio. Dum bibimus, dum serta, unguenta, puellas,
Poscimus, obrepit non intellecta senectus.

Juvenal. Satyr. 9.

Indicat ergò S. Petrus juvenilis conversationis, *objectum, actum, effectum.*

I. Objectum; Non sint impii, non Harpyiæ, non Sirenes illæ, de quibus Prov. 1. 10. Sap. 4. 12. Prov. 5. 2. Sirac. 13. 1. Deß Teuffels Lockvögel. *Anima, quæ capta est, fit aliis laqueus &c. Nam ut perdix comprehensa aliis quasi esca proponitur, quæ nondum captæ sunt: circa illam enim auceps laqueos disponit, ut voce suâ reliquas circumvolitantes ad eos alliciat*, S. Ephrem de Recta Vitæ Rat. num. 22. Ita hîc: nec minore compendio perit *virtus, fama, anima.* Paucorum est, quod Tharsia canit in Histor. Apollonii Tyrii, ut dicere liceat:

Per sordes gradior, sed sordium conscia non sum:
Sic rosa de spinis nescit violarier ullis.

Solis radius etsi commercium habeat cum luto, purus tamen manet & impollutus: at ego idipsum faciens πηγῶν καὶ θαλάττης δεήσομαι, *fontibus & ipso opus habebo Oceano. Conversantem improbis manere in ingenio, nulloq; modo commoveri,* τοῦτο Θεοῦ μὲν ὅμνος ἐστιν, *hæc Dei laus est; homo meritò recuset, suæ sibi conscius & metuens infirmitatis, &c.* Synesius Epist. 57.

Ut qui se flammæ aut fumo junxére propinquos,
Aut flammæ aut fumi referunt in corpore signa;

Gregor. Naz. Carm. 1. de Reb. suis; Ita in conversatione. *Qui apud claudum habitat, claudicare discit. Qui cum canibus dormit, cum pulicibus surgit.* Adhæc verè dictum illud est:

Noscitur ex comite, qui non cognoscitur ex se,

Nati hominis mores divulgat inventa sodalitas, & qui ignoratur per originem, similium clarescit affectu, Ennodius in vita Anton. cap. 4. Deniq; it anima in præceps, malis associata, *& quorum inficitur culpis, eorum feritur & pœnis. Liberanda est igitur vigilanter de periculosis locis navis, ne inter scopulos & saxa frangatur. Exuenda est velociter de incendio sarcina, priusquam flammis supervenientibus crementur. Nemo diu tutus est periculo proximus,* Cyprian. l. 1. Epist. 11. *Væ improbo, & væ vicino ejus!* Hebræorum Proverbium est. Nec Charondæ modò Lex fuit: *Ne quis malorum familiaritate uteretur;* qui & *Actionem pravæ societatis* instituit, gravemq;

vemq; reis mulctam dixit, Diodor. Sicul. l. 12. Eadem antè unici Legislatoris jussio Dei, qui & mysticè *immundis ideò animalibus abstinere jussit*, vide Aristæam de LXX. Interpp. & Clem. Alex. l. 3. Pædag. c. 2. Gen. 19. 17. Num. 16. 26. Esai. 52. 11. Psalm. 1. ℣. 1. Prov. 4. 14. & 13. 20. 1. Cor. 15. 33. 2. Cor. 6. 14. &c. *Demum aut scuto aut pedibus mors vitanda est. Tu qui pugnas & superari potes & vincere. Ego cùm fugero, non vincor in eo, quòd fugio, sed ideò fugio, ne vincar; nulla securitas est vicino serpente dormire; potest fieri, ut me non mordeat; tamen potest fieri, ut aliquando me mordeat*, Hieron. contra Vigilant. Bonis ergò adhærendum. Pastori & Lanio unà iter facientibus occurrit agnus pinguissimus. Is deliberans, in cujus se dederet societatem & fidem, quis uterque esset, exquisivit. Re compertâ Lanium fugit, Pastori se tradidit, & ad illum conversus; Tu, inquit, generis nostri carnifex es; hic verò altor & nutricius, apud Maxim. Tyrium Dissert. 9. Sit igitur conversationis electio, ut adjungamur probatissimis quibusq; senioribus, Nam *ut æqualium usus dulcior*;

[*Ætatum parium similis concordia: narrat*
Cum sene canicies, ludit cum pube juventus,

Author Daretis de Bello Trojano l. 2. ℣. 100.] *ita senum tutior est: qui magisterio quodam & ductu vitæ colorat mores adolescentium, & velut murice probitatis inficit. Nam si hi, qui sunt ignari locorum, cum solertibus viarum iter adoriri gestiunt; quantò magis adolescentes cum senibus debent novum sibi*

dentia teſtantur, ut Apoſtoli allegationem taceam Hebr. 1. ℣. 10. 11. confer Geſner. h. l. 2. Petitum; cujus *præfatio* fiduciali & amabili conſtat Dei alloquio: *Mj Deus*, ſpes & fiducia mea, in cujus manibus ſortes meæ, fons vitæ, baculus ſenectutis meæ: *Petitio* ipſa emphaticũ habet verbum: אל־תעלני *Al-thaaleni*, ne facias me adſcendere Arias M. alii; ne auferas, tollas, ſuccidas, avellas me &c. Variæ Metaphoræ, humanæ vitæ fugacitatem explicantes: Eſt enim quaſi fumus, aut *pulvis*, quem facilè ſuſcitat ventulus, ut adſcendat & evaneſcat, vide h. l. Mollerum. Eſt quaſi *floſculus* aut herba ſolſtitialis, mille caſibus expoſita: Similis eſt *ſtationi militis*, quæ & certam habet ex lege horam, & ex Ducis imperio nullam, undè Vulgatus; *ne revoces me!* Cùm vita ergò noſtra adeò vana ſit; *Nam inſomnium quaſi ſumus minimè conſiſtens, ſpectrum, quod teneri nequit; avis prætereuntis volatus, navis in mari veſtigium non habens, pulvis, vapor, ros matutinus, flos ſuo tempore naſcens, & ſuo tempore marceſcens, &c.* Greg. Naz. Orat. 10. obſecrat Deum vitæ authorem & moderatorem ſuæ, & diutiùs ſe velit ſupereſſe, nec adeò properet auferre è medio: Non quòd mori deprecetur, in quo ſitam ſcit beatiſſimam fidelium requiem, ſed quòd in dimidio dierum ſuorum mori; ut ſolent crudeles & impii, quibus fatale tamen ante diem vindex Dei manus abrumpere conſuevit, Pſalm. 55. 24. Hæc petitio; conſidero autem 3. quoque Petitionis finem;

nec

nec enim piis per se sola longa vita optabilis adeò est; quam Seneca *Vermium & Muscarum Bonum* vocat l. 3. de Benef. cap. 31. ut graviter moneat S. Augustinus l. Quinquag. serm. 1. *Quisquis es amator longæ vitæ, esto potiùs bonæ vitæ. Nam si malè vivere volueris, longa vita non erit verum bonum, sed longum malum*: & Paulinus ad Licent. scitè dixit:

Vive, precor, sed vive Deo: nam vivere mundo
Mortis opus; viva est vivere vita Deo!

Alioqui ζωὴ θανάτου παντὸς χαλεπωτέρα, *vita omni pejor est morte*, Chrysost. de jejun. nec nullo certo, aut verò etiam improbo fine exoptat se longæviorem pia illa mens; non ut diutiùs opibus inhiare, voluptatibus indulgere, Genio litare, dignitates ambire liceat, quæ stultorum vota sunt, quos tandem mors inopina opprimit, frustrà invidiam objectantes, quòd destinata ad umbilicum perducere non licuerit. *Hæc sunt consilia mortalium! hæc vota magnarum cogitationum!* Petron. in Satyr. Absit, ut tale πάθος eveniat Bonæ Menti! Itaque quæ petitionis hujus causa fuerit, præmisit noster ille petitor, Psalm. 102. cit. ℣. 14. 17. 22. 23. Videre gestiit novam Jerusalem, videre Regem Christum &c. *Ne tollas me*, inquit, *de mundo isto in dimidio dierum meorum: adduc me ad mundum venturum*, juxta Chaldæum Interp. in quo pax & justitia se exosculabuntur, &c.

Habes ergò in hoc voto, præter exemplum ardentissimi desiderii fruendi Rege & Regno Mes-

ſiæ, quod in ruborem meritò dare debet oſcitantiam & faſtidium noſtrum; Documenta *de vitæ longævitate*, cujus 1. *Author* Deus, Fons ille vivus, Pſalm. 42. 2. qui vitam ut omnibus dat, datamq; conſervat; Actor. 17. 25. 27. Job. 10. 12. ſic longævam piis ſæpè promiſit, promiſſamq; præſtitit, Exod. 20. 12. Pſalm. 91. 16. &c. Author ſolus & quidem omnis veræ vitæ, naturalis, gratioſæ, glorioſæ, quem & pro iſto dono fideles implorare ſoliti ſunt, ut David Pſalm. 119. 17. 116. 175. & 143. ỳ. 11. Hiskias Eſai. c. 38. 2. *Finis verus*: Vivere Deo, qui vitam dedit, ac meritò repoſcit,

Totoq; noſtra jure Domini vindicat
& corda, & ora, & tempora;
Se cogitari, intelligi, credi, legi,
Se vult timeri, & diligi.

S. Paulin. Epiſt. 1. ad Auſon. Vivit autem Deo, qui, mundo & peccato mortuus, ſic proximo vivit, ut propter Deum; ſic ſibi, ut diſcat bene nôſſe Deum & bene poſſe mori. *Ita vivere totâ vitâ diſcendum eſt: & quod magis fortaſſe miraberis, totâ vitâ diſcendum eſt mori*, Seneca de Brev. Vitæ cap. 7. Quæ pro dignitate ſi vellem exſequi, ſpacioſus ineundus eſſet campus; hîc anguſtiore me gyro incluſi. 3. *Media & Remedia*, quibus longævitas comparetur, oſtendunt 1. *diæta* à Deo Medico præſcripta, paſſim per Sacras literas, quæ donum hoc obedientiæ, pietati, miſericordiæ, ſobrietati, caſtitati, manſuetudini aliisq; virtutibus promittunt, Deut. 6. 2. Prov. 3. 2. 16. 21. & cap. 21. 21. 1. Tim. 4. 8. Matth. 5. 5.

Sirac.

Sirac. 37. 34. Job. 5. 17. 25. &c. 2. *exempla longævorum*, ut Patrum antediluvianorum, de quorum longævitate, & causis, Interpp. in Genes. cap. 5. hîc non inculcanda. Alia Ravisii Officina suppeditat. Ex quibus omnibus extrui potest 1. *Informatio*; vitam longævam licitè à Deo peti; mortem autem temerè optari non debere: qua de re D. Gerhard. de Morte Tom. VIII. num. 67. 2. *Refutatio*; Stoici illius & Astronomici fati, quod multos hodiè defensores invenit: *Ortum finemq; vitæ; actus etiam nostros universos, studia, cupiditatesq;, & quicquid illud est, quod ad humanæ rationis conversationem pertinet, fatalis necessitatis inevitabili sententiâ contineri*, ut Firmicus ait l. 1. Astronom. cap. 3. Nam, si ante & extra omnem causarum prævisionem fatale punctum absoluto Dei decreto cuique ab æterno fixum est, irritæ non modò sunt omnes illiusmodi preces, sed & impiæ: Rectè responderetur ad omnes illud vulgatum:

Desine fata Deûm flecti sperare precando.

Vide D. Gerhard. l. cit. num. 61. 3. *Exhortatio*; vitam ergò piè prudenterq; instituamus, ne fatalem illam horam acceleremus: Mortem venientem promptè excipiamus, ut missam à Deo &c. Denique ut ad pensum meum tandem accedam; Discant Juvenes, *Senectutis coronam obedientiæ palmam esse*: Discant Senes *longævitatem suam Dei donum esse*, ne de ea querantur, ut fieri amat. Nam *Senectutem ut adipiscantur, omnes optant, eandem accu-*

ſant adepti, Cicero de Seneꝏ. ut verè dictum fuerit à Theodecte apud Stobæum ſerm. 66:

Similis ſenectus eſt in hac re nuptiis;
Et has & illam cupimus admodum adſequi;
Et has & illam dein adepti, ringimur.

Agemus igitur de Officis

I. JUVENUM.

Apoſtolica hæc Periocha continet Exhortationem 1. Specialem ad Juniores: 2. Generalem ad omnes.

De Priore; *Subjectum* ſunt νεώτεροι & quidem *Presbyteris* relativè oppoſiti. Beda ergò per juniores intellexit *ordinis inferioris clericos*; per Presbyteros *Senatum Eccleſiæ*. Sequitur Bened. Juſtinianus & argumenta affert 1. ex vocabulo ὁμοίως, quo ad præcedentem admonitionem reſpicitur, ad Presbyteros dignitate directam. 2. Quia non eſt veriſimile, nomine hoc Presbyterorum Apoſtolum aliter uſum ℣. 5. atque ℣. 1. Jam 3. S. Ignatii M. ſimilis ſententia eſt ad Philadelph. *Laici ſubſint Diaconis; Diaconi Presbyteris; Presbyteri Epiſcopo; Epiſcopus Chriſto, ut ipſe Patri.* Objicit Beza conſuetudinem Eccleſiæ, quæ juvenes procul dubio ad ſacra munia non promovit. Eſtius itaq; juvenes intelligit ſubditos, 1. Quia & alibi νεώτεροι ſubditi, ut Luc. 22. 26. 2. Quia illud, ſimiliter, ſignificare videtur officium reciprocum bene regendi & promptè obediendi. 3. Quia idem S. Paulus:

lus: Obedite præpositis vestris & subjacete eis, Hebr.13.17. Communis tamen expositio est, agi de junioribus & senioribus ætate. Transfert enim Apostolus hypothesin ad thesin, & compendio sic ostendit officii, quod Dei Ministris debent auditores, qualitatem, ut simul expromat æquitatem ac necessitatem. Æquum enim, imò necessarium est, ut ætate inferiores majorum sequantur ductum, ne fiat illud, quod dici solet: ἄνω ποταμῶν, *sursum flumina!* aut istud: ἡ ἄμαξα τὸν βοῦν ἐλαύνει, *currus trahit bovem*. Ergò, inquit, non vos modò auditores discite subesse vestris in Domino Patribus & Doctoribus; sed in universum similiter omnes ætate juniores, provectioribus, dignitate, virtute, rerumq; usu præstantibus. Probatur hæc explicatio sequentibus, ubi adhuc altiùs evehitur Apostolus: *Omnes, omnes*, inquit, *subjecti estote*, de quo suo mox loco. Ex quo & illud apparet, frustrà objici huic sensui ab Estio, quòd juvenes senibus reverentiam tantùm debeant, nòn etiam propriè obedientiam. Utramq; debere mox elucescet.

Prædicatum continet officium erga senes. His enim sociat illos. Nec sine causa. Ætas hæc lubrica est. Eget duce & gubernatore bono: Eccl.11, ℣.10. Nam *& qui venturi sunt in virtutis adoptionem, illo tamen adolescentiæ lubrico, ut non cadant, titubant*, Latin. Pacatus in Panegyr. Theodosij. Multa multis perperam

Persuadet teneris heu lubrica moribus ætas,

Claudian. de Raptu Proserp. l. 3. Ergò

Regenda magis est fervida adolescentia, Seneca in Octav. cùm in varia & enormia feratur vitia gradu præcipiti. Notus est characterismus Horatianus; juxta quem adolescens

Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusq; amata relinquere pernix &c.

Verissimè ergò quisquis est apud August. serm. 246. in princ. *Flos ætatis, periculum mentis.* Cumq; omnis vita humana septa sit variis tentationibus, qua de causa *homo cùm seculo nascitur, vitam plenam miseriæ, velut Propheta futuri laboris sui, præconio lacrymosæ vocis ingreditur*, ibid. Quid sentiendum est *de flagrantia juvenilis ætatis? utique hæc pluribus atque majoribus tentationum tempestatibus quatitur. Hæc fluctuum crebriore impetu seculi inundantis operitur, &c.* Eadem ætas flexibilis interea est, flecti corrigiq; se sinit. *In cunctis ferè rebus citiùs assuescitur, quod tenerum est. Novellas adhuc & vix firmæ radicis arbusculas, dum ad omnem ductum sequaces sunt, in quamlibet partem flecti facile est, quæ naturâ plerunque curvatæ citò ad arbitrium colentis corriguntur*, Hieronym. ad Demetriad. Ne feras ergò graviter, ô Bonæ Spei juvenis, senibus te dedi in contubernium, & ætates tam disparatas uno necti vinculo.

Udum & molle lutum es, nunc nunc properandus, & acri
Fingendus sine fine rotâ, - Persius Satyr. 3.

Ver est hæc ætas, sic enim Eratosthenes Cyrenæus

ætatem

ætatem vigentem ver, quæ eam consequitur, æstatem & autumnum, & senectutem hiemem esse dicebat apud Stobæum serm. 263. *Culturâ igitur opus habet, quâ concupiscentiæ, voluptatis, iræ furorisq; ac similium passionum stirpes exscindantur; inserantur autem primùm in puerilis ætatis animas surculi, quorum fructus ipsas enutriet: Bonarum artium & literarum; &c. in juveniles verò perfectiores, plantæ prudentiæ, fortitudinis, temperantiæ, justitiæ, omnisq; virtutis,* Philo de Agricult. Idq; faciendum tantò est studiosiùs, quantò ver hoc interit citiùs.

- *Festinat enim decurrere velox*
Flosculus, angustæ miseræq; brevissima vitæ
Portio. Dum bibimus, dum serta, unguenta, puellas,
Poscimus, obrepit non intellecta senectus.

Juvenal. Satyr. 9.

Indicat ergò S. Petrus juvenilis conversationis, *objectum, actum, effectum.*

I. Objectum; Non sint impii, non Harpyiæ, non Sirenes illæ, de quibus Prov. 1. 10. Sap. 4. 12. Prov. 5. 2. Sirac. 13. 1. Deß Teuffels Lockvögel. *Anima, quæ capta est, fit aliis laqueus &c. Nam ut perdix comprehensa aliis quasi esca proponitur, quæ nondum captæ sunt: circa illam enim auceps laqueos disponit, ut voce suâ reliquas circumvolitantes ad eos alliciat*, S. Ephrem de Recta Vitæ Rat. num. 22. Ita hîc: nec minore compendio perit *virtus, fama, anima.* Paucorum est, quod Tharsia canit in Histor. Apollonii Tyrii, ut dicere liceat:

Per sordes gradior, sed sordium conscia non sum:
Sic rosa de spinis nescit violarier ullis.

Solis radius etsi commercium habeat cum luto, purus tamen manet & impollutus: at ego idipsum faciens πηγῶν καὶ θαλάττης δεήσομαι, *fontibus & ipso opus habebo Oceano. Conversantem improbis manere in ingenio, nulloq; modo commoveri,* τοῦτο Θεοῦ μὲν ὅμνος ἐστιν, *hæc Dei laus est; homo meritò recuset, suæ sibi conscius & metuens infirmitatis, &c.* Synesius Epist. 57.

Ut qui se flammæ aut fumo junxére propinquos,
Aut flammæ aut fumi referunt in corpore signa;

Gregor. Naz. Carm. 1. de Reb. suis; Ita in conversatione. *Qui apud claudum habitat, claudicare discit. Qui cum canibus dormit, cum pulicibus surgit.* Adhæc verè dictum illud est:

Noscitur ex comite, qui non cognoscitur ex se,

Nati hominis mores divulgat inventa sodalitas, & qui ignoratur per originem, similium clarescit affectu, Ennodius in vita Anton. cap. 4. Deniq; it anima in præceps, malis associata, *& quorum inficitur culpis, eorum feritur & pœnis. Liberanda est igitur vigilanter de periculosis locis navis, ne inter scopulos & saxa frangatur. Exuenda est velociter de incendio sarcina, priusquam flammis supervenientibus crementur. Nemo diu tutus est periculo proximus,* Cyprian. l. 1. Epist. 11. *Væ improbo, & væ vicino ejus!* Hebræorum Proverbium est. Nec Charondæ modò Lex fuit: *Ne quis malorum familiaritate uteretur;* qui & *Actionem pravæ societatis* instituit, gravemq;

vemq; reis mulctam dixit, Diodor. Sicul. l. 12. Eadem antè unici Legislatoris jussio Dei, qui & mysticè *immundis ideò animalibus abstinere jussit*, vide Aristæam de LXX. Interpp. & Clem. Alex. l. 3. Pædag. c. 2. Gen. 19. 17. Num. 16. 26. Esai. 52. 11. Psalm. 1. ℣. 1. Prov. 4. 14. & 13. 20. 1. Cor. 15. 33. 2. Cor. 6. 14. &c. *Demum aut scuto aut pedibus mors vitanda est. Tu qui pugnas & superari potes & vincere. Ego cùm fugero, non vincor in eo, quòd fugio, sed ideò fugio, ne vincar; nulla securitas est vicino serpente dormire; potest fieri, ut me non mordeat; tamen potest fieri, ut aliquando me mordeat*, Hieron. contra Vigilant. Bonis ergò adhærendum. Pastori & Lanio unà iter facientibus occurrit agnus pinguissimus. Is deliberans, in cujus se dederet societatem & fidem, quis uterque esset, exquisivit. Re compertâ Lanium fugit, Pastori se tradidit, & ad illum conversus; Tu, inquit, generis nostri carnifex es; hic verò altor & nutricius, apud Maxim. Tyrium Dissert. 9. Sit igitur conversationis electio, ut adjungamur probatissimis quibusq; senioribus, Nam *ut æqualium usus dulcior*;

[*Ætatum parium similis concordia: narrat*
Cum sene canicies, ludit cum pube juventus,

Author Daretis de Bello Trojano l. 2. ℣. 100.] *ita senum tutior est: qui magisterio quodam & ductu vitæ colorat mores adolescentium, & velut murice probitatis inficit. Nam si hi, qui sunt ignari locorum, cum solertibus viarum iter adoriri gestiunt; quantò magis adolescentes cum senibus debent novum sibi*

vitæ & iter aggredi, quò minùs errare possint, (in bivio illo Herculis constituti) *& à vero tramite virtutis deflectere,* Ambrosius l. 1. Offic. cap. 43.

2. Actus ipsumq; officium consistit in eo, ut juvenes seniores 1. Non spernant, quod & animi affectu fit, cùm odére, aut vilipendunt; & vario gestu, opereq; ipso. Das Ey will immer gescheider seyn als die Henne. *Quid est aliud vir senex quàm vox & umbra!* ait ille apud Euripid. *Senes bis pueri.*

Vir est molestus junioribus senex,

ait Menander. *Odiosa hæc ætas est adolescentulis,* Terent. Et quantò horum ingenium magè præcox est; tantò & procax. Quo fit, ut senum prudentia & in consiliis maturitas juvenibus ipsis senio sit & odio. Qui contemptus magno sæpè stetit, ut vel sacra exempla testantur, vide 1. Reg. 12. 10. & 2. Reg. 2. ℣. 23. At *frustrà flores suos majoris æstimat juventus, quàm fructus senectutis. Cassi illi sæpè & inanes; hi dulces & salubres. Ego nisi de messe non gratulor, ut solet avarus agricola, qui ubertatem anni nisi in horreis non metitur,* ait Ennodius ad Johann. in Monum. Orthod. p. 284. Senes docere vis, nunquid *Sus Minervam?* aut *cæca cauda viam ostendet capiti oculàto?* vide Esai. 9. 14. ubi senes caput, cauda juvenes. Quid ergò? 2. Colant, audiant, obediant, vide Levit. 19. 32. Esai. 3. 2. 5. Sirac. 6. 35. & 8. 7. 11. *Colant;* Prov. 16. 31. ut Rerump. fulcra, Ecclesiæ columina, familiæ lumina.

Plus

Plus valet umbra senum, quàm gladius juvenum.

Nive hac solutâ multum fit luti. Obice hoc remoto, perrumpunt malorum torrentes. Cadentibus his tibicinibus, stare Resp. diu nequit. Clausis his oculis, omnia tenebrescunt. Remotis his naucleris, in Syrtes & scopulos fertur navigium. Exempla notissima sunt, nec opus est, ut Soli præferam facem. Ergò, ut ait Phocylides,

Incanum reverere caput; concede senectæ
Sede & honore omni: majorem denique natu
Æqualemve Patri æquali cole semper honore.

Qua de causa rectè à Platone illud inter leges relatum: *Quisq; seniorem, re & verbo, colat. Ac si viginti annis major est, quasi Patrem, si vir fuerit; aut si mulier, quasi Matrem revereatur*, lib. 9.

Magna fuit quondam capitis reverentia cani:

In populo Dei, cujus legem & mores Levit. 19. l. c. Thren. 5. 12. 14. Job. 29. 8. *Ægyptii* apud Herodot. l. 2. *Lacedæmonii* ex lege Lycurgi, Xenophon. de Lacedæmon. Repub. Plutarch. an seni ger. Resp. &c. *Romani* Halicarnass. l. 6. cap. 57. A. Gell. l. 2. cap. 15. aliæq; nationes imitatæ: undè Juvenalis;

Credebant hoc grande nefas & morte piandum,
Si juvenis vetulo non assurrexerat -

Satyr. 13. Adeò in honore senectutis omnes gentes nationesq;, degeneres paucas humani ritus & genii excipe, conspirâsse videntur. *Audiant*; & ab illis discant. Nam

Ultima

Ultima consiliis melior, sed viribus ægra,
Corpore succumbit, mentem purgata senectus,
Prudent. l. 2. adv. Symmach.

Quare si sapiens, & si pius es puer: audi
Et cape verba Patrum consiliumq; senum,
S. Paulin. ad Licent. Deut. 32. 7. Job. 8. 8. 9. Joël. 1. 3. Sir. 8. 11. Hic enim ordo est; *omnem disciplinam pueri discunt, juvenes ostentant, senes docent*, Apulejus 4. Florid. Sic

A bove majori discit arare minor.

Sed & denique *obediant*; Quid enim prodest audientia, si desit obedientia? quæ senibus debetur, & quia Patrum loco sunt, & quia prudentiâ rerumq; usu antecellunt: ut sperni eorum consilia neque illinc possint sine impietate, neque hinc sine temeritate. Πειθαρχικὸν ἡ νεότης, ἡγεμονικὸν δὲ τὸ γῆρας, *ad parendum facti sunt juvenes, ad imperandum senes*, Plutarch. An seni ger. Resp. Itaque apud plerasque gentes senibus clavi Rerumpubl. traditi, de quo mox,

Nomen & ætatis mite Senatus habet,

ut & apud Hebræos, & Græcos. Habet tamen obedientia quoq; hæc, ut omnis post eam, quæ Deo debetur, fines suos. Et ut alicubi dixit Petrus Chrysolog. *Obsequium, ratione calens, fervor est; ratione carens, furor.* Non itaque simpliciter *sequendi sunt nobis Parentes, qui secuti sunt feliciter suos*, ut putavit Symmach. in Relat. *Non annorum canicies est laudanda, sed morum*, Ambros. contra Relat. vide Job. 32. 8. 9. Ezech. 20. 18, *Neque vetulus cantherius*

rius quàm novellus melior, nec canitudini comes virtus, Varro Aborig. apud Non. Marcell. &c.

3. Effectus; ſic Gratiam dabit Deus. Coronabit juvenes coronâ *virtutum, honorum, lætæ conſcientiæ*. Virtutum; ad quas Senum ipſe adſpectus illex eſſe poteſt, & dux. *Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis adſiſtat. Et ô felicem illum, qui ſic aliquem vereri poteſt, ut ad memoriam quoque ejus ſe componat, atque ordinet. Qui ſic aliquem vereri poteſt, citò erit verendus*, Seneca Epiſt. 11. *Nulla eſt libido tàm vecors, quam non capiat, quum in conſortium temperantia venerit: Dejicit oculos deformis ignavia, ubi ei pulchritudo virtutis objecta: tergiverſari atque hærere petulantiam videas, gravitate modeſtiæ & decore confuſam*; Nazarius in Panegyr. Conſtantini Imp. ut Chamæleon, ad quoscunq; ſe applicuerit, eos induit colores; ſic juventus. Fitq; ſæpè, ut ante canos capitis caneſcat animo. Talis fuit S. Macarius Ægyptiis, ob præcocem virtutem παιδαριογέρων dictus, Pallad. Lauſiac. Hiſt. cap. 19. *ætate juvenis, maturitate ſenex*, Hieron. l. 1. Comm. in Eſai. Talis Aurelius apud Cyprianum, *in annis adhuc novellus, ſed in virtutis ac fidei laude provectus. Minor in ætatis ſuæ indole, ſed major in honore*, l. 2. Epiſt. 5. Sic Scipio Africanus & Pompejus *ætatis curſum virtute provecti*, Panegyr. Max. & Conſtant. Sic Julianus ἐν μείρακι πρεσβύτης, Eunap. in Maximo, & apud Ammian. Marcell. l. 25. *Virtute ſenior quàm ætate*. Sic Piſo apud Silium Italic. l. 8.

Ore

Ore puer, puerig; habitu, sed corde sagaci
Æquabat senium, atq; actu superaverat annos.

Sic Carolus Ludov. Imp. Filius *agili prudentiæ studio immaturam vincendo propriam superabat ætatem*, apud Frechulph. in præfat. l. 8. Chron. Sic Fridericus Barbarossa apud Günther. l. 1. ℣. 285.

Mente senex, ætate puer, - & ℣. 110:
- *meritisq; supervenit annos*,

ubi vide Rittershus. Notas. Sic ille Chæremonis Medici discipulus *adspectu adolescens*, & *quantum ad ingenium pertinet senex*, Symphosius in Hist. Apollon. Tyrii. Habetis, juvenes, quod & sectari & sperare debeatis. Porrò juventutis decus, corona virtutum, non uno tantùm aut altero constat flore. *Nobilia serta nisi multiplicibus pratorum non componuntur spoliis: ex variis gemmis una diadematis solet constare formatio: semper admirabilis electri corpus numerosa metallorum membra pepererunt*, ait de hac ipsa Ennodius in Epist. ad Ambros. & Beat. Monum. Orthod. pag. 469. Præcipuè tamen ornant hanc ætatem 1. Caltha Pietatis, Solem quasi suum semper respiciens; Psalm. 119. 9. Eccles. 12. 1. Tob. 4. 6.

Nulla Dei siquidem est acceptior hostia, quàm quæ
Immaculata tibi primis offertur in annis,

Alcim. Avit. ad Soror. Fuscin. *Beatus planè, qui vel in senectute correxit errorem; beatus, qui vel sub ictu mortis animum convertit à vitiis.* Ambros. de Obitu Valentin. Sed quantò beatiùs juvenem ferre jugum Domini ab adolescentia; Thren. 3. 27.

Matth.

Matth. 11. 28. Nam *in his, qui jam provectioris ætatis crediderunt, inest quidem præteritorum, per donum gratiæ, indulgentia; sed non abest, per conscientiæ naturam, gestorum recordatio*, Hilarius in Psalm. 118, lit. Beth. Itaq; ei, *qui post decursæ juventutis annos jugum tulerit, non est statim perfectum bonum. Stimulant enim eum peccata sua, exagitat conscientiam consuetudo peccandi, & usus erroris instabilem facit. Luctandum est diu hujusmodi viro, ut abolere faciat inveterata atque diuturna.* Ambros. in eund. Psalm.

Quid retrahis fera colla jugo? mea sarcina lenis,
Suave jugum: Christi est vox pia; crede Deo.

S. Paulin. ad Licent. 2. Lilium castitatis; flos, in quo omnes juventutis Veneres & venustates, qui ubi emarcuit,

Nulli ullum pueri, nullæ optavére puellæ.

Castitas munimentum est sanctimoniæ, & expugnatio fortis infamiæ: Pronuba sanctitatis, & repudium turpitudinis: honestatis portus, & ignominiæ naufragalis locus, &c. Cyprian. aut quisquis est de singular. Cleric. vide 1. Cor. 7. 34. Tit. 2. 5. Sap. 6. 20. & exempla Josephi Gen. 39. 8. Tobiæ cap. 8. 5. Salomonis Sap. 8. 20. &c. nota sunt. Acolasti illi, qui in omni se volutabro mergunt, ad exitium festinant, velut avis ad laqueum, nec patrimonia tantùm prodigunt, sed & corpora & animas, Proverb. 5. 3. 6. cap. 7. 23. Luc. 15. 13. *Libidinosa & intemperans adolescentia effœtum corpus tradit senectuti,* ait Cicero de Senect. & probat experientia. Bene au-

tem Ennodius l. cit. ad Ambros. & Beat. cùm ad castitatem exhortatus esset adolescentes; *hac tamen,* inquit, *ventris castigatione procuretur, ne inimica ejus ferculorum populosis nutriatur erroribus.*

Pinguia nam tenuem suffocant corpora sensum,
Et malefarcta suas conculcant viscera mentes,

Ita ille. Cohæret 3. Rosa verecundiæ; non Veneris adulterino, ut de Rosa fingunt Poëtæ; sed Bonæ Mentis ingenuo sanguine purpurans; proprium adolescentiæ ornamentum: *Ut enim in senibus gravitas, in juvenibus alacritas; ita in adolescentibus verecundia velut quâdam dote commendatur naturæ,* Ambros. l. 1. Offic. cap. 17. Exemplum Joseph: *Ita castus, ut ne sermonem quidem audire vellet nisi pudicum; humilis, usque ad servitutem; verecundus, usque ad fugam; patiens, usque ad carcerem; remissor injuriæ, usque ad remunerationem. Cujus tanta verecundia fuit, ut comprehensus à muliere, vestem in manibus ejus fugiens mallet relinquere, quàm verecundiam deponere,* ibid. *Est verecundia pudicitiæ comes, cujus societate castitas ipsa tutior est, &c.* Ibid. Sed & cæterarum virtutum quasi pædagogus est & custos ingenuus pudor. Estq; inter verecundiæ innumera præconia hoc verissimũ, quòd sit *Bonæ Spei nuncia, bonæ indolis index,* apud Bernhard. serm. 86. in Cant. Gratiæ & gloriæ Pronuba, Sirac. 32. 14. Nullum æquè manifestum indicium columbinæ simplicitatis, & ideò etiam *testis innocentiæ,* Bernh. l. cit. *Ergò ad disciplinarum arcem properantes, matrem bonorum operum*

amate

amate verecundiam, quæ ita ex se variarum species virtutum, fœcunda & virgo, parturit, ut impudentia procax & corrupta, vitiorum, Ennod. loc. cit. His omnibus ante omnia inseratur 4. Fidei & Sapientiæ Christianæ Amarãtus purpureus, immarcessibilis, gloriæ & æternæ coronam tandem pariens *amarantinam*, 1. Pet. 5. 3. Mater virtutum omnium, vitiorum victrix & triumphatrix, undè pudicitia apud Ennodium l. cit. sic ait:

At mihi crux cuspis, crux scutum, cruxq; corona:
Hac tegar, hac feriam, hac pacis fœdera firmem.
Hæc mihi Dux belli, quo victrix, lubrica calcans,
Dira cupidinei detestor mella veneni.

Fides, inquit, *sicut in emendatis moribus principem locum obtinet; Ita suis spoliata dotibus non tenetur &c.* Et vel ob hanc solam senibus adhærescere juvenes oportebat, canamq; ex eorum ore bibere fidem, quâ & ipsi animo canescant, & dicere possint illud:

Canescant alii mento, nos mente: capillo;
Nos animo: facie; nos pectore: tempora quippè
Virtutem non prima negant, non ultima donant,

sic Poëta Britannus in Daret. Bello Trojano, l. 1. ℣. 20. Hoc studium fuit Davidis, Psalm. 119. 9. 99. Salomonis, Sap. 8. 1. Timothei, 2. Tim. 3. 15. Sapienter ergò Siracides commendat, cap. 6. 18. & passim. Sic Vicelinus, Aldenburgensis pòst circa ann. 1128. Episcopus, sub Hartmanno quodam Padebornensi studiis operatus, perdius & pernox in bonis literis assiduus & accubuus, dicenti aliquando

Præceptori; ô Viceline, nimis præcipitanter agis, habes ſat multum adhuc temporis, in quo plurima poſſis addiſcere; reſpondit, ut eſt apud Helmold. in Chron. Slavor. cap. 43. Cranz. in Metropol. l. 6. c. 11. his verſibus: - *Ecce recordor,*

Me libris tardas applicuiſſe manus:

Feſtinare decet, patitur dum tempus & ætas.

Quaſi diceret cum Ben Sira: *Dies brevis, & opus multum:* aut cum Hippocrate: *Vita brevis, ars longa, occaſio præceps, &c. Vos ergò, ô juvenes, maximè monemus & hortamur, ut veræ virtutis pulchritudine capiamini. Nulla ſpecies terrena vel cœleſtis, nullus fulgor metallorum, nulla nemorum amœnitas, nulla florum purpuræ, nullus vel naturalis vel adhibitus carnis ornatus, nullus quarumlibet chordarum atque tibiarum ſonus, nulla odorum jucunditas, nulla ſaporum ſuavitas, nulli amplexus; pulchritudini, inſpirationi, dulcedini, fomentis Sapientiæ comparantur,* Auguſt. ſerm. cit. 247. de Temp. Supereſt 5. Viola illa humilitatis, quâ ad Sapientiam contendentibus nullum magis neceſſariũ eſt ἐφόδιον. Tum quia, ut Bion rectè cenſuit apud Laërtium, *ſtulta illa philautiæ perſuaſio,* τῆς προκοπῆς ἐγκοπὴ, *profectus impedimentum eſt:* [*Multi ad Sapientiam pervenirent,* quibus ipſa quaſi Minerva tæniam porrigit ut apud Petronium Trimalchioni, *niſi ſtultè crederent, ſe jam perveniſſe.* Statim *ſapiunt, ſtatim ſciunt omnia: neminem verentur, imitantur neminem, atq; ipſi ſibi exempla ſunt,* Plin. l. 8. Epiſt. 23.

Τὸ νέον ἅπαν ὑψηλόν ἐστι καὶ θρασύ,

Juve-

Juvenilis indoles superba est & procax.
Atq; adeò *semper magno ingenio adolescentes refrenandi potiùs à gloria, quàm incitandi sunt*, Cicero pro Cœlio.] cùm quia ante Virtutem, ante Sapientiam sudorem, ut ait Hesiodus, posuit divina providentia, quæ tantum thesaurum noluit obvenire dormitantibus: tum & denique, quia ipsa senum conversatio, animus morosus, aspera Virtutum exactio, patientiam desiderant, cujus humilitas comes aut potiùs nutricula est.

Doctor amarus enim discenti semper Ephebo,
Nec dulcis ulli disciplina infantiæ est,

Prudent. Peri Steph. hymn. 12. ꝟ. 27. Esto igitur humilis, esto patiens, cole Virtutem hanc, quàm raram tam charam in juventute. *Rara sanè est in juvenibus humilitas, ideoq; miranda. In qua ætate subjectio degeneris conscientiæ æstimatur esse infirmitas*, ut docet S. Ambros. in Psalm. 118. 141. serm. 18. specta granda præmium & securus exspecta. Quid enim? *Multi multa patiuntur propter pecuniam perituram; & tu non vis pati propter vitam mansuram? Sic recusas laborare pro Dei promissis; quasi non laborares pro cupiditatibus tuis? Quanta patiuntur pro sua iniquitate latrones? quanta patiuntur pro suis sceleribus perditi? pro sua nequitia luxuriosi? pro sua avaritia negotiatores, mare transmeantes, ventis tempestatibusq; corpus & animam committentes, sua relinquentes, ignota quærentes? Quid ergò magnum imperat tibi Sapientia, quod non posset imperare & avaritia?* Augustin. serm. 245. Potuit Jasonem

juvenem per ſaxa per ignes ducere famæ cupiditas, - *tu ſola animos mentemq́, peruris,*

Gloria: Te viridem videt immunemq́, ſenecta

Phaſidis in ripa ſtantem, juvenesq́, vocantem,

Valer. Flacc. l. 1. Argonaut. Non poſſit te vera illa & æterna gloria ſuſcitare, quæ humilitatem, patientiam, fidem conſequitur? Nam, quod & præmonuimus, coronam Virtutum excipit certo ordine corona honorum. A Virtutis ſacella in Honoris fanum rectà tranſitur, Valer. Max. l. 1. cap. 1. Itaque *plurimum laudis juvenes noſtri moribus ſuis applicant, quoties, de negotiorum meritis ambigentes, ad peritorum conſilia decurrunt*, Sidonius Apollin. l. 1. Epiſt. 10. *Quædam*, ait Symmachus, *ſcintilla eſt Sapientiæ Virtutum luminibus applicari.* Et Plinio judice l. 1. Epiſt. 17. *Virtutibus abundat, qui alienas amat.* Sic Heſychius in Levit. 19. l. 6. Comm. p. 459. duas allegat rationes, cur honorare ſenes æquum bonumq; ſit? *Habet enim tempus*, inquit, *aliquid amplius procul dubio ad prudentiam; ſed & honorem, quem provectioribus impendimus, nos quoque à minoribus merebimur.* Deniq; quanta fuit Joſephi gloria, quanta Danielis? fuit ille Principum Princeps, hic judex judicum. Tantum valet Virtus in animo juvenili ſenilis! Tandem læta conſcientia beabit, cujus præmium inæſtimabile eſt. *Da labores juventutis tuæ Chriſto, & in ſenectute gaudebis ſuper pacatiſſimæ quietis opibus: ea, quæ in juventute congregaverimus, cùm in ſenectute poſtea debiles fuerimus, non nutriunt & conſolantur. Laboremus*

juvenes

juvenes ardenter, curramus sobriè & vigilanter: mors enim incerta horis omnibus imminet, ait Johannes Climacus Scalæ Paradisi gradu primo sub fin. Ergò, ut cum Columella dicam,

Invigilate viri; tacito nam tempora gressu
Diffugiunt, nulloq́; sono convertitur annus,

At si surdâ hæc aure spreveris, teq́; omnibus immerseris vitiis, ô mea juventus, frustrà pòst paulò que reris:

O mihi transactos referat si pristina soles
Lætificis aurora rotis! cum Licentio ad August.

Cui evenit, quod antè prædixerat S. Paul. ad Licent.

Serus, & incassum spes accusabis inanes,
Et modò, quæ nectis, rumpere vincla voles.

Heu quàm sæpè id usus reipsâ comprobat, nec solus Tibullus dixerit:

Vidi jam juvenem, premeret cùm serior ætas,
Mœrentem stultos præteriisse dies.

Lib. 1. eleg. 4. Ita ille:

Damna fleo rerum, sed plus fleo damna dierum,
Quisq; potest rebus succurrere, nemo diebus.

Tantum de Officio Juvenum, de quo summatim Ambros. 1. Offic. c. 17. *Est igitur bonorum adolescentium timorem Dei habere, deferre Parentibus honorem, habere senioribus reverentiam, castitatem tueri, non aspernari humilitatem, diligere clementiam ac verecundiam, quæ ornamento sunt minori ætati. Eò spectat pulcherrimum jusjurandum. Persarum juvenum*, cùm ex Ephebis excessissent: *Ego contemnam omne malum lucrum, contemnam corporis*

voluptatem, contemnam inanem gloriam: æmulabor autem Virtutem, & colam divinum Numen ac Parentes, vera dicens, & bona agens, neque horum quippiam ſciens violabo & valens, apud Iſidorum Peluſiot. l. 4. Epiſt. 198. Pulchrum quoque ſimile *juramentum juvenum Atticorum* in fano Agrauli, quæ filia fuit Cecropis, præſtitum anno XX. ætatis, quo inſcribi ſolebant, τῷ ληξιαρχικῷ γραμματείῳ, *albo civium: Non dehoneſtabo arma, neque præſtitem reſeram, quicunque obtigerit. Pugnabo pro aris & focis, & ſolus & cum multis, neque patriam tradam deteriorem. Navigabo adverſus terram quamcunq;. Decernentibus auſcultabo ac legibus conſtitutis, & quas alias populus prudenter feret, morem geram. Si quisquam tollere leges aut non obedire velit, non permittam. Pugnabo verò & ſolus & cum omnibus, ſacraq; patria honorabo. Horum mihi Dii agreſtes teſtes ſunto*, [niſi mavis Θεοὶ Ἀγραύλου, Dii Agrauli] *Enyalius, Mars, Jupiter!* Jul. Pollux l. 8. cap. 9. Onomaſt. Meurſ. Athen. Attic. l. 1. c. 7. &c. Hæc de admonitione Petrina Priore, nunc agendum quoq;

De Poſteriore; ea conſtat, ut breviter me expediam, 1. Propoſitione, 2. Confirmatione, 3. Exhortatione.

Propoſitio apud Vulgatum ſic habet: *omnes autem invicem humilitatem inſinuate*: Sed ut Eſtius annotat, plus eſt in Græco: *Omnes invicem ſubjicientesq; vos, humilitatem* ἐγκομβώσασθε. Alleſamt ſeyd untereinander unterthan/ und haltet veſt an der Demut. In quo præcepto ſpectandum 1. Quis, 2. Quibus,

bus, 3. Quid, 4. Quomodo præstare debeat? *Quis?* Omnes. Non simpliciter, sed quisque in suo ordine; ὑποτασσόμενοι, *subordinati*, ut vertit Cornelius à Lap. Agit enim Apostolus cum ordine inferiori iisdem verbis, quibus S. Paulus antè dixerat: ὑποτασσόμενοι ἀλλήλοις ἐν φόβῳ Θεοῦ, *subjicientes vosmet invicem in timore Dei*, quód per μερισμὸν deducit, uxores puta Viris, liberi Parentibus, servi Dominis, Ephes. 5. ℣. 21. & seqq. Quanquam hæc Regula aliquâ parte ad omnes omninò spectet. Nam licèt ὑποταγὴ non sit omnium, est tamen omnium ταπεινοφροσύνη. Certè *modestia neque summis mortalium spernenda est, & à Djs, ait Tacitus, æstimatur*, 15. Annal. *Quantò major es, tantò magis humilitatem cole!* Sirac. 3. ℣. 20. Ratio multiplex: Quia excelsis adjacent prærupta, & ex alto facilior casus est. Quia *felicitatis* plerunque & celsitudinis *pedisequa est superbia*. Quia quantò rarior est in isto statu, tantò pretiosior & clarior modestia. *Non enim magnum est, humilem esse in abjectione: magna prorsùs & rara virtus est humilitas honorata*, Bernhardus serm. 4. super; *Missus est*. Quia nullis majori opus est Dei gratiâ, quàm quos in sublimi constituit. *Nam cùm augentur dona, rationes etiam crescunt donorum*, Gregor. M. hom. 9. in Evang. Quod exempla Evangelici Dispensatoris, & Servi Nequam demonstrant, Luc. 16. & 18. Matth. Quo respectu ne summis quidem dedecori erit ὑποταγὴ aliqua, quâ se Sapientibus subjiciant & regi sinant, ut regere alios possint. Sed pergo;

Quibus? omnibus invicem, quibus par eſt. Undè S. Paulus adjecit: ἐν φόβῳ Θεοῦ. *Obſequium ratione calens fervor eſt*, ait Petrus Chryſologus, *ratione carens furor eſt*. Nec cæcam exigit Apoſtolus obedientiam; ſed oculatam, cui viam præluceat Pietas, - *tutiſſima Virtus! Quid?* ὑποταγὴν requirit Apoſtolus, & ταπεινοφροσύνην; illa magis externa, hæc interna; hæc radix, illa fructus eſt. *Subjectio* conſiſtit in agnitione divinæ ſubordinationis; ut inferior agnoſcat, à Deo ſibi ſuperiorem præpoſitum, qui Deus eſt ordinis: in exhibitione debitæ obſervationis; quà verbo, quà opere, quà patientiâ, de quibus jam ſæpiús. Ταπεινοφροσύνη modeſta *mentis ſubmiſſio* eſt, quâ quis immemor quaſi collatæ dignitatis aut præcellentiæ, in conſideratione ſuæ propriæ vilitatis, memor ſe hominem eſſe, nihil magni de ſe, ſed demiſsè planè ſentit, vi vocabuli. *Humilitas*, ajunt ex Bernhardo, *eſt Virtus, quâ homo veriſſimâ ſui agnitione ſibi vileſcit. Quomodo?* hoc indicat verbum illud Græcum ab Apoſtolo hîc poſitum: quaſi diceret: *amicite vos intrinſecùs*, Syrus, Tremell. *ſitis intùs ornati*, Beza, *infixam habete*, Eraſmus, *devincite vobis, & compingite*, Camerarius in Annotat. Περιβάλεσθε, *induite*, Oecumen. Apud Heſychium eſt ἐγκομβωθεὶς, δεθεὶς. Et κόμβωμα, στόλισμα. Etymologici Magni Autor notat: ἐγκόμβωμα eſſe δεσμὸν τῶν χειρίδων, qui ab Atticis dicatur ὄχθοιβος, vel ab aliis κοσύμβη. Ἐγκομβώσασθαι eſt propriè nodo veſtem adſtringere, & ſuccingere, ſich ſchürtzen und veſt gürten. Vult igitur

Apo-

Apoſtolus modeſtiam quaſi *penulam viatoriam* optimè aſtringi debere, daß die Demut gegeneinander verknüpfft/ und ineinander geflochten ſey/ daß ſie der Teuffel mit keiner Liſt noch Kunſt trennen möge/ ut habet gloſſa D. Lutheri marginalis. Pulcherrima Metaphora: variisq; piis cogitationibus præbens materiam: *Vita viatoris quaſi tranſitus: Tranſivére patrès, ſimul hinc tranſibimus omnes.* Via lutulenta & lubrica eſt: peregrinatio ipſa periculoſa, per ſentes, per inſidias, per procellas & tempeſtates. Et nudus ſe aliquis committat itineri? ſine chlamyde, ſine perone, ſine galero, ſine machæra, ſine viatico? habebit omnia, qui modeſtiam, qui humilitatem. Ei *non erit quærenda penula*, ut ajunt, *in imbri*. Sit tantùm ſuccincta & nodo inſolubili adſtricta. Nam ut in fabulis *Viatori Sol & Ventus certabant penulam eripere*, vide Camerarii Fab. ita modeſtiam proſpera & adverſa. Hæc perſequi ſi velim, finem non habebit hæc tractatio. Bene & appoſitè Martialis:

Ingrediare viam cœlo licet usque ſereno:
Ad ſubitas nunquam ſcortea deſit aquas.

Confirmatio: Quia *Deus ſuperbis*, ὑπερηφάνοις, qui ſuper omnes ſe conſpiciendos efferunt, *reſiſtit*, ἀντιτάσσεται, gradum quaſi in pugna contrà componit, totoq; niſu & omnibus quaſi copiis opponit ſe: *humilibus autem dat gratiam.* Hæc ipſa ſententia extat Prov. 3. ℣. 34. juxta verſionem LXX. Interpp. ubi in fontibus: *Deus deludet illuſores, & manſuetis dabit gratiam.* Deus tanquam ſine contumeliæ pro-

pulsator, velut quoddam suscepit adversùs superbiã speciale certamen, *Ambrosius in Ps. 118.* Adeò frequens, adeò innumeris comprobata hæc sententia est exemplis, ut apud omnes ferè populos in Proverbium abierit. Æsopus interrogatus à Chilone, *quid ageret in cœlo Deus? Alta*, inquit, *humiliat; & humilia exaltat.* Sic - *feriunt summis Fulmina montes!* In vallibus ros cadit, & flores crescunt, &c. Superest

Exhortatio: Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis, sic Vulgatus: Græcè simpliciter: ἐν καιρῷ, *quando erit opportunum*, zur rechten Zeit. In quo nova argumenta humilitatẽ suadentia. *Potens Dei manus*, quâ sternit insolentes; & *consequens exaltatio*, & *sapiens Providentiæ directio*, quâ omnia fiunt in tempore. Omnia ad *deterrendos* superbos, ad *erigendos* humiles comparata. Quid superbiat vermis, cinis, fimus? qui sub potenti manu Dei vix tantillum est, quantillum pulex aut cimex? Nam & his vilissimis insectis sæpè ultus est Deus contemptum superborum, ut in Joëlem docui. Hæc sola manus exaltare potest: quâ sine qui cupiunt tolli, inflati rumpentur, ut rana Æsopia. *Unica ad sublimitatem via est humilitas, quam exemplo suo prævit Dei Filius*, ut docet Greg. Naz. Orat. 48. Nec festinare licet, ac frustrà est. *Omnia tempus habent.* Quicquid *certum deserit ordinem, Lætos non habet exitus*, canit Boëthius. Tu verò bona mens confide; respice omnipotentem Dei dextram. Quàm facilè infimat sublimes, - *Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant*, Ps. 73. 19.

tam

tam facilè ſublimat humiles, Pſ. 113. 5. 6. Exaltabit te; hoc certò crede Pſ. 18. 28. Job. 5. 11. Luc. 14. 11. Tu tantùm *morem* diſce, *moram* ſuffer. Fiet id, quando illi viſum, tibi commodum erit, Pſ. 9. ℣. 10. Fiet: ſi non in terris & in hac vita; tamen *in die viſitationis*, in glorioſo die ſui adventus ad judicium! Sed de his ſatis. Addemus paucula de Officiis

II. SENUM:

Tit. 2. ℣. 1. *Senes ſobrii ſint, graves, temperantes, ſani in fide, in dilectione, in patientia.*

Subjectum ſunt *Senes*, πρεσβύται: non dignitatis, aut ſolo virtutis, ſed ætatis reſpectu: dicti ἀπὸ τοῦ περιιέναι εἰς τὸ τέλος τοῦ βίου. Eſt enim ſenectus *peractio ætatis tanquam fabulæ, & quaſi extremus actus*, ut ait Cicero de Senect. qui eandem *vitæ occaſum*; ut Plutarchus, ejus *coronidem & facem*, quæ domum à cœna redeuntibus præferri ſolet, appellârunt.

Prædicata. Varia, ut ait hîc Chryſoſtomus, habet hæc ætas ἐλαττώματα: τὸ νωθρὸν, τὸ ὀκνηρὸν, τὸ ληθαργικὸν, τὸ ἀμβλὺ, τὸ ἀκρόχολον. De quibus Horatius: *Multa ſenem circumveniunt incommoda, &c.* Remedia apponit Apoſtolus. Quanquam ſera videatur ſenum diſciplina, ut Diogenes dixerit, *mortuum curare, & ſenem informare idem eſſe.* Veteli canes loris non aſſueſcunt. Senes pſittacus ferulam contemnit. *Arbor vetuſta facilè transferri nequit.* Sed *neq; ulla ad diſcendum ætas ſera eſt*, ut ait Ambro-

Ambrosius contra Symm. neq; gratiæ Dei obicem ponit per semetipsam senectus: qui quosdam vocat horâ novissimâ, Matth. 20. Quin & cum corpore deficiente ac marcescente, sensim peccatorum caussæ & semina extinguuntur, *Stobæus serm. 116.* Sint ergò senes

1. *Sobrii*, νηφάλιοι, quo vocabulo & abstinentia corporis à potu nimio, & mentis vigilantia ac circumspectio denotatur: ut in illo Epicharmi: νῆφε καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν. Hoc tamen loco prior virtus propriè; nam de prudentia mox seorsim; estq; hæc sobrietas ejus quasi radix. *Anima sicca, anima sobria,* Heracliti verbo. Est quidem *vinum lac senum:* ac rectè disputat Clemens Alexandrinus 2. Pædag. c. 2. *permissum esse senibus, ut vino se hilariùs invitent, quòd vitis hoc medicamen contra frigus ætatis salubre sit: animus verò senum quasi in portu stans, fundatus ætatis ac rationis anchoris, cupiditatum tempestates faciliùs sustineat, nec facilè ex ebrietate patiatur naufragium. Ceterùm modum hunc tenendum esse, ut & mens illabefacta & memoria in officio maneat, corpusq; ipsum inconcussum servent, quales vocentur* ἀκροθώρακες, beräuschte: Quibus accidere solet, quod Zenoni Cittiæo; qui interrogantibus, cur cùm alioqui durus, difficilis & morosus esset, tamen appotus fieret placidus & hilaris? respondisse fertur; *idem sibi evenire, quod Lupinis, priusquam madefiant amarissimis, sed si irrigati macerentur, jucundis & dulcioribus,* apud Athenæum. Ebrietas verò ut omnibus, ita senibus maximè probrosa est.

Ridi-

Ridiculos facit pueris & juvenibus, exemploq; corrumpit, ac sæpe in extrema flagitia, pericula, mortemq; præcipitat. Exempla in S. Literis nota sunt, & in Historiis pervulgata.

2. *Graves, σεμνοὶ, venerabiles; pudici* habet Vulgatus, quia gravitati & venerationi nil magis obstat, quàm lascivia & petulantia. Morum honestate comparatur. *Honestè acta superior ætas fructus capit autoritatis extremos*, Cicero de Senect. Hac de caussa, ut canit Ovidius,

Magna fuit quondam capitis reverentia cani,
Inq; suo pretio ruga senilis erat.

vide Jobi cap. 29. ℣. 8. & seqq. Et nota est Catonis gravitas, quo præsente ne meretrices quidem in Floralibus nudari ausæ sunt, *Seneca Epist. 96. Valer. Max. l. 2. c. 10.*

3. *Temperantes, σώφρονες*, qui prudenter & moderatè se gerant in omnibus actionibus, nihil agant ex libidine, ira, aliisq; pravis cupiditatibus. Qui veterem hominem crucifixerint. Sophocles, cùm quidam ex eo jam affectâ ætate quæreret: utereturne rebus Veneris? *Dj meliora!* inquit. *Libenter enim isthinc tanquam à Domino agresti ac furioso profugi*, apud Ciceron:

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

4. *Sani in fide, in dilectione, in patientia.* Hæc Christianarum Virtutum triga; hæc triplex senum corona est. Est alioqui hæc ætas proclivis ad *superstitionem*, cui & ideò *anilis* agnomen addi solet: prona ad diffidentiam & desperationem, atque indè

indè querula, ac avara, quò viæ minus superest, eò plus quærit viatici. Undè *tristis & queribunda senectus:*

Stat dubius, tremulusq́; senex, semperq́; malorum
Credulus, & stultus, quæ facit, ipse timet,

Cornel. Gallus eleg. 1. Charitas refrigescit, erga Deum & proximum: hinc invidia, hinc *iracundia,* quæ *novissima* dicitur *senescere.* His opponenda Pietas in Deum, fides in Christum, fiducia bona de perseverantia & futura remuneratione, precesq́;, ut Psalm. 72. & constantia in adversis, ex longo usu & assuetudine, ac inprimis spe finis, ac propinquitate coronæ. - *Algida Borræ* (brumæ ac frigidi aquilonis) *ætas decrepitam vocet ad pia sacra senectam*, Prudent. in Psychomach. Bene Gregorius Nazianz.

Semper saluti tu quidem stude tuæ,
Potissimum autem sub diem vitæ ultimum:
Venit senectus: exitum præco canit.
Parentur omnes, imminet judex Deus!

Seminet, ut mox metat, senex æternum.

Colligis in cœlis, quicquid dispergis in arvis:
Semina nunc fundens post meliora metes.
Quicquid mundus habet, fugitivo tempore transit,
Tempore tu modico semper habenda facis.
Hîc tibi longævis sit vita superstes in annis,
Rursus in æternum sit tibi vera salus.

Venantius Fortunat. de Berthechilde. Sed finiendum hîc quoq; est. Movere possunt & debent senes

1. Mor-

1. Mortis meditatio: quæ *juvenibus in insidiis, senibus in januis.*

Ecce caduca volant præsentia secula mundi:
Sola fides meriti nescit honore mori,

Fortunat. in Epitaph. Orientii. *Senex* dicitur quasi *seminex.* Alterum pedem habet in cymba Charontis. - *Letho vicina senectus,* Claudianus. Senectus aliam ætatem, quam speret, non habet; Incertum est, ipsa senectus quamdiu sit homini: illud tamen certum est, nullam remanere ætatem, quæ succedere possit senectuti, quia sic voluit Deus, *Augustinus Epist. 110.* 2. Conscientiæ tranquillatio: Cæteræ voluptates evanescunt, imò amarescunt, ut Barsillai docet 2. Samuel. 19. ℣. 35. hæc sola superest, & malam hanc ætatem edulcare potest. *Conscientia bene actæ vitæ, multorumq; benefactorum recordatio, jucundissima est,* Cicero, l. cit. Quàm dulce est voluptates fugâsse & fugisse? *Seneca Epist. 12.* 3. Peccatorum juvenilium recordatio, 1. Pet. 4. ℣. 1. 2. Damasus in Elegia de Cruce:

Lusimus in teneris Venerem lasciviùs annis,
Lusimus unguentum, pocula, serta, jocos:
Crinis inest canus capiti: ver fluxit, & æstas,
Præstat in autumno carpere poma senem.

Instat terminus, & diem vicinum senio jam Deus applicat? Quid nos utile tanti spatio temporis egimus? Prudent. Procœm. Carthemerin. Denique 4. Larga remuneratio. Beatus quidem & juvenis,


venis, qui bene vivit; sed magis beatus est senex, qui bene vixit. Quod enim juvenis sperat, adeptus est senex. Quod senex fuit, optat esse, qui juvenis est. Quod autem possideas, eo, quod adhuc speres, præstabilius est, *Ambrosius de Jacob. & Beata Vita l. 2. cap. 8.* Semper in civitate nostra senectus venerabilis fuit: namque majores nostri eundem pænè honorem senibus, quem magistratibus tribuebant, *ait Callistratus de Romanis, L. semper. De jur. immun.* Sequitur mors facilis. *Matura anima facilè corticem corporeum relinquit*, ut ait Varro. Et post mortem in terris honesta fama:

Suavis justorum fragrat odor tumulo,

ut canit Venantius Fortunat. ad Jovinum. Eccles. 7. ℣. 2. Denique vita sine fine, juventus sine senio, sanitas sine morbo, satietas sine fastidio, gloria sine periculo, in cœlis perennis! In qua consideratione hunc quoque Commentarium finio.

GRATIA TIBI DOMINE JESU!

IN-



INDEX RERUM PRÆCIPUARUM.

A.

Concio.

D.

O.

P.

Q.

Simia-

FINIS.




Errata.

Pag. 22. l. 9. l. insereretur. 23. 14. *consecratum.* 26. 11. protrudit. 46. 1. *hominem.* 51. 26. certatur. 53. 13. prostat. 55. 8. ollam. 56. 19. *creatorum.* 58. 2. *ad.* 59. 7. claritatem. 60. 5. *quæ.* 65. 24. turmatim. 68. 28. exeat. 69. 26. *arescentem.* 73. 12. adjuratio. 23. mihi! 76. 22. prologo. 77. 10. esse. 83. 3. *frigent.* 84. 4. *Foris.* 8. *sonuerit.* 94. 10. *quæq;.* 100. 4. apparuerit. 28. *casura.* 102. 8. *terra.* 112. 28. *virtutibus.* 125. 12. nos. 127. 13. *Multos.* 132. 12. post 4. insere *Si* &c. 133. 24. quæ. 136. 25. Præcepto. 28. ἄλλ@. 137. 29. *impenditur*, 139. 8. post *vobis* insere *in* &c. 142. 13. *omnes.* 146. 24. autem. 149. 22. *his.* 24. præmittit. 150. 10. multi. 156. 26. contemptum. 161. 29. vulneretis. 173. 13. debebat. 174. 2. ordine. 179. 28.

tonden-

tondendo. 181. 25. *infeliciter*. 182. 25. concurrit. 190. 6. nondum. 191. 6. illabuntur. 192. 2. muliebribus. 195. 10. *parendo*. 199. 16. *Exigui*. 201. 22. pipulo. 203. 23. ut, 204. 4. *me*. 21. Trajan. 205. 21. participes. 209. 15. *viduas*. 212. 20. *instructæ*, 218. 10. multæ. 220. 12. viperas, 222. 9. *similes*. 224. 7. ſenili. 8. quem. 227. 6. demonſtret. 12. otia. 229. 19. verè. 243. 5. delectetur. 245. 8. ſuos. 246. 24. revereantur. 253. 20. dicenda. 263. 11. leg. 127. 265. 26. meditatur. 268. 25. S. Paulus. 270. 9. eſt. 277. 18. poſt *fœtum* inſere *plus*. 26. *Empedocliq;*. 281. 4. *Job*. 285. 6. diſcedunt. 28. *mater*. 288. 8. *roſtris*. 14. *Plebis*. 289. 20. manifeſtam. 291. 25. *graviſſima*. 298. 21. tandem. 306. 17. Iſcanus. 307. 6. *atqui*. 313. 24. *dormierit*. 314. 28. quæ. 317. 3. luctum. 322. 21. *ſibi*. 25. *cauſas* & *reatus*. 336. l. 6. *ſed virtutis*. 351. ult. efflagitaverit. 352. 27. ſtamen. 358. 7. *adamata*. 360. 18. *Novi*. 371. 19. grande. 372. 9. ſacello. penult. *nos*. 377. ult. ſuæ, & alia Lectoris benevolentiæ relicta.


10-2-2



